Gift

APPENDIX

AD BULLARIUM

PONTIFICIUM

SACRAE CONGREGATIONIS

DE PROPAGANDA FIDE

TOMUS I

ROMAE

TYPIS COLLEGII URBANI

Superiorum permissu

APPENDIX

AD BULLARIUM

PONTIFICIUM

SACRAE CONGREGATIONIS

DE PROPAGANDA FIDE.

TOMUS I.

ROMAE

TYPIS COLLEGII URBANI

Superiorum permissu.

MONITUM TYPOGRAPHI.

Cum post diligentiorem, longioremque tabularii Sacri Consilii Christiano nomini propagando perlustrationem, non parvus Romanorum Pontificum Constitutionum ad idem Sacrum Consilium pertinentium numerus repertus sit; quae dum nova Bullarii editio procuraretur, investigationem tunc factam praeterlapsae sunt; opportunum, et utile futurum esse visum est, eas constitutiones in unum corpus redactas, servato ordine chronologico, Appendicis nomine typis mandare, quae, si suo tempore non latuissent, inter ceteras cujuscumque Pontificis Constitutiones relatae fuissent. Itaque in hoc volumine, Lector benevole, majorem Constitutionum, de quibus sermo est, partem habes; in altero autem reliquas, et tum Bullarii, tum Appendicis ipsius indicem habiturus.

Innocentius PP. III. Maronitarum Patriarcham, Archiepiscopos, et Episcopos pluribus favoribus cumulat.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Venerabilibus Fratribus Hieremiae Patriarchae, sive Primati, Archiepiscopis, et Episcopis, et Dilectis Filiis Prioribus, Clero, et Populo Maronitano.

S. N. PP. M.

Quia divinae sapientiae bonitas indeficiens, et immensa decursum lubricum hujus mundi, et statum instabilem humanae propaginis ad occasum jugiter properantem sic sua stabilitate immutabili perfecte, mirabiliter, ac infallibiliter gubernat, ordinat, et disponit; quod humana mens altius speculando quamquam raro parum, utcumque hauriat superficialiter degustando: tamen comprehendere intellectu vel modicum ex hoc nequit, cum non valeat, licet velit, dum in hoc dissolubili gubernaculo detinetur intelligere rationem operum Dei etiam minimorum, eo quod incomprehensibilia sint sua judicia, et investigabiles viae ejus, eadem in stuporem, et admirationem deducta se convertit ad digna Deo laudum, omnia exsolvenda super eo maxime, quod divina providentia illos, quos diu passa est justo judicio, sed occulto sub quodam obscuritatis nubilo ambulare tandem per misericordiam suam magnam caelestis gratiae rore perfusos ambulare facit per illustratam semitam veritatis: quod de Graecorum Ecclesia, et vobis nuper factum novimus, et gaudemus. Nam cum olim essetis quasi oves errantes, non recte intelligentes unam existere Christi sponsam, atque columbam sanctam, scilicet Ecclesiam Catholicam, unum et esse verum pastorem, Christum scilicet, et post ipsum, ac per ipsum Apostolicum, ac Vicarium ejus Petrum, cui pascendas commisit Deus oves suas vocabulo tertio repetito, cujus fides etiam, et successorum suorum Romanorum Pontificum deficere non debeat, Domino promittente, ut fratres suos posset confirmare.

Dudum transmisso a nobis ad partes vestras bo: me: P. Sancti Marcelli Praesbytero Cardinali tunc Apostolicae Sedis legato, conversi fuistis ad Pastorem vestrum, et Episcopum Ecclesiarum vestrarum, Domino inspirante, vos universalis Ecclesiae summum Pontificem, ac Jesu Christi Vicarium, et matrem vestram Sanctam Romanam Ecclesiam agnovistis, ut juxta promissum suum dominicas oves, et alias quas habebat praedestinatas etiam ab aeterno suo tempore ad caulas

adduceret; quatenus sicut pastor unus, unum et ovile, in quo eaedem firmiter constitutae voces alienorum errantes per devia de cetero non sequantur. Siquidem dum esses olim apud Tripolim coram Cardinale praedicto, tu Frater Patriarcha cum quibusdam tuis suffraganeis, scilicet Josepho Archiepiscopo Hassala, et Theodoro Episcopo Capharphio, et aliis quam pluribus Episcopis, praesbyteris, et laicis tibi subditis constitutus tu, et ipsi pro se ac aliis praesentibus quibusdam Episcopis, viris religiosis, ac Clero, et populo Tripolitano juxta formam solitam, qua Metropolitani obedientiam Sedi Apostolicae repromittunt, voluntate spontanea juravistis Ecclesiae Romanae, ac nobis et successoribus nostris obedientiam, et reverentiam debitam, et devotam deinceps humiliter praestituros. Quia vero dictus Cardinalis in quibusdam intellexit vos pati defectum illum, in vobis Apostolicae auctoritatis plenitudine supplere curavit, injungens ut amodo secundum quod Romana tenet Ecclesia sine dubitatione credatis, quod Spiritus Sanctus procedit a Filio, sicut procedit a Patre, cum sit Spiritus utriusque, quemadmodum et sacris auctoritatibus, et certis rationibus comprobatur; et ut hanc formam baptizando servetis, quod in trina immersione unica tantum fiat invocatio Trinitatis; ut etiam confirmationis utamini sacramento a solis Episcopis inferendo. Et ne in confectione chrismatis aliquam speciem, nisi balsamum, et oleum apponatis: et ut quilibet vestrum saltem semel in anno sua confiteatur peccata proprio sacerdoti, et ut ad minus in anno devote suscipiatis Eucharistiae Sacramentum; ut et duas in Domino confiteamini voluntates, divinam scilicet, et humanam; et in altaris sacrificio non vitreis, ligneis, aut aereis, sed stagneis, argenteis, et aureis vasis utamini, habentes campanas ad distinguendas horas, et populum ad Ecclesiam convocandum.

Quae omnia vos tanquam obedientiae filii devote, ac humiliter recepistis. Nos autem approbantes praescripto, et inviolabiliter observari mandantes, vos fratres, et filios, quos debita charitate in Domino amplexamur cum Ecclesiis in vestris Provinciis constitutis sub Beati Petri, et nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti privilegio communimus, statuentes, ut Pontifices in Maronitarum terminis constituti nostris, et insigniis pontificalibus sibi congruentibus juxta morem latinorum utantur, consuetudinibusque Ecclesiae Romanae se in omnibus studiosius conformantes. Archiepiscopatus autem, et Episcopatus inferius annotatos Sanctae Mariae de Anveh Ecclesiae tuae Fr. Patriarca, cui auctore Deo prodesse dignosceris, Primatiae jure subjectos tibi, tuisque successoribus confirmamus, scilicet Archiepiscopatus de Hassasa, et de Terra Bull, et Episcopatus Monetea de Raschia, Capharpha, et Gracen. Usum quoque Pallii, plenitudinis scilicet Pontificalis officii solito more suscepti; quod Tibi Antiochenus

Patriarca sine difficultate libenter debet conferre, solitis nisi consuetudinibus approbatis, quas tu etiam, et praedecessores tui hactenus in Antiochena Ecclesia dignoscimini habuisse, tibi, tuisque successoribus auctoritate Apostolica indulgemus. Itaque eo intra Ecclesiam tuam utaris diebus inferius annotatis, scilicet Natalis Domini festivitate, Protomartyris Stephani, Circumcisione Domini, Epiphania Jesu Christi, Dominica in ramis palmarum, Coena Domini, Sabbato Sancto, Pascha, feria secunda post Pascha, Ascensione, Pentecoste, tribus festivitatibus Beatae Mariae, Beati Joannis Baptistae, solemnitatibus omnium Apostolorum, et festivitate omnium Sanctorum, Dedicationibus Ecclesiae, Anniversariis mortuorum . . . , dictae Ecclesiae tuae principalibus festivitatibus, consecrationibus Episcoporum, Ordinationibus clericorum. Statuimus etiam juxta sacros canones, si quis in aliquem clericum Maronitam manus injecerit temere violentas, vinculum excommunicationis incurrat, et tamquam excommunicatus ab omnibus evitetur, donec passo injuriam satisfecerit competenter, et per auctoritatem Apostolicae Sedis absolutionis beneficium consequatur. Volentes autem tibi Fr. Patriarcha, qui ob multam devotionem matrem tuam Sanctam Romanam Ecclesiam personaliter visitans ad sacrum generale Concilium accessisti, et populo tuo noviter ad obedientiam Ecclesiae Romanae reverso gratiam facere specialem, auctoritate tibi Apostolica indulgemus, ut Maronitas qui praedicta sententia fuerint innodati temerarias manus mittendo in clericos, eadem auctoritate potestatem habeas absolvendi, nisi forte ad mutilationem membrorum, ad sanguinis effusionem processum fuerit; aut violenta manus in Episcopum, et Abatem injecta, cum excessus tales, et similes sine scandalo nequeant praeteriri. Ad haec etiam prohibemus ne interdictos, et excommunicatos tuos ad officium, et communionem ecclesiasticam sine conscientia, et consensu tuo quispiam admittat, aut contra sententiam tuam canonice promulgatam aliquis venire praesumat, nisi forte periculum mortis immineat; aut dum praesentiam tuam habere nequiverint per alium secundum formam Ecclesiae, satisfactione praemissa, oporteat ligatum absolvi. Decernimus praeterea, ut nulli omnino hominum liceat praedictis temere contraire, aut eadem minuere, aut turbare; sed omnia integre conserventur prout superius sunt descripta, salva Sedis Apostolicae auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, secularisve persona hanc nostrae Constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo, tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honoris sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat; et a sacratissimo Corpore, et Sanguine Dei, et Domini Redemptoris Nostri Jesu Christi aliena fiat: atque in extremo examine districtae ultioni subjaceat. Cun-

ctis autem praescripta servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hi fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum judicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen.

Ego INNOCENTIUS Catholicae Ecclesiae Episcopus.

Ego Ignatius tituli Sancti Laurentii in Lucina Presbyter Card.
Ego Cencius Sanctorum Joannis, et Pauli Presb. Card. tit. Vemachii.
Ego Leo tit. Sanctae Crucis Presbyt. Card.
Ego Petrus Sanctae Pudentianae tit. Part. Presbyt. Card.
Ego Goala Sancti Martini Presbyt. Card. tit. Equitis.
Ego Robertus tituli Sancti Stephani in Coelio Monte Presbyter Card.
Ego Stephanus Basilicae Sanctorum Apostolorum Presbyt. Card.
Ego Guidus Sancti Nicolai in carcere Tulliano Diac. Card.
Ego Gregorius Sancti Theodori Diac. Card.
Ego Octavianus SS. Sergii, et Bacchi Diac. Card.
Ego Petrus Sanctae Mariae in Aquario Diac. Card.
Ego Petrus Sancti Georgii ad velum aureum Diac. Card.
Ego Nicolaus Tusculanus Episcopus.
Ego Guido divina miseratione Praenestinus Episcopus.
Ego Ugo Ostiensis, et Velletrensis Episcopus.
Ego Benedictus Portuensis, et Sanctae Rufinae Episcopus.
Ego Pelagius Albanensis Episcopus.

Datum in Laterano per manus Thomae Sanctae Romanae Ecclesiae Subdiaconi etc. et Notarii Neapolitani electi septimo nonas Januarii, indictionis tertiae, Incarnationis Dominicae anno M.CC.VII. Pontificatus vero D. Innocentii PP. III. anno octavo.

Clemens PP. VI. De Collegii Pragensis privilegiis plura constituit.

CLEMENS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

In suprema dignitatis Apostolicae specula quamquam insufficientibus meritis divinae dispensationis munere constituti, ad universas fidelium Regiones, eorumque profectus, et commoda, tanquam universalis Dominici gregis Pastor commissae nobis speculationis aciem, quantum nobis ex alto permittitur extendentes fidelibus ipsis ad quaerenda litterarum studia, per quae divini nominis suaeque Catholicae Fidei cultus protenditur, justitia colitur, tam publica, quam privata res utiliter geritur, omnisque prosperitas humanae conditionis augetur gratiosos libenter favores impendimus, et opportunae commoditatis auxilia impertimur. Nuper siquidem pro parte Carissimi Filii Nostri Caroli Regis Romanorum Illustris nobis exposito, quod in hereditario Regno suo Bohemiae, multisque aliis eidem regno finitimis regionibus, atque terris Generale studium quod in illis partibus summe foret expediens, non habetur, quodque Metropolitica Pragensis Civitas in ipsius Regni medio locoque saluberrimo sita, et a diversarum partium gentibus frequentata, ac in victualibus aliisque vitae necessariis copiosa ad hujusmodi generale regendum cum particulare dudum in ea fuerit studium, ac commoda multis existeret. Nos considerantes eximiam devotionis, et fidei puritatem, quam tam ipse Carolus et Praedecessores sui Bohemiae Reges, quam ejusdem regni incolae ad Sanctam Romanam Ecclesiam gessisse, ac ipsi Carolus, et incolae gerere dignoscuntur ferventi desiderio ducimur, ut Regnum ipsum, quod Divina bonitas multitudine populi, rerumque copia praedotavit, fiat literarum fertilitate faecundum, ac in eo quemadmodum auri, et argenti fore dignoscitur, sic scientiarum praevalentium sit minerva, ut viros producat consilii maturitate conspicuos, virtutum redimitos ornatibus, ac diversarum facultatum dogmatibus eruditos, sitque ibi fons irriguus, de cujus plenitudine hauriant universi literalibus cupientes imbui documentis. His igitur omnibus et praesertim amaenitatibus Civitatis praefatae diligenti examinatione pensatis, ad hujusmodi universale non solum praemissorum ejusdem Regni Regionum circum adjacentium incolarum, sed etiam aliorum qui de diversis mundi partibus ad eamdem confluent Civitatem commodum, et profectum paternis affectibus anhelantes dicti Regis supplicationibus

inclinati de Fratrum Nostrorum Consilio Apostolica auctoritate statuimus, ut in dicta Civitate Pragensi perpetuis futuris temporibus generale studium vigeat, in qualibet licita facultate, et quod legentes et studentes ibidem omnibus privilegiis, libertatibus, et immunitatibus concessis Doctoribus, legentibus, et studentibus commorantibus in studio Generali gaudeant, et utantur quodque illi, qui processu temporis scientiae margaritam fuerint in illa facultate, in qua studuerint, assequuti, sibique docendi licentiam, ut alios erudire valeant ac Magisterii honorem seu titulum petierint impertiri per magistros seu magistrum illius facultatis, in qua examinatio fuerit facienda, Archiepiscopo Pragensi qui est pro tempore praesententur. Idem quoque Archiepiscopus Doctoribus, et Magistris in eadem facultate inibi actu, regentibus convocatis, illos in his, quae in promovendis ad Doctoratus seu Magistratus honorem requiruntur per se, vel alium, juxta modum et consuetudinem, quae super talibus in generalibus studiis observantur, examinare studeat diligenter, eisque si ad hoc sufficienter et idonei reperti fuerint hujusmodi licentiam tribuat, ac honorem, seu titulum conferat magistralem. Illi vero qui in eodem studio dictae Civitatis examinati et approbati fuerint, ac docendi licentiam, et honorem, seu titulum magisterii obtinuerint, ut est dictum, ex tunc absque examine, ac approbatione alia regendi, et docendi tam in Civitate praedicta quam alibi ubicumque, quibuscumque tam dictae Civitatis quam quorumlibet aliorum locorum, seu generalium studiorum, in quibus voluerint regere et docere statutis vel consuetudinibus contrariis Apostolica, vel alia quacumque firmitate vallatis nequaquam obstantibus, plenam et liberam habeant facultatem. Nullique omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae Constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et Beatorum Petri et Pauli Apost. ejus se noverit incursurum.

Datum Avinioni VII. Kalend. Februarii Pontificatus Nostri anno quinto.

Eugenius Papa IV. confirmat erectionem Collegii Aven. in Sabaudia fundati, revocans quae contraria videri poterant.

Ad petitionem Sereniss. Ducis Sabaudiae.

EUGENIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Venerabilibus Fratribus Joanni Bisuntinen. S. R. E. Vice-Cancellario, et Viennen. Archiepiscopo, et Episcopo Gratianopolitan. salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Dignum atque meritum reputantes, ut extremae Christi fidelium voluntates optatos consequantur effectus, illa libenter, ut tenemur, adhibemus remedia per quae voluntates ipsae semotis quibuslibet obstaculorum dispendiis debito valeant effectui mancipari. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Nobilis Viri Amadei Ducis Sabaudiae petitio continebat quod olim bo. mem. Joannes Episcopus Ostien. S. R. E. Vice-Cancellarius attente considerans quod nonnulla in partibus suae originis consistentia loca notabilia minime *in personis in jure peritis* abundabant, cupiensque super hoc partibus ipsis de remedio opportuno consulere quamdam domum, quam in nostra Civitate Avenion. tunc obtinebat pro usu, et habitatione viginti quatuor pauperum scolarium, *qui in jure Canonico*, *vel Civili* studere deberent contulit, et assignavit, ac pro ipsorum scholarium sustentatione *de bonis sibi a Deo collatis sufficienter dotavit*; Volens, et statuens inter cetera, quod ex scholaribus inibi instituendis octo de Dioecesi Gebennen. illi de Castellania Annessiaci Burgi dictae Dioecesis praeferrentur, ac de Ducatu Sabaudiae, totidem de Viennen. vero, et Arelaten. Provinciis etiam octo oriundi existerent, quos ipse Episcopus, dum in humanis ageret nominaret, et assumeret, et in eodem Collegio institueret, et post ejus obitum instituti tunc inibi scholares, vel eorum major pars cum suo provisionario, seu Rectore in locis deficientium alios infra mensem a die vacationis locorum ipsorum possent, et tenerentur eligere, alioquin dictus Episcopus pro tempore existens, *et Capitulum Ecclesiae* Gebbennen. de locis inibi vacantibus providere possent, pluraque alia circa *Collegii*, *et Scolarium praedictorum Regimen*, eorumque statum, et normam vivendi testamentaria dispositione fecit, et ordinavit, prout in Codicillo super hoc confecto dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut eadem

petitio subiungebat Venerabilis frater noster Gerardus Conseranen. pro uno ex Executoribus praefati Cardinalis se gerens, multa per ipsum Cardinalem in praemissis provide statuta, et ordinata, et praesertim in numero ipsorum Scholarium, et de locis a quibus ipse Cardinalis eos assumi voluit, praetextu quarumdam litterarum fel. record. Martini Papae V. praedecessoris nostri *alteraverit*, et immutaverit in grave dictorum Incolarum, locorum, et Clericorum praedictorum praejudicium, et offensam. Quare pro parte Ducis, Incolarum, et Clericorum praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut eis super hoc opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur collationem, et assignationem domus, nec non dotationem, *voluntatem*, et propterea per ipsum Cardinalem facta, statuta, et ordinationes quorum formas, et tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, rata habentes, et grata, illaque *inviolabiliter observari* cupientes fraternitati vestrae per Apostolica scripta mandavimus quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum, per vos, vel alium, seu alios omnia, et singula quae contra praemissa, aut eorum aliqua per ipsum Gerardum Episcopum, aut quosvis alios quacumque etiam *Apostolica*, vel alia quavis auctoritate facta *alterata*, seu *immutata* inveneritis, auctoritate nostra *cassetis, et irritetis*, *nulliusque decernatis existere firmitatis*, *vel momenti*, et nihilominus ipsi Duci, Incolis, et *Scholaribus* efficacis defensionis praesidium assistentes *non permittatis* ipsos super praemissis, aut illa concernentibus per *quoscumque cujuscumque status*, *gradus*, vel conditionis existant quomodolibet molestari contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Non obstantibus si aliquibus communiter, vel divisim a Sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, et expressam, *et de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.* Nos enim et singulos processus etiam quasvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti sententias, seu censuras alias Ecclesiasticas continentes quas forsan contra Ducem, Incolas, et Scholares praedictos praemissorum occasione fulminari contigerit, ex nunc cassamus, et irritamus, ac *nullius existere decernimus firmitatis.*

Datum Florentiae anno Incarnationis Dominicae millesimo quadringentesimo trigesimo sexto, quarto nonas Aprilis Pontificatus nostri anno sexto.

Extractum etc. debita collatione facta etc.

✠ Pro sigillo.

De Mares Not. et Secr.

Eugenius IV. circa possessionem bonorum Ordinis Minorum Observantium in partibus Infidelium plura constituit.

EUGENIUS IV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exultantes in Domino, quod Sacri Ordinis Minorum Professores in Dei beneplacitis confirmati promptitudine devotionis, et operis, illius studentes imitari vestigia ejusque vias summopere custodire, qui descendens a Patre luminum, et servi formam accipiens, se in laudis sacrificium placabilem hostiam immolavit, cogitare inducimur honesta remedia, quibus dicti Ordinis pura observantia in sui vigore servetur, iidemque Fratres pro nulla re temporali possint in judicio expeti nec Ordini proprium acquirere, nec acquisitum retinere. Attendentes maxime Conventus constitutos, vel constituendos in partibus Orientis, Septentrionis, et maxime Iaffae, et Perae, et terris Saracenorum, Paganorum, Graecorum, Bulgarorum, Cumanorum, Aethiopum, Volscorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Syrorum, Cetrarum, Medorum, Tyrorum, Ruthenorum, Jacobitarum, Nubianorum, Nestorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Turcarum, Stilitorum, Tartarorum, Gazilorum, Polonorum, Hungarorum, Majoris Hungariae, et aliorum quorumcumque qui nondum Sacramentum Fidei perceperunt, commode sine proprio vivere posse, et divinis vacare officiis, et ne offerentium, donantium, concedentium, et in ultima voluntate relinquentium Ordini praedicto, vel Fratribus ejusdem Ordinis aliquid propter Deum pia intentio defraudetur. Cum enim, prout ad nostrum pervenit auditum, in partibus supradictis sint nonnulli Conventus dicti Ordinis, qui Sacrorum Canonum circa institutionem Regulae ipsorum constitutorum dispositioni minime inhaerentes, bona propria tam mobilia quam immobilia tenere, et possidere dicuntur, ac propter magnam locorum distantiam, et Nationum, Sectarum diversitatem, minime ad praesens conveniens reformatio fieri possit. Nos volentes de opportuno, quatenus cum Deo possumus, remedio providere, ne hujusmodi transgressionem damnationi personarum de dictis Conventibus esse contingat, Praedecessorum nostrorum, videlicet felic. record. Martini IV. et V. vestigiis inhaerentes, omnium et singulorum Conventuum, aedificiorum, possessionum, et bonorum omnium, tam in paramentis Sacristiarum, quam aliorum quorumcumque consistentium, tam mobilium quam immobilium ad hujusmodi Conventus quomodocumque, et qualitercumque pertinentium, et spectantium dominium, proprietatem, et possessionem, nec non protectionem, administrationem, et regimen, Nostro et Ecclesiae Romanae et Apostolicae Sedis nomine,

auctoritate Apostolica tenore praesentium suscipimus, ac sub nostro etiam dominio, et proprietate, protectione, administratione, et regimine declaramus. Nihilominus dilectis filiis Vicario dilecti filii Generalis Ministri dicti Ordinis in dictis partibus, ac etiam Guardianis dictorum Conventuum praesentibus, et qui pro tempore erunt nominandi, et eligendi, nostro, et dictae Ecclesiae, et Apostolicae Sedis nomine aliquas personas Ecclesiasticas, vel Saeculares ad hoc idoneas, in Syndicos, et Procuratores Conventuum praedictorum, qua omnes, et singulos redditus, ac proventus, nec non eleemosynas et obventiones quascumque percipere, easque exponere, et distribuere tam in reparatione dictorum locorum, quam in victu, et vestitu Fratrum dictorum locorum possint, et debeant, prout secundum Deum, et ipsius Ordinis Regularia instituta eis visum fuerit expedire, cum plena potestate agendi, defendendi, exigendi, solvendi, quietandi de receptis dumtaxat, omniaque alia et singula faciendi, quae hujusmodi Syndici, seu Procuratores posse noscuntur de consuetudine, vel de jure, plenam, et liberam, auctoritate praedicta tenore praesentium, facultatem et potestatem concedentes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae susceptionis, declarationis, et concessionis infringere etc.

Datum Bononiae Anno I. D. 1437. quarto idus Julii Pontificatus Nostri Anno 7.

Sixtus IV. concedit Monasterium S. Petri Montis Aurei Ordini FF. Minorum Observantium.

SIXTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilectis Filiis Amadeo Hispano Ordinis Fratrum Minorum, Professori, et Fratribus ejusque Amadei Sociis Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Sacrae zelus Religionis, sub qua mundanis abdicatis illecebris in humilitatis studio, et sub regulari observantia virtutum Domino sedulum, et devotum impenditis famulatum, ac vitae sanctimonia promeremini, ut Apostolicae Sedis vos benignis favoribus confoveamus et specialibus gratiis prosequamur. Cum itaque sicut accepimus Monasterium Sancti Petri in Montorio de Urbe in Transtyberi, ubi dicitur Sanctum Petrum Principem Apostolorum martyrium in cruce suscepisse, vacet ad praesens, ac tanto tempore vacaverit, quod ejus colla-

tio juxta Lateranensis statuta Concilii est ad Sedem praedictam legitime devoluta, licet per aliquas Moniales S. Benedicti, quae omnes sunt defunctae per aliquos annos proxime praeteritos fuerit habitatum. Nos cupientes dicto Monasterio salubriter providere, ad vos sub regulari observantia viventes, et dicti Ordinis zelo, et vitae sanctimonia apud nos laudabiliter commendatos, oculos nostros dirigentes, ac Ordinem cujuscumque Ordinis sit in eo supprimentes, ac penitus exstinguentes motu proprio non ad vestram, vel alterius pro vobis, nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, Monasterium praedictum, cujus fructus, redditus, et proventus nulli, vel modici sunt, quocumque modo vacet, quem nos hic haberi volumus pro expresso, ac a quocumque Monasterio dependeat cum Ecclesia, et aedificiis, ac omnibus juribus, et pertinentiis suis vobis pro usu, et habitatione vestra, et per vos praesentes, ac alios pro tempore existentes perpetuo tenendum, et inhabitandum auctoritate Apostolica tenore praesentium concedimus pariter, et assignamus. Ita quod ex nunc liceat vobis per vos, vel alium, seu alios corporalem possessionem Monasterii, Ecclesiae, aedificiorum, juriumque, et pertinentiarum praedictorum propria auctoritate apprehendere, ac in illo Campanile, ac Campanam habere, necnon illud, et Ecclesiam, et aedificia sua praedicta reficere, et ampliare, seu refici, et ampliari facere, et perpetuo inibi residere, ac dicti Monasterii fructus, redditus, et proventus hujusmodi in vestros, vel praedictae Ecclesiae usus, et eleemosynam convertere libere, et licite cujuslibet alterius super hoc licentia minime requisita, jure tamen Parochialis Ecclesiae, et cujuslibet alterius aliis in omnibus semper salvo. Non obstante fel. rec. Bonifacii Papae VIII. praedecessoris nostri, ordinatione qua prohibentur nostri fratres dicti Ordinis in aliqua Civitate, Castro, vel Villa, seu alio loco quocumque domum, sive locum de novo capere, seu construi facere praesumant, absque Sedis Apostolicae licentia speciali, faciente plenam et expressam et de verbo ad verbum de prohibitione hujusmodi mentionem, et quibusvis aliis Constitutionibus, et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae suppressionis, extinctionis, concessionis, assignationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae 1472. 14. Kalendas Julii Pontificatus nostri Anno primo.

Sixtus IV. De Collegio Avenionensi de Ruvere *nuncupatum plura statuit.*

SIXTUS PAPA IV.

Sacrosancta Romana Ecclesia humiles et devotos filios praesertim litterarum studiis intendentes ex assuetae pietatis officio benigne prosequens ne indebitis exactionibus vel molestiis agitentur et inde ab eorum studio distrahantur consuevit illos specialis suae Protectionis munimine confovere, et iis per quae animarum suarum saluti pie consulitur quantum cum Deo potest annuere favore gratioso. Hinc est quod nos dilecti filii nostri Juliani tit. S. Petri ad Vincula Presbyt. Card. supplicationibus inclinati, Collegium de *Ruvere* nuncupatum Avenion. per ipsum Cardinalem *pro triginta sex scholaribus* inibi studio *juris Canonici vel civilis* operam daturis, inter quos unus Rector et quatuor Presbyteri Capellani qui etiam studio hujusmodi intendentes in Capella in eadem domo ad honorem S. Petri ad Vincula construenda, Missas et alia celebrarent officia divina, foret fundatum et erectum ut scholares ipsi eo libentius studio hujusmodi vacare valeant, quo potioris immunitatis privilegio fuerint communiti una cum illis unitis annexis et incorporatis ac pro tempore forte uniendis annectendis et incorporandis Monasteriis, Prioratibus, Praeposituris, dignitatibus, Personatibus, administrationibus et officiis aliisque beneficiis Ecclesiasticis saecularibus et ordinum quorumcumque regularibus *cum cura*, *et sine cura* ac Rectore et Scholaribus praedictis aliisque ipsius Collegii et Monasteriorum, Prioratuum, Praepositurarum, dignitatum, personatuum, administrationum, officiorum et beneficiorum hujusmodi personis, rebus, juribus et pertinentiis universis tam mobilibus quam immobilibus praesentibus et futuris *ab omni ordinaria* et quorumcumque Superiorum ac aliorum officialium et Commissariorum jurisdictione, subjectione, potestate et dominio, nec non *a solutione donorum* etiam charitativorum, subsidiorum et aliarum exactionum quarumcumque per Archiepiscopum Avenionen. et alios quoscumque quacumque auctoritate et occasione exigendorum seu imponendorum, ipsosque Rectorem et scholares, ac alias personas dicti Collegii a *juribus Parrochialis Ecclesiae* et Rectoris ejusdem pro tempore existentis auctoritate Apostolica et certa scientia tenore praesentium prorsus *eximimus et perpetuo liberamus*, ac sub B. Petri atque nostra protectione suscipimus; *Nobisque et Successoribus nostris Romanis Pontificibus canonice intrantibus et dictae Sedi dumtaxat immediate volumus subjacere.* Ita quod Archiepiscopus Avenionen., Superiores officiales, et Commissarii praefati aut alia quaevis persona saecularis, regularis, ecclesiastica vel

mundana quacumque praefulgeat dignitate, ratione delicti vel contractus aut rei de qua agitur, ubicumque committatur delictum ineatur contractus vel res ipsa consistat seu alias quavis occasione vel causa contra Collegium nec non Monasteria, prioratus et Praeposituras praedicta aliorumque beneficiorum praedictorum loca, Rectorem, scholares, personas, res, bona, jura et pertinentias praed. utpote prorsus exempta quovis modo procedere aut in eos, eas vel ea excommunicationis, suspensionis aut interdicti seu alias quasvis sententias, censuras, et poenas infligere seu promulgare aut jurisdictionem, potestatem seu dominium aliquod exercere nequeant. Sed dumtaxat coram dicta Sede vel delegatis ejus teneantur de justitia respondere, decernentes omnes processus nec non sententias, poenas et censuras hujusmodi et quidquid contra praemissa a quoquam quavis auctoritate attentari contigerit nullius fore roboris vel momenti, eisdem auctoritate, scientia, et tenore concedentes insuper dictis quatuor Presbyteris sive Capellanis, quod in Capella praedicta Missas et alia divina officia celebrare ac Rectoris et Scholarium ac aliarum personarum ipsius Collegii praedictorum confessiones audire, et eos ab omnibus et singulis eorum peccatis et excessibus propter quae tamen Sedes Apostolica non fuerit merito consulenda absolvere ac eis poenitentiam salutarem et alia quae de jure fuerint injungenda injungere, nec non Eucharistiae, et Extremae Unctionis ac ecclesiasticae sepulturae etiam in locis ipsius Collegii ad hoc deputatis Sacramenta ministrare perpetuis futuris temporibus libere et licite valeant, Dioecesani loci ac Rectoris Parrochialis Ecclesiae hujusmodi necnon alterius cujuscumque licentia super hoc minime requisita. Et nihilominus Ven. Fratribus Archiep. Aquen. et Carpent. et Zemonicen. Episcopis per Apostolica scripta mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum Collegiorum Rectori, scholaribus, et personis praefatis super praemissis omnibus et singulis per se vel alium seu alias efficacis defensionis praesidio assistentes ac praemissa ubi et quando expedire videbitur fuerintque desuper legitime requisiti solemniter publicantes faciant eos praemissis omnibus et singulis perpetuis futuris temporibus pacifice gaudere illaque inviolabiliter observari, non permittentes eos super illis indebite molestari, contradictores auctoritate nostra appellatione compescendo non obstantibus fel. record. Innocentii IV. et Bonifacii VIII. Rom. Pontific. praedecessorum nostrorum, illa praesertim qua cavetur ne quis extra suam Civitatem vel diaecesim nisi in certis exceptis casibus et in illis ultra unam dietam a fine suae diaecesis ad judicium evocetur seu ne judices a Sede praedicta deputati extra Civitatem et diaecesim quibus deputati fuerint contra quoscumque procedere aut alii vel aliis vices suas committere praesumant et de duabus dietis in Concilio Generali et aliis Apostolicis Constitutionibus nec non Monasteriorum, Priora-

tuum, Ecclesiarum, locorum, et ordinum praedictorum juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus contrariis quibuscumque, seu si pro tempore existente Archiepiscopo Avenion. Superioribus Officialibus, Commissariis et Parrochialis Ecclesiae Rectori praefatis vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari aut extra vel ultra certa loca ad judicium evocari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum hujusmodi mentionem et qualibet alia dictae Sedis Indulgentia generali vel speciali cujuscumque tenoris existat per quam praesentibus non expressam vel non totaliter insertam effectus earum impedire valeat quomodolibet vel differre et de qua cujusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae exemptionis, liberationis, susceptionis, voluntatis, expressionis, constitutionis et mandati infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo quadringentesimo septuagesimo septimo die 13. Augusti Pontificatus nostri anno sexto.

Leo X. statuit ut Graeci Venetiis Ecclesiam propriam habeant.

LEO PAPA X.

Dilectis Filiis Nobilibus, Mercatoribus, et aliis hominibus, et Personis Graecis in Civitate Venetiarum commorantibus, et pro tempore in posterum commoraturis,

Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Pro parte vestra Nobis nuper expositum fuit, quod licet plerique vestrum ob Tyrannidem et invasionem Turcarum, qui optimam Graeciae partem retinent occupatam, ab ipsa patria vestra profugi, in Civitate Venetiarum non in parvo numero degatis: Tamen in eadem Civitate nullam nationis neque Ecclesiam habeatis praeter quoddam Altare, Cappellam nuncupatum, situm in Ecclesia Sancti Blasii Venetiarum, in quo Missas, et alia Divina officia juxta Ritus vestros ab aliquot annis celebrare facere, et audire consuevistis. Cujus quidem Altaris spatium sive amplitudo non est ex vestris tot hominum isthuc

quotidie confluentium capax; et etiam quia dicta Ecclesia Sancti Blasii Latinorum propria est, vos ibi Missas, et alia divina Officia, aut nullo modo, aut extra tempus, et incommode audire cogimini; Idcirco per vos pro Divini cultus augmento, et vestra in divinis audiendis majori commoditate, et animi attentione atque quiete unam Ecclesiam sive Capellam, in eadem Civitate, sub invocatione Sancti Georgii Martyris, ad quem singularem gentis devotionis affectum, in aliquo loco, et praesertim a Civitatis Dominio Urbis assignato ad id idoneo a fundamentis construi facere, illamque libris, Calicibus, Crucibus, Vestibus Sacerdotalibus, Sacramentis, aliisque ad divinum cultum necessariis ornamentis fulcire, et ornare vestris sumptibus desideretis: super quo nobis de opportuna licentia humiliter supplicari curastis. Nos hujusmodi supplicationibus inclinati, vobis dictam Ecclesiam seu Capellam cum campanili, campanis, caemeterio, et aliis officinis sub dicta invocatione Sancti Georgii Martyris in eadem Civitate Venetiarum in aliquo loco, ut praefertur, assignato et idoneo, construi faciendi ac unum Praesbyterum Graecum ad nutum vestrum amovibilem, qui ibi quotidie, vel diebus per vos statuendis, Missas celebrare, vobisque et pro tempore in dicta Civitate hominibus et personis dictae Nationi quaecumque Ecclesiastica Sacramenta juxta vestros Ritus ministrare possit, deputandi tenore praesentium, licentiam et facultatem concedimus: dictamque Ecclesiam, ac illi pro tempore servientem Presbyterum praedictum, cum omnibus et singulis suis bonis tam spiritualibus, quam temporalibus ab omni Ordinarii Loci jurisdictione, superioritate et Dominio perpetuo eximimus, ac Nobis et Sanctae Sedi Apostolicae sub annuo censu in recognitionem veri Dominii quinque librarum cerae candidae immediate subiicimus. Non obstantibus Constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, ac Privilegiis contra exemptos, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 3. Junii 1514. Pontificatus nostri anno secundo.

Leo X. mittit Praelatum Domesticum ad pertractandum cum Duce Moscoviae ac Russiae de illius Gentis conversione.

LEO PAPA X.

Nobili viro Basilio Duci Moscoviae et Russiae Principi.

Nobilis vir gratiam in praesenti per quam veritate agnita gloriam obtineas in futurum.

Postquam Nobis per fide dignos relatum fuit Nobilitatem tuam Divino instinctu motam id animo agitare, ut ad unionem, et obedientiam S. R. E. a cujus gremio, et sinu Ipsa cum terris, dominiis, et omnibus subditis Suis per multos annos separata mansit, nunc tandem redeat, ac discussis tenebris, orthodoxae fidei, veraeque doctrinae lumini adhaereat, commota sunt prae gaudio cordis nostri viscera, magnasque Omnipotenti Deo gratias egimus, ut assiduis precibus nostris annuendo fidem Suam in dies augere, humanasque mentes illuminare, et ad salutis viam reducere dignetur. Cum summo itaque desiderio cupiamus bonos, ac sanctos inceptus tuos, quantum in Nobis est juvare, ac potentes vires tuas nostris adjungere, ut obstinatis Christi nominis hostibus bello superatis, Christianaque Fide per omnes mundi partes dilatata, falsisque Idolorum superstitionibus dirutis, atque sublatis, unus Pastor, et unum ovile fiat, id quod Divina Prophetarum oracula Nobis jamdiu praedixerunt, ac nostris temporibus fore pluribus, ac certis speramus indiciis, Venerabilem Fratrem Zachariam Episcopum Gardien. Praelatum Domesticum, et Referendarium, secretum Nuncium Nostrum singularis prudentiae, integerrimaeque fidei Virum ad partes istas destinandum duximus, eique in mandatis dedimus, ut nonnulla (maxime ad utilitatem et salutem tuam, ac honoris augmentum, et status tui firmitatem pertinentia) tecum nostro nomine communicet, ac tuam voluntatem clarius, ac plenius exploret, Nosque de ea certiores quamprimum reddat. Cum non aliter quam Nobis ipsis integram fidem prestabis, eique omnia cordis tui arcana tuto, ac secure manifestabis, Nos autem Christum verum Deum, qui Te, ac universum genus humanum pretiosissimo Sanguine Suo redemit devote rogabimus ac rogari faciemus, ut mentem tuam illuminare, ac gressus tuos dirigere dignetur, ut omnibus posthabitis, ejus fidem una cum toto Ducatu, ac subditis tuis omnibus amplecti festines, ac properes; quod si ut in Domino speramus, et optamus feceris, talibus gratiis, honoribus, ac praerogativis te prosequemur, ut re ipsa intelligas, Nos Te ut insertum, et adoptivum, sed

tamquam verum, et peculiarem filium nostrum diligere, continueque in visceribus Christi gerere.

Datum Romae 16. Sept. 1519. anno septimo.

L. Card. Sanctorum 4.

Leo X. Commissarium mittit ad plura Graecorum loca ut quae contra ritum Graecum facta fuerant reparentur.

Dilecto Filio Theodoro Spondognino Patritio Constantinopolitano Familiari et Commissario Nostro.

LEO PAPA X.

Dilecte Fili Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Cum nuper ex querela quorumdam Presbyterorum Laicorum Graecorum ex Cephaloniae, Zacynthi, Cretae, Cypri, ac pluribus aliis Insulis, et locis Graeciae Regionis, nec non Antibari, et Budua Civitatibus, ac Regno Neapolitano, et Sicilia, et pluribus aliis Graeciae, et Italiae Regionibus oriundorum acceperimus nonnullos Episcopos, Archiepiscopos, Praelatos, Principesque, ac Primates Romanae sive Latinae Nationis in partibus, et Regionibus praedictis degentes, sive commorantes super ritu, observantiis, ac aliis Graecorum institutis per Concilium Florentinum dudum approbatis, et forsan a Sede Apostolica alias concessis, seu innovatis quamplures Clericos, et Presbyteros, et alias saeculares personas Graecae Nationis molestasse, et impedivisse, ac molestare, et impedire etiam de praesenti: Et in primis quod ipsi Archiepiscopi, Episcopi, Principes et Praelati nulla desuper Apostolica facultate muniti contra observantiam, et vetustum Graecorum Ritum quamplures dictae Nationis Graecae in Antibari, et Budua Civitatibus praedictis Graecorum more prius baptizatos de novo latino Ritu baptizari coegerunt, et insuper quod nonnulli Dei timore postposito, animarumque suarum salute penitus neglecta, plura beneficia Ecclesiastica, aliaque Pia Loca, et eorum bona occupata, et sine ullo jussu, et legitimo titulo detinent fructus ipsorum in proprios, et quos voluerunt, et volunt usus convertendo, necnon quamplurimi Praelati, tam Graeci quam Latini quasdam angarias, et alia insueta onera subdita curae, et administrationi suae, sive alias subjecta, imponunt; et quod auditu indignum, et ab omnibus improbandum est, Eucharistiam, aliaque Divina Sacramenta debitis, et aliis temporibus pie ac devote sumere volentibus denegare, ac Defun-

ctorum corpora ecclesiasticae tradi sepulturae, nisi aliqua pecunia sibi prius erogata, vetare praesumunt. Quod sane contra Sacros Canones, et Sanctorum Dogmata Patrum existit. Cum Eucharistia et Sacramenta hujusmodi pro salute animarum, et non lucri spe, ministranda sint. Quodque tam in Regno Neapolitano, quam in plerisque aliis locis nonnulli Statioti nuncupati Clerici, et Laici quadragesimas, et jejunia secundum Graecorum instituta ordinataque pervertunt, et modo a Latino in Graecum, modo a Graeco in Latinum ritum, et dogma se transferunt in animarum suarum exitium, et pessimum aliorum exemplum, multaque alia facere ac perpetrare, quae conniventibus oculis minime pertranseunda sunt, non verentur. Quocirca cupientes Nationem ipsam Graecam in observantiis, ritibus, et institutis suis praedictis pacifice, et quiete vivere, quaedam nuper Decreta, atque Ordinamentum desuper per quasdam nostras in forma Brevis literas sub datum Romae die 18. Maii 1521. Pontificatus Nostri anno nono, edidimus, quae debitae executioni prout par est demandari, atque per dictas partes, et Regiones intimari volentes; Te qui de fide, integritate, ac rerum usu apud nos saepius comprobatus fuisti ad intimandum, et exequendum decreta, et litteras praedictas, nec non ad nonnulla circa praemissa exequenda Nuntium, et Commissarium Nostrum harum serie facimus, constituimus, et deputamus; hortantes, et Paterne requirentes universos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, et alios Praelatos, necnon Conventus, et cujusvis Ordinis Religiosos, et quoscumque Duces, Marchiones, Dominos, Barones, et alias publicas, et privatas personas, ut decreta, et literas hujusmodi, ac omnia in eis contenta quaecumque debito suscipientes honore per loca sua abs te requisiti fuerint juxta earumdem formam, et tenorem literarum, prout par est inviolabiliter servari faciant, et mandent; Tibique ad infrascripta favorabiliter assistant. Et nihilominus tibi per praesentes committimus, et mandamus, ut te personaliter ad loca ubi haec perpetrata sunt, sive patrari intellexeris, accedas, et circa Praelatos, et personas ecclesiasticas praedictas tecum persona ecclesiastica, et idonea adhibita juxta arbitrium tuum de praemissis te diligenter informabis, et comperto praemissa vera esse Praelatis praedictis, quod infra terminum, quem eis vel alicui ipsorum personam Ecclesiasticam per te eligendi, praefigendi sub censuris, et poenis ecclesiasticis personaliter, et non per Procuratorem, aut executorem coram Nobis comparere, et absque licentia nostra minime discedere debeant, mandari, et praecipi facias; quod si mandatis hujusmodi obtemperare recusaverint, quod non credimus, contra ipsos processum formari, ad nosque illum fideliter, et manu publici Notarii subscriptum, ac ipsius personae ecclesiasticae sigillo obsignatum, quamprimum mitti procures, ut auctore Domino ad dictarum, et aliarum poenarum declara-

tionem contra eos, et per viam contradictarum procedi facere valeamus; volumus insuper, et tibi etiam mandamus, ut de omnibus Beneficiis ecclesiasticis in dictis locis ad quae te declinare contigerit notam, et veram descriptionem, et annuum valorem fructuum eorumdem capias, et ad Nos tecum reportes sive transmittas, Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, Statutis, et consuetudinibus, Privilegiis quoque Indultis et Litteris Apostolicis, quibus omnibus illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque, aut si alicui ex praedictis cujusvis ordinis, status, gradus, et conditionis existenti communiter, vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Litteras Apostolicas, non facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem, et nihilominus universis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, et aliis personis in quacumque dignitate Ecclesiastica existentibus per haec scripta sub suspensionis a Divinis, Praelatis scilicet majoribus, aliis vero personis sub excommunicationis latae sententiae poenis mandamus quatenus tibi in praemissis exequendis nullum impedimentum aut molestiam inferant, seu conferri permittant; Quinimo tibi assistant, et auxilium, consilium vel favorem praestent, in quo etiam Nobis rem gratam, et Sedi Apostolicae honorificam facient.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 4. Julii 1521. Pontificatus Nostri anno nono.

Clemens VII. nonnulla decernit ne Graeci Latinorum Episcoporum jura violent.

CLEMENS PAPA VII.

Venerabilis Frater et Dilecti Filii Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Cum sicut Nobis nuper exponi fecistis Presbyteri Graeci insulae Cephalonien. praetextu quarumdam litterarum Brevis fel. rec. Leonis Papa X. Praedecessoris nostri, per quas dudum idem Praedecessor Archiepiscopis, Episcopis et Presbyteris Graecis in Regno Neapolitano ultramare constitutis, ut in celebratione Missarum, et aliorum divinorum officiorum, ac administratione Sacramentorum ac eorum Ritibus ab Archiepiscopis, Episcopis Latinis, aut eorum Vicariis molestari non possent concessisse dicitur jurisdictionem et praeeminentias ac jura vestra usurpare, et se ab obedientia vestra subtrahere nitantur et

praesumant, ac regalia vobis debita solvere recusent in non modicum vestrum praejudicium, et detrimentum, Nobis humiliter supplicari fecistis ut vobis super his providere paterna diligentia dignaremur. Nos igitur quorum est unicuique quod suum est conservare volentes dispendiis vestris in praemissis occurrere hujusmodi supplicationibus inclinati vobis quod praetextu litterarum Leonis Praedecessoris hujusmodi dicti Graeci observando eorum ritus hujusmodi ab observata consuetudine, et obedientia vestra se subtrahere, aut jurisdictioni et juribus vestris in aliquo detrahere, seu vos quomodolibet desuper molestare vel perturbare nequeant, sed regalia solvere et onera subire, quae antea solvere, et subire erant soliti, debeant, et teneantur auctoritate Apostolica tenore praesentium indulgemus, districtius inhibentes eisdem Graecis sub excommunicationis latae sententiae poena, ne in praejudicium et abrogationem et diminutionem superioritatis, et jurium vestrorum quicquam attentare seu innovare praesumant, ac decernentes irritum et inane quidquid secus attentari contigerit; Hortantes nihilominus et attentius requirentes dilectum Filium Nobilem Virum Andream Griti Ducem Venetiarum ut vos commendatos suscipiat, ac vobis favoribus benevolis efficaciter assistat, sic ut quietis amaenitate fruamini jura vestra valeant salubriter observari, non obstantibus praemissis caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 15. Julii 1525. Pontificatus Anno Secundo.

Clemens VII. de Ecclesia S. Annae Anconae Confraternitati Graeci Ritus tribuenda constituit.

CLEMENS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex injuncto nobis desuper Apostolicae servitutis officio . . . cum parochialis ecclesia S. Mariae, alias S. Annae Portae Cyprianae per liberam resignationem dilectissimi Filii Bernardini de Pernoctis, nuper illius ecclesiae Rectoris . . . vacaverit . . . ut sicut exhibita . . . pro parte dilectoru m filiorum universorum fratrum confraternitatis societatis nuncupatae mercatorum, et aliarum personarum nationis Graecae in dicta ecclesia instituta, petitio continebat si praefata ecclesia eidem Confraternitati perpetuo uniretur, annecteretur, et incorpo-

raretur, dicti confratres in ipsa ecclesia Missas et alia divina officia liberius celebrare et piis operibus exercendis commodius intendere possent, ac eidem ecclesiae laudabiliter in divinis deservire facere studerent . . . pro parte tam Bernardini quam confratrum praedictorum asserentium fructus, reditus, et proventus dictae ecclesiae viginti quatuor Ducatorum auri de camera secundum communem extimationem valorem annuum non excedere, nobis fuit humillime supplicatum ut ecclesiam praedictam eidem Confraternitati perpetuo unire, annectere et incorporare dignaremur. Nos igitur . . . Bernardinum asserentem se ad ipsam Confraternitatem singularem gerere devotionis affectum et Confraternitatem praedictos a quibusvis etc. . . . ecclesiam praedictam . . . cum omnibus juribus et pertinentiis suis eidem Confraternitati . . . petpetuo unimus, annectimus etc. . . . ita quod liceat confratribus Confraternitatis praedictae . . . corporalem possessionem ecclesiae, juriumque et pertinentiarum praedictarum propria auctoritate apprehendere et retinere, illiusque fructus, reditus et proventus in ecclesiae et Confraternitatis hujusmodi usus et utilitatem convertere, necnon eidem ecclesiae per unum praesbyterorum idoneum ad vestrum nutum ponendum et amovendum in divinis deservire, et animarum dilectorum filiorum parochianorum dictae ecclesiae curam exercere facere etc.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnat. Dominicae 1531. Pontificatus Nostri anno VIII.

Paulus III. ea servari statuit circa Graecos, quae Praedecessores RR. Pontifices decreverant.

PAULUS PAPA III.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dudum per fel. rec. Leonem Papam Decimum Praedecessorem nostrum, accepto quod licet antea in Concilio Florentino sub piae mem. Eugenio Papa Quarto etiam Praedecessore Nostro celebrato, in quo inter alios Principes et Praelatos, Imperator tunc Graecorum et quamplurimi Praelati Nationis Graecae pro unione facienda de Orientali Graecorum cum Romanis Ecclesiis, res tamdiu a Praedecessoribus Nostris Romanis Pontificibus, ac tota Christiana Republica desiderata, interfuerant; inter alia Nationem praedictam in quibusdam ejus ritibus et observantiis, quae non imputantur haeresi permanere, et ejus Presbyteros in fermentato celebrare, ac sub alia forma quam Romana baptizare, videlicet, baptizat Servus Dei in nomine Patris, et

Filii, et Spiritus Sancti, Amen; ac ordinatos in Sacris matrimonio ante ipsorum Sacrorum Ordinum susceptionem per eos contracto uti, ac barbam nutrire, et Venerabile Sacramentum sub utraque specie omnibus etiam pueris ministrari posse per dictum Concilium statutum, et ordinatum, ac decretum sive permissum fuisset; tamen Ordinarii Locorum Latini ipsam Nationem super dictis ritibus et observantiis in Locis, ubi dicti Graeci morabantur, quotidie molestabant, cogentes eorum pueros, ac alios eorum more baptizatos, iterum more Romanae Ecclesiae baptizari; ac prohibentes dictum Sacramentum sub utraque specie ministrari et in fermentato celebrari. Dictus Leo Praedecessor Noster motu proprio, et ex certa ejus scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, tam Praelatis, quam aliis personis Nationis Graecae, ac eorum cuilibet, ut eorum ritibus, et observantiis, sive consuetudinibus, ut praemittitur, uti, ac illos et illas observare, Missasque et alia Divina officia secundum eorum antiquam consuetudinem celebrare, nec non Archiepiscopis, Episcopis, et aliis Praelatis Graecis, et inter eosdem Graecos, ubi Archiepiscopi, Episcopi, et alii Praelati Latini jurisdictionem haberent, Pontificalia officia libere exercere, ac a suis ordinariis officiis Ecclesiasticis, ac Piis Locis, et Oratoriis super hujusmodi rituum observantia per latinos Antistites Praelatos, etiam Locorum Ordinarios, ac Dominos temporales, et Magistratus saeculares in judicium, vel alias inviti minime trahi, nec non quicumque Clerici Graeci ac aliae personae Graecae Nationis undecumque venientes in Locis, ubi Archiepiscopi, et Episcopi ac alii Praelati Latinorum, ac Domini temporales essent ab ipsis tam Graecis quam Latinis eleemosynas petere, et recipere libere, et licite possent, concessit. Quodque nullus Archiepiscopus, et Episcopus, etiam Ordinarius, Clericos Graecos ad Sacerdotium promovere valerent, et in Dioecesi ubi Latini et Graeci inhabitarent, ipse Ordinarius circa negotia, et causas dictorum Graecorum Vicarium Graecum ipsis Graecis gratum, vel per ipsos Graecos eligendum, eorum stipendio et salario detinendum, deputare, ac in causis appellationum ad Metropolitanum, qui forsan Graecus non esset, interpositarum, ipse Metropolitanus similiter in eisdem appellationum causis Judicem Graecum deputare teneretur, et quod Sacerdotes Latini ex tunc deinceps Missas, et alia Divina Officia in Ecclesiis eorumdem Graecorum celebrare, et Magistratus ipsis Sacerdotibus Latinis auxilium vel favorem desuper praestare, et aliquos ritus, vel caeremonias Graecorum in dicto Concilio, vel aliter approbatos, blasphemare, reprobare, vel improbare, et ubi duo unus Latinus et alter Graecus ejusdem loci, prout in Cephalonia, et Zacintho, et forsan alibi, essent Episcopi, Episcopus Latinus de personis Ecclesiasticis, et Saecularibus Graecis, ac de jurisdictione Episcopi Graeci, vel aliis quibuscumque ad Episcopum Grae-

cum quomodolibet spectantibus se intromittere nullatenus posset, aut praesumeret, sed Episcopus Latinus Latinorum, Episcopus vero Graecus Graecorum dumtaxat curam, regimen, et jurisdictionem respective haberent, et exercerent. Quodque Presbyteri, et Clerici Latini in Ecclesiis Graecorum nec celebrare, nec funeralibus, nuptiis, aut baptismis, vel aliis Graecorum actibus publicis, et privatis interesse, aut immiscere se, nisi ad hoc specialiter per ipsos Graecos vocati forent, auderent vel praesumerent, et Clerici ac Presbyteri Saeculares, et Monachi Graecorum, eorumque Ecclesiae, Monasteria, et bona quaecumque omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, indultis, ac gratiis, quibus Clerici, Presbyteri, et Monachi Latini, eorumque Ecclesiae, Monasteria, et bona quaecumque de jure, aut consuetudine, vel alias quomodolibet potiebantur, et gaudebant, ac uti, potiri, et gaudere poterant in futurum, nec non Abbates, et Monachi Graeci, eorumque Monasteria, Loca et bona quaecumque omnibus, et singulis privilegiis, exemptionibus, indultis, praerogativis, et gratiis in Bulla *Mare magnum* nuncupata contentis, et fratribus ordinis minorum regularis observantiae, eorumque Monasteriis, locis, aut Conventibus, tam per dictam Bullam, quam alias quomodolibet concessis, et concedendis uti, potiri, et gaudere libere, et licite possent, nec viduae Presbyterorum vel Clericorum Graecorum in castitate juxta ritum Graecorum viventes eisdem immunitatibus, exemptionibus, et privilegiis, quibus viventibus earum viris Presbyteris seu Clericis gaudere poterant, gauderent, et potirentur concessit, decrevit, et declaravit, et ita per Archiepiscopos, Episcopos, et alios Praelatos, ac Presbyteros, et Clericos Latinos inviolabiliter observari, eisque de quibuscumque aliis videlicet Praelatis majoribus sub suspensionis a Divinis, aliis vero inferioribus sub excommunicationis latae Sententiae, et privationis Beneficiorum Ecclesiasticorum, quae obtinerent, et perpetuae inhabilitatis ad alia in posterum obtinenda ipso facto per quemlibet contrafacientem incurrendis poenis praecipiendo mandavit, quatenus praemissa omnia, et singula inviolabiliter observentur, et sic per quoscumque Judices in Romana Curia, vel extra eam in quacumque instantia judicari, sententiari, ac definiri debere, sublata eis, et eorum cuilibet aliter judicandi, sententiandi, ac diffiniendi facultate, irritum et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decrevit per quasdam ejus in forma Brevis litteras certis desuper executoribus deputatis prout in eisdem literis, quarum transumptis fidem adhiberi voluit, plenius dicitur contineri. Cum autem sicut accepimus nonnulli praetextu quod dictae literae per nos revocatae fuerint, praefatos Graecos contentis in ipsis litteris gaudere non permittant; Nos volentes in hoc opportune providere universis et singulis Archiepiscopis, Episco-

pis, Abbatibus, ac in dignitate Ecclesiastica constitutis personis, ac Canonicis quarumcumque Metropolitanarum, et aliarum Cathedralium Ecclesiarum ubilibet constitutis ipsorumque Archiepiscoporum, et Episcoporum Officialibus, ac Vicariis in spiritualibus generalibus per praesentes committimus, et mandamus, quatenus ipsi vel plures, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios auctoritate nostra faciant praedictas, et praesentes litteras, ac in eis contenta quaecumque plenum effectum sortiri, illosque omnes, et singulos quos quomodolibet concernunt pacifice frui, et gaudere, nec permittant quemcumque contra litterarum earumdem tenorem quomodolibet molestari, impediri, aut inquietari. Contradictores quoslibet, et rebelles per praedictas, et alias quascumque, et quibus eis placuerit, censuras, et poenas, appellatione postposita, compescendo, et auxilium Brachii saecularis ad hoc si opus fuerit invocando, necnon alia quaecumque in praemissis et circa ea quomodolibet necessaria et opportuna faciendo, non obstantibus recol. mem. Bonifacii Papae VIII. similiter Praedecessoris Nostri etiam de una, et in Concilio generali de duabus Dietis edita, dummodo non ultra tres Dietas aliquis auctoritate praesentium non trahatur, aliisque Apostolicis ac Provincialibus, et Synodalibus Constitutionibus, et Ordinationibus, ac statutis et consuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, ac literis Apostolicis, etiam in forma Brevis, per quoscumque Romanos Pontifices Praedecessores nostros, ac nos, et Sedem Apostolicam, etiam motu proprio, et ex certa scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, et cum quibusvis irritativis, annullativis, cassativis, revocativis, praeservativis, exceptivis, restitutivis, declarativis, mentivis, attestativis, ac derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis quomodolibet etiam pluries concessis, confirmatis et innovatis, quibus etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, illorumque totis tenoribus, specialis et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alias expressio habenda, aut exquisita forma servanda foret, et in eis caveatur expresse, quod illis nullatenus derogari possit, illorum omnium tenores praesentibus pro sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis, nec non modos, et formas ad id servandas pro individuo servatis habentes hac vice dumtaxat, illis alias in suo robore permansuris harum serie specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae 23. Decembris 1534. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Paulus III. In favorem conversorum ad Fidem in Indiis Occidentalibus plura decernit.

PAULUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Venerabilibus Fratribus universis Episcopis Occidentalis et Meridionalis Indiae Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Altitudo divini consilii etc. Et ut hujusmodi novellae plantationes, quantae dignitatis sit lavacrum regenerationis, quantumcumque ab illis lavacris, quibus antea in sua infidelitate utebantur, differat, non ignorent; statuimus, ut qui in posterum extra urgentem necessitatem Sacrum Baptisma ministrabunt, ea observent, quae a dicta Ecclesia observantur, oneratis super hac tali necessitate conscientiis eorum, extra quam quidem necessitatem in Sacro Baptismo haec quatuor observentur. Primum, aqua sacris actionibus sanctificetur. Secundum, Catechismus et Exorcismus fiat singulis. Tertium, sal, saliva, capella, et candela ponatur duobus vel tribus pro omnibus utriusque sexus tunc baptizandis. Quartum, Chrisma ponatur singulis in vertice capitis, et oleum Cathecumenorum ponatur super cor viri adulti, puerorum et puellarum, adultis vero mulieribus ponatur in illa parte, quam ratio pudicitiae demonstrabit. Super eorum vero matrimonium hoc observandum decernimus, ut qui ante conversionem plures juxta eorum mores habebant uxores, et non recordantur, quam primo acceperint, conversi ad Fidem, unam ex illis accipiant, quam voluerint, et cum ea Matrimonium contrahant per verba de praesenti, ut moris est; qui vero recordantur, quam primo acceperint, aliis dimissis, eam retineant. Ac eis concedimus, ut conjuncti etiam in tertio gradu tam consanguinitatis, quam affinitatis, non excludantur a Matrimoniis contrahendis donec S. Sedi super hoc aliud visum fuerit statuendum. Et circa abstinentiam ab illis suscipiendam etiam statuimus, quod in Vigilia Nativitatis, et Resurrectionis Domini Nostri, et omnibus sextis Feriis Quadragesimae jejunare teneantur, ceteros vero jejuniorum dies eorum beneplacito propter eorum ad novam ad Fidem conversionem, et ipsius gentis infirmitatem permittimus, ita quod jejunium repugnans, vel non bene quadrans officio vel exercitio alicujus non censeatur illi ab Ecclesia praeceptum. Eisque etiam concedimus, quod quadragesimalibus et aliis temporibus anni prohibitis lacticiniis, ovis, et carnibus tunc temporis dumtaxat vesci possint, cum caeteris christianis ob aliquod sanctum opus obeundum similibus

cibis vesci posse a Sede Apostolica pro tempore fuerit concessum. Dies autem in quibus volumus eos ab operibus servilibus cessare, declaramus esse omnes dies Dominicos, ac Nativitatis, Circumcisionis, et Epiphaniae, Resurrectionis, et Ascensionis, ac Corporis ejusdem Domini Jesu Christi, et Pentecostes, nec non Nativitatis, Annunciationis, Purificationis, et Assumptionis gloriosae Dei Genitricis Virginis Mariae, ac BB. Petri et Pauli ejus Coapostoli. Ceteros vero dies festos ex causis supradictis illis indulgemus. Et insuper considerantes maximam ipsius Indiae Occidentalis, et Meridionalis a Sede Apostolica distantiam, tam vobis, qui in partem Apostolicae solicitudinis assumpti estis, quam iis, quibus super hoc vices vestras, auctoritate per nos super hoc concessa, specialiter duxeritis committendas, omnes noviter conversos praedictos in quibuscumque Sedi Apostolicae reservatis casibus, etiam in Literis in die Caenae Domini legi consuetis, nihil nobis de illorum absolutionibus reservantes, auctoritate Apostolica injuncta eis poenitentia salutari in forma Ecclesiae consueta, prout prudentiae Vestrae videbitur expedire, absolvendi plenam et liberam ad dictae Sedis beneplacitum facultatem concedimus. Et postremo ne isti in Christo Parvuli malis exemplis corrumpantur, quod aliquis Apostata in illas partes se conferre non praesumat, sub Excommunicationis latae sententiae poena, a qua nisi post suum istinc decessum absolvi nequeat decernimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae 1537. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Paulus III. ne Indi in servitutem redigantur Cardinali Toletano scribit.

PAULUS PAPA III.

Cardinali Toletano.

Dilecte Fili Noster Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Pastorale Officium erga oves Nobis coelitus creditas solerti studio exercentes, sicut earum perditione affligimur, ita promotione laetamur, et non solum illorum bona opera laudamus, sed ut votivis perfruantur eventibus Apostolicae meditationis curas diffusius interponimus. Ad nostrum siquidem pervenit auditum quod Carissimus in Christo filius Noster Carolus Romanorum Imperator semper Augustus, qui etiam Castellae, et Legionis Rex existit ad reprimendos eos qui

cupiditate aestuantes contra humanum genus inhumanum gerunt animum, publico edicto omnibus sibi subjectis prohibuit ut quisquam Occidentales aut Meridionales Indos in servitutem redigere, aut eos bonis suis privare praesumat. Hos igitur attendentes Indos ipsos, licet extra gremium Ecclesiae existant, non tamen sua libertate, aut rerum suarum dominio privatos, vel privandos esse, cum homines, ideoque fidei, et salutis capaces sint, non servitute delendos, sed praedicationibus, et exemplis ad vitam invitandos fore; ac praeterea Nos talium impiorum tam nefarios ausus reprimere, et ne injuriis, et damnis exasperati ad Christi fidem amplectendam duriores efficiantur, providere cupientes, Circumspectioni tuae de cujus rectitudine, providentia, pietate, et experientia in iis, et aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, per praesentes committimus, et mandamus quatenus per Te vel alium, seu alios praefatis Indis, omnibus in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens universis et singulis uniuscujusque dignitatis, status, conditionis, gradus, et excellentiae existentibus, sub excommunicationis latae sententiae poena, si secus fecerint, eo ipso incurrenda, a qua nonnisi a Nobis, vel Romano Pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo constituti, et satisfactione praevia absolvi nequeant, districtius inhibeas, ne praefatos Indos quomodolibet in servitutem redigere, aut eos bonis suis spoliare quoquomodo praesumant, ac contra non parentes ad declarationem incursus excommunicationis hujusmodi, ad ulteriora procedas, et alia in praemissis et circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna statuas, ordines, et disponas, prout prudentiae, probitati, et religioni tuae videbitur expedire. Super quibus Tibi plenam, et liberam facultatem concedimus per praesentes in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum 29. Maii 1537. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Hieronymus Cardinalis Finuccius.

Paulus III. plura privilegia tribuit Abbatibus, et Monasterio Ordinis S. Benedicti Congreg. Cisterciensis Constantiensis Monasterii ad Vineas Diaecesis Moguntinae.

PAULUS PAPA III.

Dilecte Fili Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Devotionis tuae probata sinceritas et Religionis in Monasterio tuo vigentis, sub quo degis, honestas promerebatur, ut te et Monasterium

tuum praedictum benignis favoribus prosequamur, et condignis honoribus attollamus. Dudum siquidem pro parte tua, et Dilecti filii Christierni Abbatis Monasterii ad Vineas Ordinis S. Benedicti Constantien. Dioecesis Provinciae Moguntinen. Nobis expositum quod S. Urbani dicti Ordinis cui tu, fili Sebastiane, et ad Vineas cui dictus Christiernus praeesse dignoscimini, Monasteria a Jurisdictione ordinaria penitus et omnino exempta, et Sedi Apostolicae in Spiritualibus et temporalibus subjecta existebant, et Ordinarius loci nullam in ipsa Monasteria aut illorum subditos jurisdictionem exercere poterat, quodque in illis partibus non erat aliquis alius Antistes, qui subditis et Monachis eorumdem Monasteriorum ordines Ecclesiasticos commode conferre posset; Nos vestris hac in parte supplicationibus inclinati, vobis et cuilibet vestrum, ut omnes et singulos Monachos et servitores et novitios dictorum Monasteriorum Clericali caractere insignire et ad quatuor minores ordines, simul vel separatim, statis a jure temporibus promovere, ac dictos Ordines eis conferre, et imagines, Cruces, Campanas, Calices, Patenas, et Vasa, et Tabernacula etiam in quibus Eucharistiae Sacramentum conservabatur et reliquiae detinebantur, nec non vestimenta etiam sacerdotalia, ac Paramenta, et Ornamenta Ecclesiastica quaecumque dictorum Monasteriorum, et illis unitarum Ecclesiarum et Cappellarum, illorumque Altarium Divino cultui dedicata benedicere, nec non eorumdem Monasteriorum et illis unitas aut alias subjectas Ecclesias, et Capellas illorumque Cemeteria et loca Ecclesiastica, sanguinis, vel seminis effusione, aut alio quovis modo pollutas, et polluta, aqua tamen prius per aliquem Catholicum Antistitem ut moris est benedicta, reconciliare possetis, plenam ac liberam per alias nostras literas ad nostrum beneplacitum facultatem concessimus. Et insuper vobis et successoribus vestris Dictorum Monasteriorum Abbatibus prò tempore existentibus ut Mitra, Annulo, Pastorali baculo et aliis Pontificalibus insignis uti, et tam in ipsis Monasteriis quam aliis quibuscumque Ecclesiis, et Cappellis eisdem Monasteriis unitis aut alias subjectis, nec non aliis quibuscumque locis Ecclesiasticis in quibus vos et successores vestros in Pontificalibus pro tempore celebrare contigerit Benedictionem solemnem post Missarum, Vesperarum, Matutinarum et aliorum divinorum Officia solemnia, super populum ibi tunc interessentem, dummodo ibi aliquis Antistes praesens non esset, vel si esset ejus ad id expressus accederet assensus, elargiri libere et licite valeretis indulsimus, prout in eisdem literis plenius continetur. Cum autem sicut exhibita nobis nuper pro parte petitio continebat dictum tuum Monasterium non S. Benedicti sed Cisterciensis Ordinis, et non simpliciter sed communibus ipsius Ordinis Cisterciensis Privilegiis et Indultis, ei a Sede Apostolica concessis ab ordinaria Jurisdictione exemptum, ejusdemque Ordinis Superioribus subjectum sit,

vereris ne dictae literae inutiles tibi sint. Quare nobis humiliter supplicari fecisti ut in praemissis opportune providere et easdem literas ad infrascripta extendere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur hujusmodi tuis praecibus inclinati quod dictae literae valeant, et tibi in omnibus et per omnia suffragentur, ac si in illis quod dictum tuum Monasterium non S. Benedicti sed Cisterciensis Ordinis et non simpliciter sed communibus ejusdem Ordinis, Privilegiis, et Indultis ab ordinaria jurisdictione exemptum ejusdem Ordinis superioribus subjectum sit erat expressum, fuisse, decernimus et declaramus: Et insuper easdem literas ad hoc ut non solum tu ad beneplacitum, sed tam tu quam tuus in dicto Monasterio immediatus successor donec vixeritis et eidem Monasterio praefueritis non solum dictis facultatibus uti, sed et cum dictum tuum Monasterium, sicut accepimus, in confinibus nonnullorum locorum Lutheri et Zwinglii haereses sectantes existat, et Ordinarii locorum illarum partium Sacramentum Confirmationis Christifidelibus conferre negligant omnibus et singulis supradicti ac etiam dicti Monasterii conversis, tuisque ac dicti tui Successoris familiaribus continuis commensalibus pro tempore existentibus ut tam dictis subditis tuis, quam aliis quibuscumque quorum Ordinarii de haeresi suspecti fuerint, seu in illis partibus non resederint, omni tempore in Ecclesiis tamen ut praefertur unitis seu aliis subjectis tantum dictum Confirmationis Sacramentum Chrismate tamen prius per aliquem Catholicum Antistitem, ut moris est, consecrato conferre, et praedictos etiam Clericali charactere insignire et ad quatuor Minores Ordines juxta dictarum literarum tenorem promovere: et praeterea omnia et singula vestimenta sacerdotalia, ac corporalia, libros, ac custodiae vasa et alia vascula dicti Monasterii et illi unitarum et subditarum Ecclesiarum et Cappellarum ut praefertur benedicere, et tam tu quam alii dicti tui Monasterii Abbates, post elargitam populo ut praefertur Benedictionem, eas quae Episcopi de jure vel consuetudine elargiri possunt Indulgentias et peccatorum remissiones omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus tunc astantibus, dummodo in dicto Monasterio aut illius Territorio vel Districtu aliquis Catholicus Antistes non existat, et si existat ejus ad id expressus accedat assensus, elargiri et impendere libere, et licite valeatis, auctoritate Apostolica tenore praesentium extendimus, et ampliamus. Non obstantibus iis quae in dictis literis voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 23. Februarii anno Christi 1541. Pontificatus Nostri anno VII.

Blo. PP. Fulgen.

Paulus III. Archiepiscopum Nesciovanen. in partibus Armeniae majoris a Prioribus familiae Praedicatorum octo illic domos incolentium eligi solitum, et ex more pro confirmatione Romam plenam periculis peregrinationem suscipientem, liberalitate prosequitur, quacumque iter fecerit, in sui Ordinis domibus hospitio excipi jubet; Praelatum domesticum constituit, eique pro victu, vestitu, regressu, convenientia pecuniae subsidia largitur.

PAULUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Etsi ex debito pastoralis officii, cui disponente Domino meritis licet imparibus praesidemus, cunctis ad Sedem Apostolicam communem omnium Matrem pro eorum negotiis confluentibus adesse consueverimus, eis tamen qui in medio infidelium constituti ex remotissimis Regionibus ad eam reverenter, et devote accedunt, Nos convenit esse favorabiliores, ut exinde eorum devotio erga dictam Sedem eo amplius crescat, quo majoribus se noverint confoveri gratiis et munificentiis. Sane cum ex multis argumentis, et rei evidentia nobis innotuit Ecclesiam Nesciovanen., quae in partibus Armeniae Majoris consistit pastoris solatio pro tempore destituta semper in Archiepiscopum Nesciovanen., unus professor Ordinis Fratrum Praedicatorum ab octo prioribus octo principalium domorum dicti Ordinis earumdem partium, et octo principibus octo principalium Terrarum partium hujusmodi a Catholicis inhabitatarum eligi, et sic electus licet cum ejus Clero et Populo in medio nationis pravae sub Fide Christiana et dictae Sedis devotione degat, nihilominus pro cultu Fidei Catholicae, et manutentione unitatis ipsius Ecclesiae cum Ecclesia Romana, nec non reverentia et devotione, quam Catholici praefati erga eamdem Romanam Ecclesiam gerunt pro obtinenda confirmatione electionis hujusmodi ad praefatam Sedem et conspectum Romani Pontificis pro tempore existentis se personaliter conferre consueverit, et ob distantiam loci, et longam peregrinationem maxima incommoda, et detrimenta sustineant, ac gravissimas expensas subire, et diversa vectigalia in partibus Infidelium solvere cogatur; Nos pro tempore Electo hujusmodi ne propterea a praedicta antiqua et solita devotione, et fide distrahatur, sed potius laetus ad nos, et Sedem eamdem venire possit, de alicujus auxilio subventionis providere, ac eum dictae Sedis munificentia, ac liberalitate prosequi volentes, motu proprio non ad ipsius Electi, aut alicujus alterius pro eo nobis

super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, et ex certa scientia eundem pro tempore Electum Nesciovanen., et ejus familiares, et bona quaecumque ab omnibus Gabellis, pedagiis, gravaminibus, vectigalibus, et aliis ordinariis, et extraordinariis exactionibus pro tempore impositis in quibuscumque Provinciis, Terris, Dominiis, et Locis ad quae eos, tam veniendo, quam redeundo pro tempore declinare, et in quibus stare contigerit perpetuis futuris temporibus auctoritate Apostolica, tenore praesentium, eximimus poenitus, et liberamus, ac omnibus et singulis in toto orbe terrarum ejusdem Ordinis domorum prioribus, et fratribus, ac personis, ut eumdem pro tempore electum, ac ejus familiares in eorum Domibus recipiant, ac illos sincera in Domino charitate tractent, ipsisque gratis ac illis amore Dei victum, et alia necessaria quamdiu in eisdem domibus permanserint praebeant in virtute sanctae Obedientiae praecipimus, et mandamus; ac eisdem Electo, et familiaribus cum primum Romam applicaverint pro eorum comodiori usu, et habitatione domum Beatae Mariae supra Minervam de Urbe ejusdem Ordinis perpetuo concedimus, et assignamus. Nec non eundem pro tempore Electum ad Nos et pro tempore existentem Romanum Pontificem, et praefatam Sedem pro confirmatione electionis suae venientem, et in praesentia nostra constitutum ex nunc prout ex tunc, et e contra in nostrum Praelatum Domesticum cum honoribus, et emolumentis, praeeminentiis, favoribus, gratiis, privilegiis et indultis, quibus alii nostri vere Praelati Domestici utuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, potiri, et gaudere poterunt quomodolibet in futurum auctoritate et tenore praedictis recipimus, illumque Praelatum Domesticum facimus et constituimus, ac aliorum nostrorum Praelatorum Domesticorum numero et consortio favorabiliter aggregamus, et nihilominus eidem pro tempore Electo, et familiaribus, ac aliis suis sequacibus dilectum filium Nostrum Guidonem Ascanium Sfortiam Sancti Eustachii Diaconum Cardinalem Modernum, et pro tempore existentem nostrum et ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Camerarium in illorum, ac rerum, et bonorum suorum Protectorem perpetuum constituimus, et deputamus, ac moderno, et pro tempore existente Thesaurario nostro ut eisdem pro tempore electo, et familiaribus tam pro victu, et vestitu, quam aliis illorum necessitatibus quamdiu apud Sedem eamdem permanserint, ac pro recessu, et illorum ad dictam Ecclesiam Nesciovanen. viatico pecunias convenientes, et necessaria juxta mandata super inde per eumdem Camerarium arbitrio suo pro sufficienti praemissorum provisione eidem pro tempore Electo concedenda praebeat, et administret, ac persolvat, et persolvi faciat, committimus, et mandamus. Nos mandata per Camerarium pro tempore concessa, et per dictum Thesaurarium, et seu Depositarium nostrum admissa, et adimpleta

in computis Thesaurarii, seu Depositarii hujusmodi admissuros pollicemur, prout ex nunc admittimus, mandantes praesentes nostras literas in libris, registris Camerae Apostolicae ad perpetuam rei memoriam registrari, et describi, ac transumptis illarum manu Notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis eamdem prorsus fidem adhiberi, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ac ipsius Camerae etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque nullitatibus; si quis etc.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae 1544 3. kal. Martii Pontificatus Nostri anno undecimo.

M. Cardinalis Crescentius.

R. De Sanct. Marasal.

Paulus III. beneficia enumerat, quae Leo X. in graecos Venetiis morantes contulit, ecclesiam sub S. Georgii invocatione concedendo, presbyterum amovibilem eligendi facultatem donando, ab Ordinarii jurisdictione eximendo. Tantis ingrati beneficiis nec concilii florentini, nec Clementis VII. decreta venerantes omnibus sunt spoliati privilegiis. Sceleris poenitentes a Pontifice petunt, ut in integrum restituantur. Paulus Nuntio ap. Venetiis degenti committit, ut, si vera sint exposita, privilegia a Leone concessa graecis reddantur.

Venerabili Fratri Joanni Archiepiscopo Beneventano
apud dominium Venetiar. Nostro, et Apostolicae
Sedis Nuntio.

PAULUS PAPA III.

Venerabilis Frater Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Dudum postquam fel. record. Leo Papa X. Praedecessor noster Nobilium et Mercatorum, et aliorum Nationis Graecae in Civitate Venetiarum tunc commorantium supplicationibus inclinatus eisdem Nobis Mercat. et aliis praedictis unam Ecclesiam seu Capellam sub invocatione Sancti Georgii Martyris in aliquo loco dictae Civitatis eis a dilectis Filiis Nobilibus Viris dominio Venetiarum assignato alias idoneo cum Campanili, Campanis, Caemeterio, et aliis officinis con-

strui faciendi, et unum Presbyterum Graecum ad eorum nutum amovibilem, qui inibi quotidie vel diebus per eos statuendis Missas celebrare, vel eis ex aliis Personis Nationis hujusmodi in Civitate eadem pro tempore existentibus quaecumque Ecclesiastica Sacramenta juxta eorum ritum ministrare posset, deputandi licentiam et facultatem per sua concesserat, dictamque Ecclesiam, et illi pro tempore deservientem Presbyterum, cum omnibus et singulis suis bonis tam spiritualibus quam temporalibus ab omni Ordinarii Loci jurisdictione, superioritate et dominio perpetuo eximere, et sibi et Sedi Apostolicae sub annuo censu in recognitionem veri Dominii quinque librarum cerae candidae immediate subjecerat: Et piae memoriae Clemens Papa VII. etiam Praedecessor noster bon. mem. Altobello Episcopo Polensi tunc in humanis agenti, et suo ac dictae Sedis in Dominio hujusmodi Nuntio, et certis aliis Judicibus, ut Nobiles ac Mercatores, ac alios praedictos, nec non Presbyteros Graecos per eos pro tempore deputatos, et eorum singulos licentia et facultate praedictis pacifice frui et gaudere facerent, non permittentes eos, vel eorum aliquem per Ordinarium Loci et Plebanos sui Rectores Ecclesiarum Civitatis, vel quoscumque alios Deputatos quomodolibet indebite molestari per quasdam mandaverat; et deinde exposito tibi pro parte tunc Patriarchae Venetiarum quod Graeci in dicta Civitate commorantes orationem per eos ad laudem Virginis editam, in qua Latinos Haereticos esse temere asserebant, non solum publice recitare, verum etiam in opprobrium eorumdem Latinorum exprimi facere praesumpserant, et propterea dicti Graeci omni privilegio, immunitate, et exemptione eis concessis se reddiderunt indignos, cum antea causam subreptionis et obreptionis litterarum Leonis Praedecessoris hujusmodi certis tunc expressis Judicibus audiendam, et prout viris foret decidendam, commisisset praefato Altobello Episcopo et Nuntio, ut ex tunc de cetero praedictos Graecos nullatenus defenderet, nec in aliquo de rebus eorum se intromitteret, sed Judicibus, quibus causam ipsam commiserat onus etiam cognoscendi et terminandi omnino relinqueret per alias suas commiserat, ad audientiam nostram pervento, quod nonnulli ex dictis Graecis, non modo decreta Concilii Florentini sub recolendae memoriae Eugenio Papa IV. similiter Praedecessore nostro celebrati, negligebant, verum etiam alios ejusdem Nationis illis non adhaerentes, ac omnes Latinos, Haereticos et Schismaticos affirmabant, ac Censuras Ecclesiasticas ab alio quam a Patriarcha Graeco latas parvipendentes, omnes Presbyteros Graecos Decreta Concilii hujusmodi servantes ab Ecclesia eadem Sancti Georgii expulerant, ad alia vetita prosiliebant in Divinae Majestatis offensam, et Catholicae Ecclesiae spretum et perturbationem: Has omnes et singulas causas etiam praetextu quarumvis litterarum Apostolicarum quibusvis

Judicibus tam Ordinariis quam Delegatis super praemissis, et illarum occasione inter praefatos Graecos quomodolibet commissas et pendentes ad nos advocantes, Venerabili Fratri Lucerino tunc nostro et ejusdem Sedis in dicto Dominio Nuntio, ut vocatis vocandis de praemissis omnibus et singulis eorum circumstantiis universis se auctoritate nostra diligenter informaret, et causas hujusmodi in statu debito reassumens, illas ulterius audiret et cognosceret, ac fine debito terminaret, nec non Presbyteros Graecos Decreta Concilii hujusmodi servantes ad dictam Ecclesiam S. Georgii restitueret, reponeret, et reintegraret; eos vero qui Decreta hujusmodi servare nollent, privilegiis, immunitatibus, et exemptionibus eis per Sedem praedictam concessis gaudere non permitteret, omnibusque Conservatoribus praefatis Graecis etiam per Sedem eamdem deputatis, ne eis circa usum privilegiorum, immunitatum, et exemptionum hujusmodi assisterent in talem eventum dicta auctoritate etiam sub censuris Ecclesiasticis inhiberet, et quod ex tunc de cetero nonnisi qui dicta Decreta servassent in Ecclesia Sancti Georgii hujusmodi celebrent, provideret; ac omnia et singula alia in praemissis, et circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna statueret, ac quae decrevisset per Censuras Ecclesiasticas, et alia Juris remedia firmiter et inviolabiliter observari faceret per nostras in forma Brevis Litteras commisimus et mandavimus, prout in singulis tam Leonis et Clementis Praedecessorum, quam nostris litteris hujusmodi plenius continetur.

Cum autem sicuti dilecti Filii Nobiles, Mercatores, et alii Nationis Graecae in eadem Civitate Venetiarum ad praesens commorantes nuper Nobis exponi fecerunt, ipsi non solum Latinos aut Decreta Concilii hujusmodi servantes Graecos tam Presbyteros quam Laicos aliquo modo Haereticos aut Schismaticos non nominent, nec Decreta hujusmodi negligant, aut Censuras per Praesules seu alios Ordinarios Latinos pro tempore latas vilipendant, sed etiam Censuris hujusmodi cum omni reverentia pareant, et juxta Catholicos ritus Orientalis Ecclesiae rite et recte viventes Decreta Concilii hujusmodi ad unguem observent, et in posterum, dante Domino, vivere et observare proponant. Quare nobis humiliter supplicari fecerunt, ut omnes et singulas causas praemissorum occasione coram quibusvis Judicibus, quamvis etiam Apostolica auctoritate fulgentibus ubilibet, et in quavis instantia pendentes etiam si instructa existant ad nos advocare, et lites hujusmodi penitus extinguere, et super illis quibusvis Personis in eis interesse praesentibus perpetuum silentium imponere, nec non licentia et facultate deputandi Praesbyterum Graecum ad eorum nutum amovibilem, qui in dicta Ecclesia Sancti Georgii Missam celebret, ac eis Ecclesiastica Sacramenta ministret, ut praefertur, necnon exemptioni et subjectioni Leonis Praedecessoris hujusmodi, ac omnibus et singulis

aliis Privilegiis, Immunitatibus, et Indultis Apostolicis ipsis hactenus concessis robur nostrae approbationis adiicere, aliasque eis in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur de praemissis certam notitiam non habentes, ut eorum devotio erga dictam Sedem, et Romanam Ecclesiam eo amplius augeatur, quo ipsi majoribus favoribus et gratiis ab illis se confoveri cognoverint, hujusmodi supplicationibus inclinati Fraternitati Tuae, de qua ob ejus prudentiam, circumspectionem, ac litterarum, scientiarum in his et aliis majoribus magnam in Domino fiduciam obtinemus, per praesentes injungimus, quatenus de praemissis etiam summarie, simpliciter et de plano sine tela judiciaria, solaque facti veritate inspecta, te diligenter informes, etsi per informationem hujusmodi illa vera esse, et absque ipsorum Latinorum animarum periculo ac publico scandalo id ipsis Graecis concedi posse cognoveris, omnes et singulas causas praedictas in quibusvis terminis et instantiis reperiantur, etiam si instructae existant, quarum status et merita, ac nomina, et cognomina Judicum, et collitigantium praesentibus habere volumus pro expressis, ad te advoces, et lites hujusmodi penitus extinguas, ac super illis quibusvis Personis in eis interesse praetendentibus perpetuum silentium imponas, nec non licentiam et facultatem ac exemptionem et subjectionem Leonis Praedecessoris hujusmodi, nec non omnia et singula alia Privilegia, Immunitates, et Indulta Apostolica ipsis Graecis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et Decretis hactenus quomodolibet concessa, quorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus haberi volumus pro expressis, quatenus sint in usu, Apostolica auctoritate approbes, et confirmes, ac suos plenarios effectus sortiri, et ab omnibus inviolabiliter observari debere, eosque illis omnibus libere uti, frui, et gaudere posse, decernas, et nihilominus veris existentibus praemissis per te, vel per alium, seu alios praesentes literas, et in eis contenta quaecumque ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorumdem Graecorum desuper fueris requisitus, solemniter publicandum, ipsisque Graecis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistendo facias eos advocatione, extinctione, silentii impositione, approbatione, confirmatione et Decreto praedictis ac aliis in praesentibus litteris contentis pacifice frui, et gaudere, non permittendo eos desuper per quoscumque contra earumdem praesentium tenorem quomodolibet molestari. Contradictores quoslibet et rebelles, ac Tibi in praemissis non parentes per censuras et poenas Ecclesiasticas, ac etiam pecuniarias tuo arbitrio moderandas et ampliandas appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii Saecularis. Non obstantibus praemissis, et Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, nec non posterioribus Clementis, et nostris litteris hujusmodi ac per illas, seu alias quo-

modolibet factis licentiae, facilitatis, exemptionis, subjectionis, privilegiorum, immunitatum, et indultorum hujusmodi suspensionibus, moderationibus ac revocationibus contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indultis hujusmodi mentionem.

Datum Romae apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die 22. Junii 1549. Pontificatus nostri anno quintodecimo.

Julius III. Germanicum Collegium Romae instituit, et de ejusdem regimine, ac privilegiis opportuna decernit.

JULIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dum sollicita considerationis indagine perscrutamur, quam sit pretiosum sapientiae, et scientiae donum, tum probitate vitae conjunctum, et quod per illud, illo largiente, a quo procedit omne datum optimum, omneque donum perfectum derivatur, ignorantiae, et vitiorum tenebrae profligantur, errores tolluntur, et mortalium actus in lumine veritatis disponuntur, solliciti redduntur et solertes, ut litterarum simul, et christianae pietatis studia, ex quibus divina cooperante gratia acquiritur scientiae cum charitate conjuncta margarita ubilibet, in illis praesertim locis, quae ad ferenda, irriganda et multiplicanda studia hujusmodi idonea, et accomoda esse dignoscuntur, salubria incrementa suscipiant. Hinc est, quod Nos attendentes, quanta sit fidelium, et strenuorum operariorum penuria, praecipue in illis regionibus, ubi cultus verae Religionis per varias haereses maxime imminutus, et Catholicae ac sanae doctrinae, nec non vitae lumen multis errorum tenebris obscuratum est, quantumque Christianae Reipublicae, et Fidei Orthodoxae conducat, ut militans Dei Ecclesia ubique, ac praesertim in Germania, viris exemplari vita, et litterarum scientia praeditis, quorum opera veritatis lumen dignoscatur et tenebrae illud obumbrare nitentes dissipari valeant, in dies abundet; Motu proprio, non

ad alicujus nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de mera deliberatione et certa scientia nostris, ad Omnipotentis Dei laudem et gloriam, ac ipsius militantis Ecclesiae exaltationem, et Germaniae spirituale auxilium, in alma Urbe nostra, et loco ad id conveniente et apto per infrascriptos Protectores assignando, unum Collegium Scholarium Germanicum nuncupandum, cum dote, Ecclesia, vel Capella, in qua Missae, et alia divina officia juxta providam ordinationem eorum, qui Collegii gubernationem suscipient, celebrentur, necnon structuris, aedificiis, cameris, et locis, ac dote simili Collegio convenientibus, et necessariis, in quo aliquot nationis Germanicae juvenes dociles, et bonae indolis, et si fieri possit jam aliqua bonarum artium, et sincerae doctrinae principia habentes, Deum timentes, et religionem zelantes ex Regionibus, Provinciis, et locis Germaniae educendi instituantur, et alantur, ac bonis et sanctis moribus imbuantur; necnon litterarum, et piae vitae studio vacent sub Magistris sive Praeceptoribus eis per dilectos filios Societatem Dei Jesu nuncupatam constituendis, qui litteras humaniores trium linguarum, Latinae, Graecae, et Hebraicae, ac Logicam, Physicam, et alias liberales disciplinas, et demum Sacram Theologiam publice legant, et doceant, et alias ipsorum scholarium curam, regimen, et administrationem in iis, quae ad morum integritatem, et Verbi Dei praedicationem, et explicationem, et ad officium Christiani Pastoris, nec non bene, beateque vivendum pertinent et expectant, suscipiant; et nullis parcendo laboribus, quantum in eis fuerit, aedificent, et Divina praecepta eorum animis infigere conentur, et tales se erga eosdem scholares exhibeant, ut ipsi tandem Divinae legis capaces, necnon aetate, doctrina, et probitate maturi, postquam de beneficiis Ecclesiasticis provisi fuerint tamquam intrepidi fidei Athletae in suas Regiones ad alios exemplo vitae suae ad Christianae vivendum trahendos, et qui id talentum acceperint, ad Verbum Dei praedicandum, et docendum, curam animarum sibi commissarum ad Dei laudem, et gloriam, ac spiritualem Fidelium profectum exercendum, et administrandum; necnon haeresum latens venenum deprehendendum, et errores apertos convincendos, et resecandum; ac denique fidem ipsam totis viribus defendendam, ac verbo, et exemplo ampliandam, et ubi extirpata fuit, denuo plantandam cum animarum salute remitti, et destinari possint, auctoritate Apostolica tenore praesentium erigimus, et instituimus; nec non dilectos Filios Nostros Rodulphum Sanctae Mariae Transtyberim de Carpo, et Joannem Sancti Pancratii Compostellan., ac Marcellum Sanctae Crucis Cervinum, et Joannem Sancti Stephani in Caelio Monte Moronum, nec non Otthonem Sanctae Sabinae de Augusta, et Jacobum Sancti Simeonis titulorum de Putheo nuncupatos S. R. E. Presbyteros Cardinales ipsorum Collegii, et

scholarium Protectores, et Defensores, ad quas, vel aliquem Societas hujusmodi possit pro consilio, et auxilio, in iis quae ad commissam sibi curam pertinent recurrere, quique adducendorum hujusmodi scholarium, et post studia remittendorum, et quamdiu in Collegio manebunt sustentandorum curam habeant, auctoritate et tenore praedictis constituimus, et deputamus: nec non Collegium praefatum ac illius Scholares, et Magistros seu Praeceptores, Rectores, et Gubernatores pro tempore existentes, eorumque bona mobilia, et immobilia cujuscumque qualitatis, et quantitatis existent, et in dicta Urbe, et alias ubilibet consistentia, ab omni jurisdictione, correctione, visitatione, dominio, superioritate, et potestate Judicis, Senatoris, Consulum, et Conservatorum, ac Reformatorum Urbis, nec non Rectoris studii generalis ejusdem Urbis, ac aliorum quorumcumque Judicum, Officialium, et personarum in dicta Urbe, et alias ubilibet constitutarum, illaque ac in propriis eorum rebus, et bonis cum eis contrahentes a solutione, et exactione quorumcumque pedagii, gabellae, bollettini, et cujusvis alterius tam ordinarii, quam extraordinarii oneris in dicta Urbe, et alias ubique locorum, et ex quacumque causa impositorum et imponendorum eximimus, et totaliter liberamus, ac sub Beati Petri, et Sedis Apostolicae, atque nostra protectione suscipimus, nobisque et dictae Sedi immediate subjicimus, ac liberos Juvenes, exemptos, susceptos, et subjectos, immuniaque, et exempta fore, et esse, et ita per quoscumque Judices quavis auctoritate fungentes, sublata eis quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari, et definiri debere: nec non quidquid secus super iis a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus, et declaramus; ipsisque Collegio, Scholaribus, Rectoribus, et Gubernatoribus, ut omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, facultatibus, et indultis, quibus studium generale Urbis hujusmodi, et illius Rector praefatus, nec non lectores, et legentes in eo quomodolibet utuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, potiri, et gaudere poterunt quomodolibet in futurum non solum ad eorum instar, sed aeque, et pariformiter uti, potiri, et gaudere possint in omnibus, et per omnia concedimus, et indulgemus; et illa eis communicavimus, nec non Senatori, Consulibus, Conservatoribus, Reformatoribus, Rectori, et aliis Judicibus, Officialibus, et personis praedictis, ac moderno, et pro tempore existenti S. R. E. Camerario, Praesidentibus, et Clericis Camerae Apostolicae, ac quibusvis Commissariis super exactione decimarum, et aliorum onerum praedictorum pro tempore deputatis sub indignationis nostrae poena, ne praetextu quarumcumque litterarum eis sub quibuscumque tenoribus, et formis pro tempore concessarum Collegium, Scholares, Rectores, et Gubernatores prae-

fatos, seu eorum aliquem super praemissis quomodolibet molestet, seu molestari permittant districtius inhibemus, et super Regentibus, et Superioribus dicti Collegii pro tempore existentibus, assistentibus praefatis Protectoribus, seu aliquibus ex eis, aut de eorum consilio et expresso consensu illos, quos in dicto Collegio, et alibi per tempus debitum studuisse, ac scientia, et moribus idoneos esse reperirent, in praedictis facultatibus ad Baccalaureatus, Licentiaturae, et Doctoratus, ac Magisterii gradus, servata alias forma Concilii Viennensis juxta Universitatis ejusdem Urbis consuetudinem, seu alias promovendi, et ipsorum graduum solita insignia eis exhibendi. Quodque in Facultatibus supradictis sic promoti illa legere, interpretari, ac in eis disputare, et quoscumque gradus, seu gradibus hujusmodi convenientes actus exercere, et aliis omnibus et singulis privilegiis, gratiis, favoribus, praerogativis, et indultis quibus alii in praedicta, seu aliis Universitatibus, et alibi juxta illius, vel aliarum Universitatum hujusmodi Constitutiones, et mores ad gradus praedictos promoti de jure, vel consuetudine utuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, potiri, et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri, et gaudere possint, et debeant in omnibus, et per omnia, ac si gradus praedictos in Universitate juxta consuetudines et mores praedictos suscepissent, concedendi, et indulgendi, nec non pro felici implemento, et salubri directione, ac conservatione dicti Collegii illiusque bonorum, et rerum, ac jurium tam temporalium, quam spiritualium quaecumque statuta, et ordinationes rationabilia, et Sacris Canonibus non contraria faciendi, et cedendi, ac revocandi, immutandi, corrigendi, et super illorum observatione quascumque poenas imponendi, quae postquam facta, edita, revocata, immutata, et correcta fuerint, eo ipso auctoritate praedicta approbata, et confirmata sint, et esse censeantur, et juxta eorum dispositionem sublata quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac quidquid secus super iis a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernendi, omniaque et singula alia in praemissis, et circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna faciendi et exequendi, plenam et liberam auctoritate praedicta tenore praesentium facultatem, et potestatem concedimus, non obstantibus quibusvis Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac ipsius Urbis, et juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, nec non privilegiis, indultis, et litteris Apostolicis eisdem Senatori, Consulibus, Conservatoribus, Reformatoribus, Camerario, Universitatibus, ac earum Collegii Rectoribus, Scholaribus, et personis, et aliis praefatis nec non praefatae Urbi, et Populo Romano sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis,

et decretis etiam iteratis vicibus concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod praesentium transumptis manu Notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus Curiae Ecclesiae, seu Personae in Dignitate Ecclesiastica viventis eadem prorsus fides in judicio, et extra, ac alias ubilibet ubi opus fuerit adhibeatur eisdem praesentibus si forent exhibitae, vel ostensae. Nullique omnino hominum liceat hanc paginam nostrae erectionis, institutionis, constitutionis, deputationis, susceptionis, subjectionis, decreti, declarationis, concessionis, indulti, inhibitionis, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae 1552. pridie Kalend. Septembris Pontificatus nostri anno tertio.

M. Dat.

A. de Alexiis

Caesar Aurel.

Registrata etc.

(Loco ✠ Sigilli penden.)

Pius IV. Patriarchae Maronitarum Haereticos, ac Schismaticos cujusque Nationis absolvendi facultatem tribuit.

PIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Venerabili Fratri Petro Patriarchae Maronitarum Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Venerabilem Fratrem nostrum Georgium Archiepiscopum Damascenum, qui tuae ad nos attulit litteras, libenter vidimus, qui nobis ad Apostolicae Sedis regimen Dei Omnipotentis dignatione vocatis tuo mandato et nomine pie et reverenter admodum obedientiam praestitit. Grato ut debuimus animo tuum istud, dilectissime Frater, officium, litterasque ipsas tuae erga hanc Sanctam Sedem observantiae,

pietatis, et devotionis testes accepimus, etc. Hortamur Fraternitatem tuam, ut successoribus tuis hanc admonitionem relinquas, ut quum post electionem suam petendae confirmationis causa nuncios et litteras ad Apostolicam Sedem miserint, mittant simul quoque ejusmodi litteras, in quibus fidem suam distincte profiteantur, atque explicent, licet quae ab eis Concilia suscipiantur exponant. Hoc quoque diligentissime curandum est Fraternitati tuae, et tuis Suffraganeis, ut oves fidei vestrae commissas ab hujus temporis pestifera haeresum contagione integras conservetis. Incredibile est enim, quo studio, quantaque versutia incautos et simplices homines decipere soleant. Proinde a Pastoribns animarum pari cura, et vigilantia tam voracium et omnia loca peragrantium Luporum insidiis occurrendum est, innitendumque, ut oves in ovili dominico, et salubribus Romanae Ecclesiae pascuis contineantur. Si qui autem forte, quod absit, subditorum tuorum ab Haereticis jam corrupti, et haeresi aliqua imbuti fuerint, ipsos, et quoscumque alios Haereticos, et Schismaticos, atque Apostatas cujuscumque Nationis recipientes, et ad Ecclesiae gremium et fidem Christianam redire volentes, recipiendi, et absolvendi, atque Catholicae Ecclesiae reconciliandi, injuncta pro modo culpae poenitentia salutari, post abjurationem palam, secretove, prout Tibi expedire visum fuerit, Apostolica auctoritate concedimus. Omnia praeterea, et singula privilegia, indulgentiasque a fel. record. Innocentio III., Clemente VII., et aliis praedecessoribus nostris Ecclesiae tuae concessa, perinde ac si de verbo ad verbum his litteris inserta fuissent, desiderio tuo annuentes, tenore praesentium confirmamus, et illibata ac firma manere statuimus etc.

Datum Romae apud S. Marcum anno Incarnat. Dominicae 1562., Kalend. Septembr. Pontificatus nostri anno tertio.

S. Pius V. religiosis omnium Ordinum de suorum Superiorum licentia, Ordinariorum facultate minime requisita, praedicandi, sacramenta administrandi, confessiones excipiendi facultatem in Indiis, si idioma populorum noverint, Apostolica auctoritate concedit.

PIUS PAPA V.

Charissime in Christo Fili noster, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Exponi nobis nuper fecit tua Majestas Regia etc. Nos igitur qui singulorum praesertim Catholicorum Regum votis, ad divini cultus

augmentum, et animarum salutem tendentes, libenter annuimus, hujusmodi supplicationibus inclinati omnibus, et singulis Religiosis quorumcumque etiam Mendicantium Ordinum in dictis Indiarum partibus, et in eorumdem Ordinum Monasteriis, vel de illorum Superiorum licentia extra illam commorantibus ut in locis ipsarum partium, eis de simili licentia assignatis et assignandis, officium Parochi hujusmodi Matrimonia celebrando, et Ecclesiastica Sacramenta ministrando prout hactenus consueverunt (dummodo ipsi in reliquis solemnitatibus dicti Concilii formam observent) exercere, et verbum Dei (ut praefertur) quatenus ipsi Religiosi Indorum illarum partium idioma intelligant, de suorum Superiorum licentia (ut praefertur) in eorum Capitulis Provincialibus obtenta, praedicare, ac confessiones audire, Ordinariorum locorum et aliorum quorumcumque licentia minime requisita, libere et licite valeant, licentiam et facultatem auctoritate Apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus etc.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 23. Martii anno Domini 1567. Pontificatus Nostri anno secundo.

S. Pius V. facultatem religiosis omnium Ordinum tribuit, ut, si earum gentium idioma calleant, in Indiis parochi officio fungantur; ideoque matrimonia celebrent, Sacramenta administrent, confessiones excipiant de suorum tantum Superiorum licentia vel in Monasteriis, vel in locis sibi assignatis; vetatque, ne quid in partibus, in quibus haec sunt Monasteria religiosorum animarum curam exercentium, per Episcopos innovetur.

PIUS PAPA V.

Charissime in Christo fili noster, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Exponi nobis fecit nuper Majestas tua Regia, quod licet juxta sacri aecumenici Concilii Tridentini decreta, nulla matrimonia, nisi praesente Parocho, aut de illius licentia, contrahi, nullusque Religiosus absque Episcopi licentia, verbum Dei praedicare, ac secularium personarum confessiones audire, Episcopi vero novas Parochias in locis ab invicem longe distantibus constituere possint; quia tamen in partibus maris Oceani, Religiosi propter Presbyterorum defectum, hactenus officio Parochi functi fuerunt, et id quod ad conversionem Indorum attinet, exercuerunt et exercent; ex quo non modicos, sed maximos fructus, etiam verbum Dei eisdem Indis praedicando, et explicando, ac confessiones audiendo ad Fidei Catholicae propagatio-

nem fecerunt, dicta Majestas tua Nobis humiliter supplicare fecit, quatenus ipsis Religiosis, ut illi ad uberiores fructus, in dicta conversione Indorum reportandum incitentur, in locis eis assignatis, et assignandis officium Parochi matrimonia celebrando et Sacramenta Ecclesiastica ministrando, prout hactenus consueverunt, exercendi, et ab eorum Superioribus in Capitulis Provincialibus obtenta licentia, verbum Dei praedicandi, et saecularium confessiones de suorum Superiorum licentia audiendi, facultatem concedere, alias in praemissis oportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui singulorum praesertim Catholicorum Regum votis ad divini cultus augmentum, et animarum salutem tendentes, libenter annuimus, hujusmodi supplicationibus inclinati, omnibus et singulis Religiosis quorumcumque etiam Mendicantium Ordinum Monasteriis, vel de illorum Superiorum licentia extra illa commorantibus, ut in locis ipsarum partium eis de simili licentia assignatis, et assignandis, officium Parochi hujusmodi matrimonia celebrando, et Ecclesiastica Sacramenta ministrando prout hactenus consueverunt (dummodo ipsi in reliquis solemnitatibus dicti Concilii formam observent) exercere, et verbum Dei (ut praefertur) quatenus ipsi Religiosi Indorum illarum partium idioma intelligant, de suorum Superiorum licentia, ut praefertur, in eorum Capitulis Provincialibus obtenta, praedicare, ac confessiones audire, Ordinariorum locorum, et aliorum quorumcumque licentia minime requisita, libere et licite valeant, licentiam et facultatem auctoritate Apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus. Et insuper ne in locis illarum partium, in quibus sunt Monasteria Religiosorum, qui animarum curam exercent, aliquid per praedictos Episcopos innovetur, eadem auctoritate, et tenore statuimus, et ordinamus, si per quoscumque judices, et commissarios quavis auctoritate fungentes, sublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, judicari, et definiri debere: Ac quidquid secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum et inane decernimus. Mandantes nihilominus dilectis filiis Curiae causarum Camerae Apostolicae Generali Auditori, et Beatae Mariae de Mercede, ac de Carmine, extra, et intra muros Hispalensis Monasteriorum per Priores gubernari solitorum, Prioribus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, eisdem Religiosis in praemissis, efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant eis, et eorum cuilibet concessione, indulto, statuto et ordinatione, ac aliis praemissis pacifice frui, et gaudere. Non permittentes eos per locorum Ordinarios, et alios quoscumque, contra praesentium tenorem quomodolibet molestari, perturbari, aut inquietari, contradictores quoslibet, et rebelles, per censuras Ecclesiasticas, ac etiam pecuniarias poenas, eorum

arbitrio moderandas , et applicandas appellatione postposita compescendo. Ac censuras ipsas etiam iteratis vicibus aggravando , interdictum ponendo , invocato ad hoc , si opus fuerit , auxilio brachii secularis. Non obstantibus praemissis , ac quibusvis Apostolicis , ac in Provincialibus , et Synodalibus Conciliis , editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus , ac Monasteriorum , et Ordinum praedictorum , juramento , confirmatione Apostolica , vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque , indultis , et literis Apostolicis , Monasteriis , et Ordinibus praedictis , eorumque Superioribus , et personis , sub quibuscumque tenoribus , et formis , ac cum quibusvis clausulis , et decretis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus , etiam si pro illorum sufficienti derogatione , de illis , eorumque totis tenoribus , specialis , specifica , et expressa mentio habenda , aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret ; tenores hujusmodi , ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso , et forma in eis tradita observata inserti forent , praesentibus pro sufficienter expressis habentes , illis alias in suo robore permansuris , hac vice dumtaxat , specialiter , et expresse derogamus , contrariis quibuscumque , aut si aliquibus communiter , vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici , suspendi , vel excommunicari non possint per literas Apostolicas , non facientibus plenam et expressam , ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Et quia difficile foret praesentes literas ad singula quaeque loca , in quibus de eis fides forsan facienda foret, deferre, etiam volumus, et eadem auctoritate Apostolica decernimus , quod illarum transumptis manu Notarii publici subscriptis , et sigillo alicujus personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis in judicio , et extra ubi opus fuerit eadem prorsus fides adhibeatur , quae ipsis praesentibus adhiberetur , si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum , sub annulo Piscatoris , die vigesima quarta Martii anno millesimo quinquagesimo sexagesimo septimo Pontificatus Nostri anno secundo.

S. Pius V. ex plenitudine Apostolicae potestatis concedit, ut Indi baptizati, et in futurum baptizandi, cum uxore quae cum ipsis baptizata fuerit, vel baptizabitur, remanere habeant, tamquam cum legitima uxore, aliis dimissis quas in infidelitate duxerant, etsi illa prima non fuerit maxime quod non facile esset eamdem reperire, atque hujusmodi matrimonium legitimum declarat.

PIUS PAPA V.

Ad futuram rei memoriam.

Romani Pontificis aequa et circumspecta providentia ne ea quae pro salubri Indorum noviter ad fidem conversorum directione sanciri debent et terminari alicujus haesitationis scrupulo subjaceant, declarationibus et aliis opportunis consuevit providere remediis. Cum itaque sicut accepimus Indis in sua infidelitate manentibus plures permittantur uxores, quas ipsi etiam levissimis de causis repudiant, hinc factum est quod recipientibus Baptismum permissum sit permanere cum ea uxore quae simul cum marito baptizata existit, et quia saepenumero contingit illam non esse primam conjugem unde tam Ministri quam Episcopi gravissimis scrupulis torquentur, existimantes illud non esse verum matrimonium, sed quia durissimum esset separare eos ab uxoribus cum quibus ipsi Indi baptismum susceperunt maxime quia difficillimum foret primam conjugem reperire, ideo nos statui dictorum Indorum paterno affectu benigne consulere, ac ipsos Episcopos et Ministros ab hujusmodi scrupulis eximere volentes, motu proprio et ex certa scientia nostra ac Apostolicae Potestatis plenitudine ut Indi sic ut praemittitur baptizati et in futurum baptizandi cum uxore quae cum ipsis baptizata fuerit et baptizabitur remanere habeant tanquam cum legitima uxore, aliis dimissis, Apostolica auctoritate tenore praesentium declaramus, matrimoniumque hujusmodi inter eos legitime consistere, sicque per quoscumque Judices et Commissarios quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate judicari ac diffiniri debere etsi secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari irritum et inane decernimus, non obstantibus quibusvis Apostolicis ac in Provincialibus et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die 2. Augusti 1571.

Bulla Gregorii XIII. de nova erectione, et fundatione Collegii Germanici Urbis; in qua assignat fundationem dicto Collegio, et eximit a jurisdictione, et correctione, et visitat. quorumcumque Judicum; et suscipit sub B. Petri, et Sedis Apostolicae protectione, et submittit Jurisdictioni Card. Protectorum privative quoad omnes; et eximit Collegium, et personas, et omnia sua bona tam praesentia, quam futura, tam intra quam extra Urbem consistentia ab omni Decima, et Gabella, et onere reali, et personali, ordinario, et extraordinario imposito, et imponendo etc.

GREGORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Postquam Deo placuit omnipotenti, qui ex summa misericordia, et bonitate sua vocat ea, quae non sunt, tanquam ea, quae sunt humilitatem nostram ad Universalis Ecclesiae regimen vocare, ex eo tempore nos ejusdem adjuvante gratia ea cogitare, et agere non destitimus, quae sicut Officii nostri ratio postulat ad divinum ubique cultum, Ecclesiasticamque disciplinam restaurandam, et augendam, animarumque salutem procurandam maxime cognovimus pertinere. In primis vero animo recolentes amplissimam Germaniae Provinciam, quae perpetuis Superioris saeculis inter ceteras fortissimae ipsius Nationis laudes, atque virtutes tanto sincerae fidei, et Christianae Religionis cultu eminere solebat, ut reliquis Christianae Reipublicae partibus non minori exemplo, quam ornamento, atque decori esset, nunc tot tantisque in ea instinctu Sathanae excitatis de Religione dissidiis, ita miserandum in modum afflictam, et deformatam esse, ut nemo vel mediocri pietate praeditus, sine lacrymis tam gravem animarum jacturam recordari, nedum intueri queat. Eam praecipue curam suscepimus, ut quibuscumque possimus modis nullis laboribus, nullisque sumptibus parcentes, apta sanandis illius vulneribus remedia adhibeamus. Ac praeter alia, quae et litteris scribendis, et Nunciis in quasdam Germaniae partes hac ipsa de causa mittendis agere aggressi sumus, considerantes fel. recor. Julium Papam III. Praedecessorem nostrum optimo quidem consilio Collegium in Urbe alendorum, et Latinis, Graecis, Haebraicisque litteris, Logica, Physica, aliisque liberalibus disciplinis, et Sacra demum Theologia, ac piis, et Christiano homine dignis moribus instituendorum Germanicae Nationis puerorum causa erexisse, ut non per se solum docti, bonique evade-

rent, sed ad Patriam remeantes habendis concionibus, ac disputationibus, refellendis haeresibus, fideique Orthodoxae veritati dilucidandae, et defendendae, ac praeterea exercendae animarum curae, aliisque piis, et sanctis operibus apti, et idonei essent, et quam maximum in Ecclesia Dei fructum ex se proferrent, tamen id eius coeptum, atque conatum tum propter obitum ipsius, tum ob varias, quae postea sequutae sunt temporum, et rerum difficultates parum processisse, nullumque incrementum suscepisse, quin potius quasi destitutum, ac praetermissum esse, quoniam nec redditus ullus, nec quicquam fere certi attributum ei Collegio fuerat, et ob id exiguum admodum puerorum hujusmodi numerum prae magnitudine Provinciae, ac messis, quae in ea est, hoc tempore, ali, ac institui. Nos propterea ad opus hoc eidem Nationi adeo utile, et salutare totis viribus promovendum animum, et mentem nostram convertimus. Quocirca ad Dei omnipotentis laudem, Sanctaeque ipsius Ecclesiae incrementum praecipuamque Germanicae Nationis salutem, et commodum Motu proprio, et ex certa scientia nostra auctoritate Apostolica Collegium praedictum Germanicum appellandum, renovantes illud rursus, ac de integro in Alma Urbe nostra erigimus, et instituimus: volumus quod in eo posthac non minus quam centum Pueros ex universa Germania, Septemtrionalibusque illi adiacentibus regionibus colligendos dictis scientiis, ac disciplinis, nec non Sacris Canonibus institui, atque erudiri, ad quorum sustentationem redditus annuos decem millium aureorum attribuere ipsi Collegio decrevimus, ejusque rei causa unionem, annexionem, et incorporationem Monasterii Sanctorum Sabbae, et Andreae dictae Urbis olim Ordinis Cisterciensis Hospitali nostro Sancti Spiritus in Saxia de Urbe a fel. record. Pio IV. Praedecessore nostro praedicta auctoritate perpetuo facta dilecti filii Bernardini Cyrilli Praeceptoris dicti Hospitalis ad hoc accedente consensu harum serie perpetuo dissolventes Monasterium ipsum cura, et conventu carens, suppressis in eo, si qui adhuc sint, ordine, statu, et essentia regularibus, cum illius Ecclesiae aedibus, aedificiis, proprietatibus, bonis, juribus, jurisdictionibus, et actionibus quibuscumque praedicto Collegio perpetuo unimus, annectimus, et incorporamus, illique in specie in perpetuum dotis nomine concedimus, donamus, attribuimus, et assignamus quatuor ipsius Monasterii fundos; videlicet Montis Mariae Magnae, Montis Mariae Parvae, quarticioli de Palo, et quarti S. Sabbae, et Vicarelli vocatos, pro quibus dilectus filius Nobilis Vir Paulus Iordanus Ursinus Dux Bracciani Domicellus Romanus annuum victigal mille, et ducentorum aureorum solvere tenetur. Praeterea fundum Turris de Valle, qui hoc tempore locatus est mille, et centum aureis. Item pedicam de Turre Cenciorum annui redditus ducentorum aureorum, pedicam *Grottone* appellatam annui

redditus centum, et quadraginta aureorum, pedicam in dogana sub annua responsione quinquaginta aureorum Narium Familiae locatam, Molam Frumentariam prope Ecclesiam Sancti Pauli, locari solitam aureis quinquaginta, annuos canones octuaginta aureorum, ex Vineis Ecclesiae Sanctorum Sabbae, et Andreae proximis percipi solitos: in quibus omnibus aedibus, aedificiis, fundis, victigalibus, bonis, proprietatibus, redditibus, emolumentis, juribus, et actionibus universis, idem Collegium ita plene succedere, surrogari, et substitui, idemque ei jus directi, et utilis dominii competere decernimus, quod Hospitali Sancti Spiritus quovis modo competebat, aut competere poterat in futurum. Eam tamen conditionem adijcientes, ut summae duorum millium octingentorum, et quinquaginta aureorum, quae ex dictis redditibus annuatim constituitur, tantum detrahatur quantum impendi necesse fuerit pro oneribus Monasterii, et Ecclesiae Sanctorum Sabbae, et Andreae, cujus haec bona erant, sustinendis; videlicet pro pensione Fratribus dicti Ordinis Cisterciensis, qui ipsum Monasterium SS. Sabbae, et Andreae inhabitabant, et ad Ecclesiam Sanctae Crucis in Hierusalem traducti fuerunt, ibique degunt, persolvenda quingenti aurei, pro victu, et stipendio quatuor ministrantium in ipsa Ecclesia Sanctorum Sabbae, et Andreae trecenti aurei, et pro Fabrica, utensilibus, aliisque rebus necessariis quinquanginta aurei, quibus deductis duo supersunt millia aureorum annui proventus. Assignamus praeterea eidem Collegio annuam pensionem mille, et ducentorum aureorum ex distributionibus Pilei appellatis totius Collegii Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium singulis mensibus pro rata percipiendam. Reliqua autem sex millia, et octingentos aureos, qui conficiendae summae decem millium aureorum desunt ex Fisci et Camerae nostrae Apostolicae pecuniis quotannis numerari volumus, distributa in menses singulos pro rata parte solutione, quod de totidem reddituum summa in bonis stabilibus Ecclesiasticis, vel Saecularibus Collegio ipsi a nobis fuerit provisum. Ita quod liceat dilectis filiis Rectori, et aliis Ministris dicti Collegii corporalem possessionem Monasterii bonorum, proprietatum, fundorum, censuum, jurium, jurisdictionum ceterorumque praedictorum per se, vel alium, seu alios propria auctoritate libere apprendere, et perpetuo retinere, ac fructus, redditus, et proventus illorum in dicti Collegii usum, et utilitatem convertere, cujusvis licentia desuper minime requisita. Ceterum cum Societatis Presbyterorum Jesu, in hoc educandorum, instituendorumque puerorum munere diligentia, fides, integritas, et aliis ejusmodi Collegii, et in hoc ipso satis cognita sit, atque perspecta. Volumus idem Collegium, atque Scholares sub ipsorum, sicut adhuc fuit regimiue, institutione, doctrina, atque obedientia esse; nec non Collegium ipsum, ipsiusque Rectores, Gubernatores, Magistros, Prae-

ceptores, atque Scholares pro tempore in eo existentes eorumque bona mobilia, et immobilia cujuscumque qualitatis, et quantitatis in dicta Urbe, vel extra, ac alias ubique locorum consistentia ab omni jurisdictione, correctione, visitatione, dominio, superioritate, et potestate pro tempore existentis Senatoris, et Consulum, ac Conservatorum, et Reformatorum dictae Urbis; necnon Rectoris Studii generalis, aliorumve quorumcumque Judicum, et Officialium in ipsa Urbe, vel alias ubilibet constitutorum, illaque ac in propriis eorum rebus, et bonis cum eo contrahentes a solutione, et exactione quorumcumque Pedagii, Gabellae, Bollettini, Decimarum, et cujusvis alterius tam ordinarii, quam extraordinarii oneris ex quacumque causa impositorum, et imponendorum eximimus, et prorsus liberamus, ac sub Beati Petri, ac Sedis Apostolicae, atque nostra protectione suscipimus, Nobisque, et dictae Sedi immediate subijcimus; ac liberos, immunes, et exemptos declaramus. Atque insuper eidem Collegio, et Scholaribus, Rectoribusque, privilegiis, exemptionibus, libertatibus, facultatibus, et indultis, quibus studium generale Almae Urbis, et illius Rector, Doctoresque, et in eo legentes quovis modo utuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, potiri, et gaudere poterunt quomodolibet in futurum non solum ad eorum instar, sed aeque, et pariformiter uti, potiri, et gaudere valeant in omnibus, et omnia, concedimus, et indulgemus, illaque eis communicamus; Necnon Senatoribus, Consulibus, Conservatoribus, Reformatoribus, Rectorique et aliis Judicibus, Officialibus, et Personis praedictis, ac pro tempore existenti S. R. E. Camerario, Praesidentibusque, et Clericis Camerae Apostolicae, ac quibusvis Commissariis ad exactionem decimarum et aliorum onerum praefatorum pro tempore deputatis, ne quarumcumque litterarum eis sub quibuscumque tenoribus, et formis concessarum praetextu Collegium, Scholares, Rectores, et Gubernatores praedictos, seu eorum aliquem super praemissis quomodolibet molestent, seu molestari permittant, districtius inhibemus. Et praeterea Regentibus, ac Superioribus dicti Collegii cum assistentia tamen Cardinalium Protectorum, qui pro tempore constituti fuerint, seu alicujus eorum, vel de ipsorum consilio, et expresso consensu illos, quos in dicto Collegio, et alibi per debitum tempus studuisse, ac scientiae et moribus idoneos esse repererint, in praedictis facultatibus ad Baccalaureatus, Licentiaturae, Doctoratusque, et Magisterii gradus servata forma Concilii Viennensis juxta Universitatis ejusdem Urbis consuetudinem, seu alias promovendi, et ipsorum graduum solita insignia eis exhibendi. Quodque in facultatibus supradictis sic promoti illas legere, et interpretari, ac de eis disputare, et quoscumque gradus, sive gradibus hujusmodi convenientes actus exercere, ac omnibus, et singulis privilegiis, gratiis, favoribus, praerogativis, et indultis, quibus alii in

praedicta, seu aliis Universitatibus, et alibi juxta illius, et aliarum Universitatum hujusmodi constitutiones, et mores ad gradus praedictos promoti de jure, vel consuetudine utuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, potiri, et gaudere poterunt quomodolibet in futurum uti, potiri, et gaudere possint, et debeant, perinde ac si gradus praedictos suscepissent concedendi, et indulgendi, liberam eamdem auctoritatem damus, facultatem, et potestatem. Ut vero etiam ejusdem Collegii conservationi, bonoque regimini tam in his, quae ad Scholarium institutionem, et disciplinam, quam quae ad victum, vestitum, aliaque hujusmodi necessaria pertinent opportunius consulatur; et ut promptum eis, paratumque auxilium sit, Venerabiles fratres nostros Ioannem Moronum Ostien., et Alexandrum Farnesium Praenestinen. Episcopos, et dilectos filios Marcum Sancti Georgii ab Altemps, Ptholomeum Comen. Sanctae Agathae, ac Ludovicum Madrucium Sancti Onuphrii titulorum, S. R. E. Presbyteros Cardinales ejusdem Collegii Protectores, et defensores constituimus, et deputamus, quorum consilio et ope, tam supradicta, quam quaecumque ad eosdem in Collegio admittendos Scholares, retinendos, atque de beneficiis Ecclesiasticis providendos spectantia agantur, statuantur, et ordinentur. Dantes eisdem, et pro tempore existentibus Protectoribus plenam, et liberam facultatem, et auctoritatem pro salubri directione, et conservatione dicti Collegii, illiusque bonorum, et rerum, ac jurium tam temporalium, quam spiritualium Oeconomos, Advocatos, Procuratores, aliosque Ministros, et Officiales in eo deputandi, amovendique, et alios eorum loco sufficiendi; ordinationes praeterea, et statuta, aequa tamen et honesta, sacrisque Canonibus, et Concilio Tridentino non repugnantia faciendi, aliaque edendi, eaque cum opus visum fuerit recondendi, immutandi, corrigendi, aliaque de novo condendi, quae postquam facta, edita, renovata, immutata, et correcta fuerint, perinde haberi volumus, ac si auctoritate Apostolica approbata, et confirmata essent, illaque ab omnibus Rectoribus, Magistris, Scholaribus, aliisve Personis in Collegio servientibus, et ministrantibus inviolabiliter observari, ac juxta eorumdem dispositionem a quibusvis Judicibus, sublata quavis aliter judicandi facultate, judicari et definiri debere. Et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernimus. Non obstantibus nostra de unionibus committendis, et valore exprimendo, et Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones perpetuas nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, ac aliis Apostolicis constitutionibus, necnon Hospitalis, et Urbis praedictorum juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et constitutionibus, privilegiis quoque indultis, et litteris Apostolicis illis, et eisdem Senatori, Consulibus, Conservatoribus,

Reformatoribus, Camerario, Universitatibus, ac eorum Collegiis, Rectoribus, et Personis, aliisque praedictis; necnon praefatae Urbi, et Populo Romano sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis, et iteratis vicibus concessis, approbatis, et innovatis, necnon litteris unionis, concessionis, et applicationis Monasterii praedicti eidem Hospitali, et in compensationem aliorum jurium cessorum, vel ablatorum, et intuitu hospitalitatis, et ex quibuscumque aliis causis factis. Quibus omnibus illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Ut vero etiam temporalibus commodis spiritualia munera addamus, quibus fidelium devotio et merita crescere magis, et augeri possint de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus auctoritate, nostraque confisi, omnibus, et singulis Scholaribus, qui in id Collegium recepti fuerint in ipso ingressu, ac deinde in exitu siquidem confessi, et contriti Sacram Communionem devote perceperint, atque, etiamsi in eodem Collegio recedere eos ab humanis contigerit in mortis articulo plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem concedimus, et elargimur. Volumus insuper, ut praesentium transumptis manu Notarii publici subscriptis, et sigillo communi dicti Collegii, aut alicujus Curiae Ecclesiasticae, seu Personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra, ac alias ubicumque opus fuerit, habeatur, quae haberetur eisdem praesentibus si exhibitae forent, vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae renovationis, erectionis, institutionis, dissolutionis, unionis, annexionis, incorporationis, donationis, attributionis, assignationum, exemptionis, liberationis, susceptionis, subjectionis, declarationis, concessionum, indulti, communicationis, inhibitionis, dationum, constitutionis, derogationis, elargitionis, decretorum, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Marcum anno Incarnationis Dominicae 1573. 8. Idus Augusti, Pontificatus nostri anno II.

M. Dat.

Caes. Glorierius.

A. de Alexiis.

Registrata apud Caesarem Secretarium.

Loco ✠ Sigilli penden.

Speciali favore Collegium Germanicum prosequitur, jubetque causas civiles, criminales, et mixtas summarie, et sine strepitu Forensi ad exitum perduci.

GREGORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Pro nostri muneris officio aequum est providere, ut qui in scholis bonarum disciplinarum operam dant, a perturbationibus quantum potest liberentur. Quocirca ut Collegium Germanicum pridem a nobis in Urbe nostra institutum, in quo non minus quam centum pueros, ex universa Germania, Septentrionalibusque illi adjacentibus regionibus colligendos, liberalibus scientiis ac disciplinis, necnon Sacris Canonibus, et Theologia institui, atque erudiri voluimus, et ad illorum sustentationem redditus annuos decem millium aureorum ipsi Collegio perpetuo attribuimus, speciali privilegio prosequi volentes, Motu proprio Venerabilibus Fratribus nostris Jo. Ostiensi Morono, et Alexandro Praenestinen. Episcopis Farnesio, ac dilectis filiis nostris Marco Sancti Georgii ab Altemps, et Ptolomaeo Sanctae Agatae Comen. ac Ludovico Sancti Onuphrii tit. Madrutio nuncupatis Presbyteris Cardinalibus ejusdem Collegii Protectoribus, et Defensoribus, a nobis constitutis, ac eorum cuilibet omnes, et singulas causas civiles, criminales, et mixtas dicti Collegii, illiusque Collegialium, Scholarium, Rectorum, Magistrorum, Oeconomorum, Advocatorum, Procuratorum, aliorumque Ministrorum, et Officialium pro tempore existentium Collegium praedictum illiusque res, jura, actiones, et bona concernentes dumtaxat tam active, quam passive per seipsos, aut quemlibet ipsorum, vel eorum, aut cujuslibet ipsorum auditorem, seu auditores aut alium, vel alios, qui eis videbuntur etiam summarie, simpliciter et de plano, ac sine strepitu, et figura judicii, necnon manu regia nullaque tela judiciaria servata, sed sola facti veritate inspecta, ac etiam omni, et quacumque appellatione remota audiendi, cognoscendi, decidendi, et sine debito terminandi, vel etiam delegandi, et ad hunc effectum quoscumque citandi, ac quibus, et quoties inhibendum fuerit etiam sub poenis pecuniariis, et aliis eorum arbitrio, ac in subsidium juris, censuris Ecclesiasticis inhibendi, ceteraque omnia in praemissis, et circa ea quomodolibet necessaria et opportuna faciendi et exequendi liberam auctoritate Apostolica tenore praesentium concedimus facultatem. Decernentes irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit

attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ac stylo Palatii Apostolici, et Romanae Curiae, necnon quorumcumque Tribunalium Urbis praefatae juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et litteris Apostolicis eisdem Tribunalibus, et Curiis, illorumque Judicibus, etiam ejusdem Palatii auditoribus, ac quibusvis aliis personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis; necnon irritantibus et aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu et scientia similibus, aut alias quomodolibet in genere vel in specie ac alias quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, individúa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter, vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem, quod praesentium transumptis etiam impressis manu Notarii publici dicti Collegii Secretarii subscriptis, et sigillo communi ejusdem Collegii munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud, ac alias ubicumque opus fuerit adhibeatur, quae adhiberetur eisdem praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis, decreti, derogationis, et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Marcum anno Incarnationis Dominicae 1574. Idus Julii, Pontificatus nostri anno tertio.

M. Card. Stephani

Caesar Glorierus.

Bulla Gregorii XIII. fundationis Collegii Ungarici Urbis, in qua assignat redditus pro Collegio, et eximit ab omni gabella, et onere, decima, et sumit sub B. Petri, et Sedis Apostolicae protectione.

GREGORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Apostolici muneris solicitudo divina dispensatione nobis licet immerentibus delegata indesinenter requirit, ut ad Christianae Reipublicae vulnera respicientes, quae apta illis remedia fore intelligimus, quamprimum adhibeamus, conemurque, ut ubi antiqui humani generis hostis ad destructionem malitia supereminet, ibi nostra ad reparationem industria sedulo operetur: hoc sane, consilio, et animo nos jam pridem Germanicum, Graecum, Anglicum, et alia hujuscemodi Collegia tam in Alma Urbe, quam extra eam multis in locis ereximus alendae, bonisque moribus ornandae, ac vera pietate, sana doctrina, reliquisque Christiano homine dignis virtutibus imbuendae earum Nationum juventutis causa, quo sibi, et suis aliquando optato usui, et adjumento esse possent ad depellendam ex eorum mentibus errorum caliginem, et veritatis lucem aperiendam. Quod cum jam nobis ad votum, superna opitulante gratia, succedere videamus propter magnos, et multiplices labores, ac fructus, qui in vinea Domini colenda, et vepribus perpurganda ex his Alumnis et operariis nostris assidue constat, non possumus non magnopere laetari, et tanto firmius posthac tali haerere instituto, quanto intelligimus illud in opere utilius apparere. Ceterum inter varias horum temporum calamitates cum menti nostrae obversaretur nobilissimi, atque quondam opulentissimi Hungariae Regni deploranda conditio, quod partim vi, et dolis Turcarum misere subactum, partim haeresibus pollutum, ac deformatum reperitur pari cum pernicie animarum et corporum, ei nos pro debita omnibus gentibus sollicitudine nostra, ac praecipue erga tam insigne amplum Christiani Orbis membrum charitate subvenire, quantum in nobis est, omni studio cupientes, peculiare Collegium pro natione Hungarica hic duximus instituendum, existimantes hac potissimum ratione posse Sanctam Religionem, fidemque Catholicam, unde vera salus, atque et omnis spes redemptionis pendet in eodem Regno fulciri, et instaurari. Proinde ad Dei Omnipotentis gloriam Sanctaeque fidei Catholicae incrementum, et ad totius Hungaricae Nationis utilitatem, ac salutem, Motu proprio ex certa scientia nostra, et de Apostolicae

potestatis plenitudine, unum Collegium adolescentium Hungarorum vocandum in hac Urbe, et in loco ad id per Protectores illius eligendo, erigimus, et instituimus, cui sumptus necessarios quoad aliunde provideatur ex nostris, et Camerae nostrae Apostolicae pecuniis subministrari jubemus. Ceterum cum in ipsa Urbe sit Ecclesia Sancti Stephani in Caelio Monte latis antiqua, et nobilis olim a felic. record. Nicolao V. Praedecessore Nostro restaurata, et Ordini Fratrum S. Pauli primi Eremitae sub regula Beati Augustini viventium, ea, ut dicitur, conditione, ut duodecim ad minus Fratres illi deservirent, quod fortasse per aliquod tempus observatum est, quia tamen longe aliter nunc evenire cernimus, ob memoratas Regni, ac gentis illius calamitates, et corruptam Religiosorum in illis partibus disciplinam, unde ejusmodi Fratres venire huc solent, qui officio suo juxta Praedecessoris nostri voluntatem pie, et laudabiliter fungendo minime apti sunt, atque Ecclesia ipsa solito cultu destituta reperitur, et redditus, bonaque illius magno cum scandalo distrahi, et dissipari contingit, ideo cogitamus plus ex illa utilitatis ad Nationem Hungaricam perventurum, si Collegio huic applicetur. Quare in dicta Ecclesia Sancti Stephani in Celio Monte Ordinem Sancti Pauli primi Eremitae, omnemque illius statum, ac dependentiam regulares, nec non Conventum, officia, ac monasteria, eorumque omnium qualitates, et essentiam universam regularem, motu, et scientia similibus perpetuo supprimimus, et extinguimus; ipsamque Ecclesiam ab Ordine Sancti Pauli, cui sic concessa, aut unita fuerat separamus, ac liberamus, necnon cujus juris dicta Ecclesia Sancti Stephani olim fuisse dicitur Lateranen. Ecclesiae Capitulo, et Canonicis, inter quos et Fratres praedictos olim transactum, et concordatum fuisse asseritur, ut si in futurum contingeret Ecclesiam Sancti Stephani per Capitulum generale Fratrum Sancti Pauli dimitti, et relaxari, id in manibus eorumdem Canonicorum fieri deberet, nihil juris ad eam, ex hac transactione, seu concordia, et alia quavis etiam potiori ex causa competere decernimus. Et quatenus opus est illam cum suis rebus, juribus, et actionibus omnibus a praedicta quoque Ecclesia Lateranensi, ejusque mensa capitulari perpetuo dividimus, et separamus, perpetuum eisdem silentium imponentes; ipsam vero Ecclesiam Sancti Stephani, ac ejus domos, aedificia, et membra prope eam, et ubilibet, tam in dicta urbe, quam extra eam existentia, urbanaque et rustica praedia, ac fructus, redditus, proventus, agros, vineas, census, jura, emolumenta, ceteraque omnia bona mobilia, et immobilia cujuscumque qualitatis, pretii, et valoris annui sint, eidem Collegio in perpetuum concedimus, et assignamus, volumusque ut Fratres, qui nunc ibi reperiuntur, alio juxta voluntatem, et ordinationem Protectoris illorum traducantur, et locus vacuus Collegio, et Scholaribus

relinquatur, cum eo tamen ut in eadem Ecclesia cultus divinus debite exerceatur per probos saeculares a Protectoribus seu Rectoribus Collegii pro tempore existentibus deputandos. Et quia est etiam apud Basilicam S. Petri Hospitale Sancti Stephani Regis Hungarorum nuncupatum, quod a dictis Fratribus possidetur, nullis, aut paucis ejus gentis peregrinis ad Urbem venientibus vix datur facultas exercendae erga eos hospitalitatis hoc quoque hospitale cum suis aedibus, rebus, suppellectilibus, mobilibus, et immobilibus, ac etiam omnibus, et quibuscumque possessionibus, vineis, agris, domibus, juribus, censibus, redditibus, et aliis bonis similiter eidem Collegio in perpetuum unimus, et incorporamus, ita ut liceat Protectoribus, nec non Rectori dicti Collegii pro tempore existenti corporalem possessionem tam Ecclesiae, et Domus Sancti Stephani, quam hospitalis, necnon utriusque domorum, aedificiorum, vinearum, agrorum, annexorum membrorum, praediorum, censuum, jurium, obventionum, et actionum omnium praedictorum per se, vel alium, seu alios propria auctoritate libere apprehendere, et perpetuo retinere, illorumque fructus, redditus et proventus in Collegii praedicti usus, et utilitatem, supportatis tamen oneribus dicti hospitalis, si quae sint, convertere cujusvis licentia desuper minime requisita. Ceterum idem Collegium, illiusque Rectores, Oeconomos, Magistros, Praeceptores, atque scholares, pro tempore in eo existentes, et eorum domesticos, Officiales, ac Ministros, et ipsius Collegii bona mobilia, et immobilia cujuscumque qualitatis, et quantitatis in dicta Urbe, et extra, ac alias ubique locorum consistentia ab omni jurisdictione, correctione, visitatione, dominio, superioritate, et potestate pro tempore existentis Vicarii, Senatoris, Conservatorum, ac Reformatorum dictae Urbis, necnon Rectoris studii generalis Urbis, et cujusvis Ordinarii Locorum, aliorumque quorumcumque Judicum et Officialium in ipsa Urbe, vel alias ubilibet constitutorum. Et praeterea illud in propriis ejus rebus, et bonis, et alios cum ipso contrahentes a solutione, et exactione omnium, et quorumcumque pedagii, gabellae, bullettini, decimarum, et cujusvis alterius, tam ordinarii, quam extraordinarii oneris ex quacumque causa impositorum, et imponendorum perpetuo eximimus, et liberamus, ac sub Beati Petri, et Sedis Apostolicae, atque nostra protectione suscipimus, Nobisque, et dictae Sedi immediate subiicimus. Eisdem quoque Collegio, Rectoribus, Scholaribus, Praeceptoribus, Magistris, Oeconomis, Officialibus, et Ministris, ut quibuscumque privilegiis, exemptionibus, libertatibus, facultatibus, et indultis, quibus studium generale dictae Urbis, et illius Rector, Doctoresque in eo etiam acta legentes, utuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, potiri, et gaudere valeant in omnibus et per omnia perpetuo concedimus, illaque eis

communicamus. Districtius inhibentes Vicario, Senatori, Conservatoribus, Reformatoribus, Rectorique, et aliis Judicibus, Officialibus, et Personis praedictis ac etiam pro tempore existenti S. R. E. Camerario, Praesidibus et Clericis Camerae Apostolicae, ac quibusvis Commissariis ad exactionem decimarum, et aliorum onerum praedictorum pro tempore deputatis, ne quarumvis litterarum eis sub quibuscumque tenoribus, et formis concessarum Collegium, Rectores, Scholares, Praeceptores, Magistros, Oeconomos, Officiales, et Ministros praedictos, seu eorum aliquem in praemissis quovis modo molestent, nec molestari permittant. Et praeterea Regentibus, ac Superioribus dicti Collegii cum assistentia tamen Cardinalium Protectorum, qui pro tempore erunt, seu alicujus eorum vel de ipsorum consilio, et expresso consensu, illos, quos in dicto Collegio, et alibi per debitum tempus studuisse, ac litterarum scientia, ac moribus idoneos esse repererint ad Baccalaureatus, Licentiaturae, Doctoratusque, et Magisterii gradus servata forma Concilii Viennensis juxta Universitatis ejusdem Urbis consuetudinem, seu alias promovendi, et ipsorum graduum solita insignia eis exhibendi, quodque sic promoti, facultates, in quibus studuerint, legere, et interpretari, ac de eis disputare, et cujuscumque gradui, seu gradibus hujusmodi convenientes actus exercere, ac omnibus, et singulis gratiis, favoribus, praerogativis, et indultis quibus alii in praedicta, seu aliis Universitatibus, et alibi juxta illius, et aliarum Universitatum hujusmodi constitutiones, et mores ad gradus praedictos promoti de jure, vel consuetudine utuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, potiri, et gaudere poterunt in futurum quomodolibet, uti, potiri, et gaudere possint ac debeant, perinde ac si gradus praedictos in ipsa universitate juxta consuetudinem, et mores praedictos suscepissent, concedendi, et indulgendi liberam eadem auctoritate tribuimus facultatem. Ut vero ipsius Collegii conservationi, bonoque regimini tam in his, quae ad institutionem, et disciplinam, quam quae ad victum, vestitum, aliaque hujusmodi necessaria pertinent, opportunius consulatur, Venerabiles Fratres nostros Joannem Ostiensem Moronum et Jacobum Tusculanum Sabellium Episcopos, ac dilectos filios nostros Tholomaeum Sanctae Agathae Comen., et Julium Antonium S. Bartolomaei in Insula Tit. Sanctae Severinae nuncupatos S. R. E. Card. ejusdem Collegii Protectores, et defensores constituimus, ac deputamus. Quorum consilio, et ope supradicta, et alia quaecumque ad eosdem in Collegio admittendos scholares, retinendosve, ac dimittendos spectantia agantur, statuantur, et ordinentur; dantes eisdem, et pro tempore existentibus Protectoribus plenam, et liberam facultatem, et auctoritatem pro salubri directione, et conservatione dicti Collegii, illiusque bonorum, et rerum, ac jurium tam temporalium, quam spiritualium Rectores, Praeceptores, Magistros,

Regentes, Oeconomos, Advocatos, Procuratores aliosque Ministros, et Officiales in eo deputandi, amovendique, et alios eorum loco sufficiendi, ordinationesque, et statuta, licita tamen et honesta, sacrisque Canonibus, et Concilio Tridentino non repugnantia, faciendi, et edendi, eaque, cum visum fuerit, revocandi, immutandi, et corrigendi, aliaque de novo condendi, quae postquam facta, edita, renovata, immutata, et correcta fuerint, perinde haberi volumus, ac si auctoritate Apostolica approbata, et confirmata essent. Decernentes illa ab omnibus Rectoribus, Magistris, Scholaribus, aliisve personis in Collegio servientibus, et ministrantibus inviolabiliter observari, ac juxta eorumdem dispositionem, et omnino circa omnia supradicta a quibusvis Judicibus Ordinariis, et Delegatis etiam causarum Palatii Apostolici Auditoribus, ac S. R. E. Cardinalibus in quavis causa et instantia, sublata eis quavis aliter judicandi facultate, ubique judicari, et definiri debere, nec non irritum et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, et Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones perpetuas nisi in casibus a jure praemissis fieri prohibentis, ac nostris de unionibus committendis, vocatis quorum interesset, et de non tollendo jure quaesito ac de verificandis causis, propter quas nos ad praemissa inducimur coram loci Ordinario, vel aliis etiam tamquam a Sede praedicta delegatis; ita ut Rector, Ministri, ac Collegium praedicti, nullibi unquam ad id teneantur, nec propterea nec etiam pro eo, quod supradicti, aut alii interesse habentes vocati non fuerint praesentes per surreptionem obtentae praesumantur, viribusque, et effectu ob id, vel alias careant, aliisque Apostolicis, ac etiam aliorum Conciliorum Generalium Constitutionibus, et ordinationibus nec non Conventus, et Hospitalis praedictorum fundatione, atque illorum et ordinis, ac Ecclesiae Lateranensis Urbis, et Camerae Apostolicae juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, exemptionibus, et indultis Apostolicis eidem Ordini, Ecclesiae, Hospitali, et Capitulo Lateranen., ac ipsorum Superioribus, et personis, necnon Senatori Urbis, Conservatoribus, Reformatoribus, Camerario, Universitatibus, ac eorum Collegiis, Rectoribus, aliisque praedictis, necnon ipsi Urbi et Populo Romano sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis et derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis etiam Motu proprio, et ex quibusvis causis, atque iteratis vicibus concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad

hoc servanda esset, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, necnon quacumque contradictae alicujus, seu majoris partis Conventus, et Ordinis praedictorum, seu consensus Superiorum ipsius, et Capituli Lateranensis defectu, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae erectionis, institutionis, jussionis, suppressionis, extinctionis, liberationis, divisionis, separationis, impositionis, assignationis, voluntatis, unionis, incorporationis, exemptionis, liberationis, susceptionis, subjectionis, concessionum, communicationis, inhibitionis, tributionis, constitutionis, deputationis, decretorum, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo, quingentesimo, septuagesimo octavo Kalend. Martii, Pontificatus nostri anno tertio.

M. Dat.

Caesar Glorierius.

A. de Alexiis.

(Loco ✠ Sigilli penden.)

Bulla Gregorii XIII. Erectionis Collegii Anglicani Urbis.

GREGORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Quoniam divinae bonitati visum est humilitatem nostram turbulentissimis Christianae Reipublicae temporibus ad excelsum Universalis Ecclesiae culmen sublevare, haereditatisque, quam pretioso Sanguine Suo quaesivit, administrationem curae nostrae commendare, ea nostrum perpetua solicitudo exacuit animum ad pie meditandum quo pacto et Dei misericordiae, a qua tantum accepimus nos gratos exhibeamus, et nostram Ecclesiae suae operam quantum divina benignitate adjuti possumus non inutilem faciamus. Quare cum quotidie non sine gravi ani-

mi nostri dolore Sanctam Domini Nostri Jesu Christi Sponsam diversorum ejus hostium conspiratione, et violento ex multis partibus incursu oppugnari cernamus, antiquisque hostibus Infidelibus, Turcis, Judaeis, novos quoque Haereticos et Schismaticos accessisse qui omni impietate, et scelere imbuti, ac veluti adversarii nostri furiis exagitati in piae matris exitium feruntur, quod officii nostri ratio a nobis expostulat ad omnium impetus, qua maxime opus esse videmus, vires nobis a Domino traditas opponimus, populosque imbecillitati nostrae a Divina benignitate concreditos praesidiis contra hostium impugnationes paratis communimus. Cumque nullum firmius praesidium, aut remedium certius inveniri possit, quam ut regionum ab hac peste oppressarum juventus, cujus teneros animos facile est ad virtutem flectere, catholica Religione imbuatur, ab initio usque nostri Pontificatus operam dedimus ut diversarum Nationum Collegia veluti Catholicae Religionis et sincerae institutionis Seminaria nostris sumptibus in Urbe erigerentur. Quae interea dum sedulo agimus ad Angliae regnum magnis quondam opibus et Catholicae Fidei studio florentissimum, nunc vero a teterrimae haeresis labe, quae omnes fere ejus partes comprehendit, devastatum, pietatis oculos dirigentes ejusque calamitatem, ut saepe alias conservatas, repetimus Anglorum nationem ad Christi fidem a Beato Gregorio Pontifice conversam ex eo tempore singularem fidem, reverentiam, atque obedientiam erga Romanos Pontifices Sanctamque Sedem Apostolicam praestitisse, quae etiam in tanta nostrorum temporum caligine in aliquibus insignibus illis quidem et Illustribus viris refulsere, qui pro hujus Sedis dignitate et orthodoxae Fidei veritate vitas suas cum sanguine ponere non dubitarunt, versanturque quotidie ante oculos nostros Juvenes ex illo miserrimo Regno huc profugientes, qui Divino Spiritu ducti, patria, parentibus, et bonis relictis, se se nobis ad Catholicae Religionis in qua nati sunt institutionem suscipiendam mirabiliter efferunt eo animo, ut salutem sibi primum comparent, deinde vero ut post adeptam divinarum rerum scientiam in Angliam ad alios qui a via veritatis declinarunt erudiendos revertantur. Nos igitur Gregorii ejusdem Primi pia in Anglos officia ejusque erga illos bonitatem imitari cupientes, ut quemadmodum ipsi conversionis, sic et nobis ab errore revocationis beneficium accepissent, Domino laetentur, ac propensam eorum erga Sedem praedictam devotionem, adolescentium item Catholicae Doctrinae adipiscendae studium complectentes, Motu proprio, et ex certa scientia nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine ad Omnipotentis Dei laudem et fidei catholicae incrementum dilectaeque nobis Nationis Anglicanae commodum et salutem in aedibus Hospitalis Anglorum de Urbe unum Collegium Anglicanum nuncupatum perpetuo erigimus et instituimus, in quo non minus quam quinquaginta

scholastici ex omni natione et linguae idiomate Regni Angliae cum suo Rectore et Ministris necessariis alantur, qui nimirum in Philosophia et Theologia se exerceant, Graecis item Hebraicisque literis pro captu cujusque operam dent, in eisque tantum proficere studeant quantum satis esse videatur: ii porro omnes iis studiis operam navabunt ad quae a Superioribus dirigentur, seque praeterea in pietate, et devotione, cantibus Ecclesiasticis, caeremoniis, et sacris officiis ut melius ipsis Superioribus visum fuerit exercebunt. Ad eorum autem omnium sustentationem nos annuos redditus trium millium scutorum auri in auro ex Camerae Apostolicae seu Datariatus rationibus singulis mensibus pro rata, donec eis aliunde a Nobis aut Successoribus nostris de simili annuo redditu prospectum fuerit, libere et integre praestandos constituimus. Et praeterea eis perpetuo concedimus, et assignamus pro eorum habitatione et usu aedes praedictas, in quibus Capellani Angli olim habitabant, nunc vero dicti scholastici jussu nostro habitant cum duabus domibus dicto Hospitali contiguis ad sinistram partem versus Ecclesiam S. Brigidae Suecorum et quaecumque illis circumcedunt, ac pro divini cultus exercitio Ecclesiam SSmae Trinitatis et S. Thomae Martyris Anglorum, necnon pro dote dicti Collegii, ac Rectoris, Scholasticorum et Ministrorum praedictorum sustentatione omnes et quascumque alias domos, tabernas, sive apothecas, stabula, hospitia, hortos, areas, proprietates, census, fructus, ceteraque omnia, et quaecumque bona immobilia, mobilia, et semoventia, nec non res, actiones, et jura dicti Hospitalis tam in Urbe, quam extra eam ubicumque consistentia cujuscumque qualitatis, speciei, naturae ad praesens, quantitatis, ac etiam annui valoris existentia, quae omnia eorumque situationes, nuncupationes, confinia, et latera, ac si nominatim et in specie describerentur praesentibus pro expressis haberi, et aedes ac cetera quae signari possunt ut a ceteris internoscantur, quamprimum armis, et signis dicti Collegii forinsecus notari volumus, eaque omnia ab dicto Hospitali omnino separamus, et ad ipsum Collegium transferimus, ita ut Rector et Scholastici praedicti corporalem illorum omnium possessionem per se vel alium seu alios propria auctoritate libere apprehendere et perpetuo retinere, illorumque fructus, redditus, et proventus, jura, obventiones, et emolumenta omnia percipere, et levare in suos dictique Collegii communes usus et utilitatem convertere libere et licite valeant, Vicarii Urbis aut cujusvis alterius licentia desuper minime requisita, Oeconomus vero et alii ministri, ac servientes dicti Collegii ipsius Rectori subsint, et ad ejus praescriptum et mandatum omnia obsequantur, nihilque contra illius voluntatem faciant, vel attentent, ipseque Oeconomus Protectori dicti Collegii pro tempore existenti vel etiam ipsi Rectori volenti et requirenti, aut ab eorum quolibet deputatis bis in anno, vel quotiescumque ei vel eis

visum erit, rationem reddere teneatur. Cum eo tamen quod si aliquo tempore praedictum Collegium ex quacumque causa dissolvi contingat, aedes, Ecclesia, domus, census, ceteraque omnia praedicta perinde Hospitalis praedicti sint, ac si erectio Collegii et alia praescripta nunquam emanassent, prout nos ex nunc in eum eventum Hospitale ipsum quoad illa omnia in integrum restituantur, eo ipso districtius inhibentes Capellanis praedictis nec non dicti Hospitalis gubernatoribus, et administratoribus cujuscumque ordinis et dignitatis, ne deinceps in aedibus, Ecclesia, domibus, apothecis, censibus, fructibus, aliisque rebus, juribus, et actionibus praedictis directe vel indirecte quovis quaesito colore sese interponere, aut Collegium, Rectorem, Scholasticos et Ministros praesentes et futuros molestare audeant vel turbare. Ac decernentes ex nunc irritum et inane quidquid contra praemissa et etiam praesentibus contenta per eosdem aut quosvis alios scienter vel ignoranter contigerit attentari. Praeterea Collegium ipsum ejusque Rectorem, Scholasticos, et Ministros in perpetuum, ac praedicta ceteraque omnia eorum bona mobilia, et immobilia cujuscumque qualitatis et quantitatis in dicta Urbe et extra, et alias ubique locorum consistentia sub nostra Beatique Petri et hujus Sedis protectione suscipientes, ac nobis et eidem Sedi protinus subiicientes, illa omnia in universum, et singulatim ab omni jurisdictione, correctione, visitatione, dominio, superioritate, et potestate pro tempore existentis Vicarii, Gubernatoris, Senatoris, Consulum, Conservatorum et Reformatorum dictae Urbis, causarum Curiae Camerae Apostolicae Generalis Auditoris nec non Rectoris studii generalis, et aliorum quorumcumque tribunalium, Judicum, et Officialium, nec non Ordinariorum locorum, Rectorum Parochialium Ecclesiarum et quorumcumque aliorum in dicta Urbe vel alibi constitutorum, illaque ac etiam in propriis eorum rebus et bonis cum eis contrahentes a solutione et exactione quorumcumque pedagii, gabellae, bollettini, etiam ratione vini Ripae, et Ripettae, nec non grani, olei, pannorum cujuscumque generis et quarumcumque aliarum rerum, nec non decimarum, et cujusvis alterius tam ordinarii, quam extraordinarii oneris ex quacumque causa impositorum, et imponendorum perpetuo eximimus et prorsus liberamus. Insuper eisdem Collegio et Scholasticis, Rectoribus, et Gubernatoribus, ut omnibus, et quibuscumque privilegiis, exemptionibus, libertatibus, facultatibus, et indultis quibus studium generale dictae Urbis, et illius Rector doctoresque in eo degentes quomodocumque utuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, potiri, et gaudere poterunt quomodolibet in futurum non solum ad eorum instar, sed pariformiter, et aeque principaliter uti, potiri et gaudere valeant in omnibus et per omnia concedimus, illaque eis communicamus praecipimusque et interdicimus Vicario, Gubernatori, Auditori, Senatori, Consulibus,

Conservatoribus, Reformatoribus, Rectorique, Judicibus, officialibus, et aliis praedictis nec non S. R. E. Camerario, Praesidentibusque, et Clericis Camerae Apostolicae et quibusvis Commissariis ad exactionem vectigalium, posteriorum, decimarum et aliorum onerum praedictorum pro tempore deputatis universe, et singulatim ne quorumcumque facultatum, privilegiorum et literarum eis sub quibuscumque tenoribus et formis concessarum occasione vel praetextu, Collegium, Scholasticos, Rectorem, ministros et Gubernatores praedictos, seu eorum aliquem etiam super usu et perceptione praedictarum, et aliqua praemissis impediant, vel molestent, nec impediri vel molestari permittant. Ad haec Superioribus dicti Collegii cum consensu tamen Protectoris praedicti illos quos in dicto Collegio et alibi per debitum tempus studuisse, ac scientia, et moribus idoneos esse re pererint in praedictis facultatibus artium et Theologiae Baccalaureatus, Licentiaturae, Doctoratusque et Magisterii gradus servata forma Concilii Viennensis et alias juxta universitatis studii ejusdem Urbis consuetudinem promovendi et ipsorum graduum solita insignia eis exhibendi, utque in facultatibus supradictis sic promoti illas publice et privatim etiam in omnibus universitatibus studiorum generalium interpretari et alios docere, ac de eis disputare, gradui, seu gradibus hujusmodi convenientes actus exercere, ac omnibus privilegiis, gratiis, favoribus, praerogativis, et indultis quibus alii in praedicta seu aliis universitatibus, et alibi juxta illius, et aliarum Universitatum hujusmodi constitutiones, et mores ad gradus praedictos promoti de jure vel consuetudine utuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, potiri, et gaudere poterunt quomodolibet in futurum uti, potiri, et gaudere possint vel debeant, perinde ac si gradus praedictos in ipsa universitate juxta statuta, consuetudines, et mores praedictos suscepissent concedendi licentiam tribuimus. Postremo cum eosdem scholares hujus Collegii Alumnos post longos studiorum vel captorum, vel consummatorum labores Sacerdotali militiae pro temporis vel loci necessitate adscribere conducat ut Ministeriis ac functionibus sacris assuescant, dictaeque Ecclesiae SSmae Trinitatis officia praestent, seu ut Operarii mittantur, eisdem Alumnis ut de licentia Protectoris ac dicti Collegii Rectoris consensu et examine praecedente etiam extra tempora a jure statuta interstitiisque temporum a Concilio Tridentino praestitutis non expectatis, et etiam absque suorum Ordinariorum literis dimissorialibus ac sine aliquo beneficii, vel patrimonii titulo, et non obstante quovis natalium defectu, super quo cum talibus per easdem praesentes dispensamus ad omnes etiam Sacros Ordines et Presbyteratus promoveri et postquam promoti fuerint in illis etiam in Altaris ministerio ministrare, ac tam ipsi quam ceteri omnes in dicto Collegio degentes ut poenitentiae, et Eucharistiae etiam die Pas-

chatis, et Extremae Unctionis Sacramenta a Confessario, aut alio Sacerdote ipsius Collegii a Rectore illius constituendo suscipere libere, et licite valeant indulgemus. Ut vero ejusdem Collegii conservationi bonoque regimini tam in iis, quam ad Alumnorum ipsorum institutionem et disciplinam quamque ad victum, et vestitum aliaque hujusmodi necessaria pertinent, opportunius consulatur, utque promptum paratumque sit eis auxilium, Venerabilem Fratrem nostrum Joannem Episcopum Ostiensem Cardinalem Moronum nuncupatum ejusdem Collegii Protectorem, et defensorem constituimus, et deputamus, cujus consilio et opera tam supradicta, quam quaecumque alia ad Scholasticos in eodem Collegio admittendos et retinendos et ab eo emittendos spectantia agantur, statuantur, ordinentur. Dantes eidem et pro tempore Protectori praedicti Collegii pro salubri illius conservatione et directione Scholasticorum bonorum et rerum ac jurium temporalium et spiritualium ejusdem plenam et liberam facultatem et auctoritatem Oeconomos, advocatos, et Procuratores in eo deputandi, et amovendi, et alios eorum loco sufficiendi, differentias, lites et controversias inter quascumque personas tam Alumnorum quam Ministrantium, Clericorum et Laicorum, non tamen Presbyterorum ipsius Societatis exortas summarie, simpliciter et de plane sine figura aut strepitu, judicis appellatione quacumque remota, decidendi, definiendi, terminandi, et exequendi, ordinationes praeterea, et statuta licita tamen et honesta sacrisque canonibus, et Conc. Trid. praedicto non contraria faciendi, et edendi, eaque cum opus fuerit revocandi, immutandi et corrigendi, aliaque de novo condendi, quae postquam facta, edita, revocata, immutata, et correcta fuerint perinde habeantur, et observentur, ac si auctoritate Apostolica approbata, et confirmata essent prout nos illa ab omnibus dicti Collegii Alumnis ita haberi et inviolabiliter observari mandamus. Quod autem ad dictorum Alumnorum admissionis modum et formam deinceps habendum attinet, statuimus et ordinamus eos qui admittendi erunt prius ab examinatoribus per dictum Protectorem in Gallia etiam Belgica aut alibi prout illi convenientius videbitur designatis vel designandis juxta formam ab ipso Protectore praescribendam examinari, et praehabito hujusmodi examine si constiterit ipsi Protectori praedictorum examinatorum significatione sibi verbo vel scripto facienda eos ingenio aptos et moribus probatos, et tales qui recipi debeant, tunc illos admittat. Postquam vero in Collegio recepti fuerint non statim Collegii Alumni censeantur, sed per quatuor aut sex menses plus vel minus prout Superioribus et Collegii moderatoribus visum fuerit eorum conversatio probetur. Deinde si Collegio digni videbuntur juramentum praestent se vitam Ecclesiasticam perducturos seque omni tempore ad jussum Superiorum in Patriam revertendum et ad

animas quantum in Domino potuerint adjuvandas paratos fore. Ceterum Rectori praesbytero dicti Collegii pro tempore existenti ut per se vel Confessarium idoneum quem duxerit eligendum singulos Alumnos praedictos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque sententiis, censuris, et poenis Ecclesiasticis quavis occasione vel causa latis, quas ipsi pro tempore quomodolibet incurrerint, et a quibusvis peccatis, excessibus et delictis quantumcumque gravibus et enormibus etiam in casibus in literis die Coenae Domini legi solitis contentis, conspirationis in personam vel statum Romani Pontificis, falsitatis literarum, et scripturarum Apostolicarum, delationis armorum vel aliorum prohibitorum ad partes infidelium, injectionis manuum violentarum in Praelatos dumtaxat exceptis, absolvere, ac pro commissis poenitentiam salutarem injungere, eosdemque super irregularitate ab eis quomodolibet contracta homicidii voluntarii, bigamiae, et haeresis in casibus dumtaxat exceptis, dispensare libere et licite valeat, liberam tribuimus facultatem. Decernentes praedicta omnia perpetuo subsistere, sicque illis in universis et singulis per quoscumque Judices Ordinarios et Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales in quavis causa, et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, ubique judicari et diffiniri debere, nec non irritum et inane quicquid secus super his per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus nostris de non tollendo jure quaesito et de vero valore fructuum exprimendo, ac de commemoratione in hujusmodi unionibus facienda et vocandis quorum interest, nec non Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones perpetuas nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, aliisque Apostolicis Constitutionibus, ac Hospitalis Urbis et Camerae praedictorum juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis illis, et iisdem Senatori, Consulibus, Reformatoribus, Camerario, Universitatibus, ac eorum Collegiis, Rectoribus et personis, aliisque praedictis nec non Populo Romano vectigalibus, redemptoribus et aliis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis etiam iteratis vicibus, aut etiam in favorem Hospitalium concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Ut vero temporalibus commodis spiritualia quoque munera conjungamus quibus fidelium devotio eis munita crescere magis et augeri possit, de omnipotentis Dei misericordia ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum auctoritate con-

fisi, omnibus Scholasticis, Rectoribus, et Ministris qui in hoc Collegium recepti fuerint, in ipso ingressu, ac etiam quos in eodem Collegio decedere ab humanis contigerit si poenitentes et confessi vere ipsi fuerint, in mortis articulo plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem in perpetuum concedimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae erectionis, institutionis, assignationis, voluntatis, separationis, translationis, restitutionis, inhibitionis, susceptionis, subjectionis, exemptionis, liberationis, communicationis, praecepti, interdicti, dispensationis, indulti, constitutionum, deputationis, dictionis, mandati, statuti, ordinationis, tributionum, decretorum, concessionum, et derogationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo nono, Kalend. Maii Pontificatus Nostri anno septimo.

C. Glorierius.

Bulla Gregorii XIII. De unione Collegii Germanici cum Collegio Hungarico, in qua communicat omnia privilegia, et exemptiones Collegii Germanici, Collegio Hungarico, et submittit Alumnos Hungaros Protectoribus, et Superioribus juxta omnia Statuta et Bullas Collegii Germanici Urbis etc.

GREGORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Ita sunt humana interdum consilia, ut quae vel mature ab initio statuuntur, experientia postea demonstrante, eadem necesse sit immutare. Cum enim nos jam pridem in Urbe Collegium Germanicum, et deinde Hungaricum ad alendam, bonisque moribus et virtutibus ornandam, ac vera pietate, sanaque doctrina imbuendam earum Nationum juventutem erexerimus, et instituerimus, ac ex ipsius Collegii Germanici Alumnis multiplices fructus ad Dei gloriam, ac illius Divini nominis cultum animarumque salutem, ac publicam praecipue suae Nationis utilitatem proveniant; Hungaricum autem Collegium nullo adhuc certo loco constitutum sit, et interim aliqui adolescentes Hungari, ibidem introducendi se in dicto Collegio Germanico, jam Rectore, Oeconomis, Magistris, Praeceptoribus, Ministris, Habitatoribus, Sacra et communi suppellectile, aliisque rebus ad Divinum

cultum, et Juventutis utriusque nationis hujusmodi usum necessariis instructo receperint, ac ibidem religiose educentur, et Ecclesiasticis disciplinis instituantur; Nos attendentes dictorum Collegiorum statum per illorum in unum, idemque corpus reductionem melius conservari, et fructuosius dirigi posse; nec non erectionis, et institutionis ejusdem Collegii Hungarici, ac quarumcumque unionum tam illi, quam dicto Collegio Germanico hactenus quomodolibet factarum tenores, necnon eorumdem Collegiorum, ac illis annexorum fructuum, redditium, et proventuum veros annuos valores praesentibus pro expressis habentes, Motu proprio, et ex certa scientia, meraque deliberatione nostra Collegium Hungaricum praedictum cum Ecclesia S.Stephani in Caelio Monte, et de Urbe, olim Ordinis Fratrum S. Pauli primi Eremitae sub regula S. Augustini, nec non hospitali ejusdem S. Stephani Regis Hungarorum apud Basilicam Principis Apostolorum, et de Urbe per nos ipsi Collegio Hungarico unitis, ac aliis illis annexis, nec non domibus, aedificiis, membris, urbanisque et rusticis praediis, possessionibus, vineis, agris, censibus, redditibus, ceterisque bonis mobilibus et immobilibus, supellectilibus, et sacris juribus, actionibus, et pertinentiis suis cujuscumque qualitatis, pretii, et etiam valoris annui sint, praedicto Collegio Germanico auctoritate Apostolica perpetuo unimus, annectimus, et incorporamus. Ita ut ex illis duobus unicum dumtaxat Collegium Germanicum, et Hungaricum nuncupandum esse debeat, liceatque dilecto filio moderno, et pro tempore existenti Rectori ejusdem Collegii Germanici corporalem possessionem Collegii Hungarici, Ecclesiae S. Stephani, Hospitalis, et aliorum annexorum, nec non domorum, aedificiorum, membrorum, praediorum, possessionum, vinearum, agrorum, censuum, reddituum, bonorum, suppellectilium, jurium, actionis, et pertinentiarum omnium praedictorum per se vel alium, seu alios propria auctoritate libere apprehendere, et perpetuo retinere, illorumque fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, et emolumenta quaecumque in communes Collegii Germanici, et Hungarici hujusmodi usus, et utilitatem, supportatis tamen dicti hospitalis oneribus si quae sint, et salva illius hospitalitate in Hungaros dumtaxat juxta ejusdem Hospitalis institutum exercenda, convertere, cujusvis licentia desuper minime requisita. Et nihilo minus privilegia, indulta, exemptiones, libertates, immunitates, facultates, concessiones, et alias gratias tam spirituales, quam temporales dicto Collegio Hungarico, illiusque Protectoribus, Rectoribus, Oeconomo, Magistris, Praeceptoribus, et Scholaribus, eorumque domesticis, Officialibus, et Ministris, quomodolibet per viam communicationis, et alias quomodolibet concessa ad dictum Collegium Germanicum, illiusque pro tempore existentes Protectores, Rectores, Oeconomos, Magistros, Praeceptores, Scolares, eorumque domesticos,

Officiales, et Ministros pariformiter, et aeque principaliter absque ulla prorsus differentia in omnibus et per omnia perinde, ac si illis specialiter concessa fuissent extendimus; statuimusque, ut perpetuis futuris temporibus in eodem Collegio Germanico, et Hungarico duodecim Juvenes Scholares Hungari in Regno Hungariae, ubi Hungaricae linguae usus, vel etiam in Provincia Croatiae, seu Sclavoniae tantum nati, et educati, dummodo in Ecclesiis ejusdem Regni assumi, ac Regni, et illius Ecclesiarum hujusmodi privilegio gaudere possint, ac alias juxta dicti Collegii Germanici statuta, et ordinationes qualificati existant, manuteneri, et S. R. E. Cardinalium in Protectores ipsius Collegii Germanici pro tempore deputatorum dumtaxat, non autem aliorum protectioni, ac ipsius Collegii Germanici Rectorum, et Superiorum curae, regimini, correctioni, et administrationi subjacere, seque ejusdem Collegii Germanici legibus, statutis, et ordinationibus in omnibus, et per omnia conformare, ac sub privilegiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, facultatibus, concessionibus, et aliis gratiis eidem Collegio Germanico, et illius Scholaribus quomodolibet concessis comprehendi debeant, illisque uti, frui, potiri, et gaudere possint, utque pro tempore existens Presbyter Cardinalis tit. ejusdem S. Stephani in dicto Caelio Monte nullum omnino jus in reliquias Sanctorum, calices, paramenta, et aliam sacram suppellectilem, nec etiam quamcumque aliam rem ipsius Ecclesiae Sancti Stephani habere, aut praetendere, neque quidquam ibidem immutare, vel inde auferre, minusque Alumnis Collegii Germanici, et Hungarici hujusmodi, ut aliquid in ipsa Ecclesia Sancti Stephani, vel extra eam faciant, vel relinquant, aut quidvis alius percipere, mandare, vel ordinare possit. Praeterea in eadem Ecclesia Sancti Stephani singulis non feriatis cum minimum una, Festis vero diebus duae Missae celebrari, et ad hunc effectum, duo Sacerdotes ad nutum Rectoris pro tempore existentis ejusdem Collegii Germanici, et Hungarici amovibiles ibidem manuteneri, ac etiam quod in duabus festivitatibus Sancti Stephani videlicet festum Nativitatis Domini sequente, et inventionis ejusdem Sancti Stephani diebus, nec non in die Stationis ipsius Ecclesiae S. Stephani, ac etiam Dominica secunda Quadragesimae integrum Officium Divinum, et Missarum solemnia collegialiter ab ipsius Collegii Germanici, et Hungarici Alumnis decantari, nec illa etiam studiorum, lectionum, disputationum, actuum Scholasticorum, vel quacumque alia causa ullatenus per ipsos Alumnos omitti. In festo quoque Sanctorum Primi, et Feliciani Martyrum, quorum reliquiae ibi reconditae sunt, idem fieri, si per studia Alumnorum hujusmodi licebit. Autumno vero, et Verno tempore quando aliqui ex ipsis Alumnis festis diebus in Ecclesia ejusdem S. Stephani Missam canere, seque ibi in Divino cultu diligentius exercere, et illius celebri-

tatem conservare, ad haec in Ecclesia dicti hospitalis die festo Sancti Stephani Regis Hungarorum, ut minimum Missarum Solemnia, et Vesperae decantari. In Ecclesia autem B. Mariae de Celsano Castri Galeriae Portuen. Dioec. quae ejusdem Ecclesiae S. Stephani membrum existit, unus Sacerdos adsistere, et illius curam gerere, ac ibidem divina celebrare. Ad ipsam quoque Ecclesiam B. Mariae in illius solemnitate aliqui alii, qui Missarum Solemnia, et Vespera in ea cantent transmitti debeant. Decernentes illa omnia per eos, ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum perpetuo inviolabiliter observari. Necnon causas propter quas nos ad praemissa inducimur coram loci Ordinario, vel aliis etiam tamquam a Sede Apostolica delègatis nullatenus verificari debere; ita ut Rector, Minister, ac Collegium Germanicum, et Hungaricum praedicti nullibi unquam ad id teneantur, nec propterea neque etiam ex eo quod interesse habentes ad hoc vocati non fuerunt praesentes per subreptionem obtentas praesumi, viribusque, et effectu, ob id vel alias carere, sicque in praemissis omnibus a quibusvis Judicibus, Ordinariis, et delegatis etiam Causarum Palatii Apostolici Auditoribus, ac S. R. E. Cardinalibus in quavis causa et instantia, sublata eis, et eorum cuilibet qualibet aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, nec non irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, et Lateranen. Concilii novissime celebrati uniones perpetuas nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, ac nostra de non tollendo jure quaesito, aliisque Apostolicis constitutionibus, nec non dictorum Collegiorum juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et litteris Apostolicis illis, eorumque Rectoribus, Scholaribus, et Personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis irritantibusque, et aliis decretis, et Motu simili, et ex quibusvis causis, atque iteratis vicibus concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servànda foret; tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observari inserti forent, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Nullique omnino hominum liceat hanc paginam nostrae unionis, annexionis, incorporationis, extensionis, statuti,

decreti, et derogationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae 1580. Id. Aprilis Pontificatus nostri anno octavo.

M. Dat.

A. de Alexiis

Caesar Glorierius

Registrata etc.

Loco ✠ Sigilli penden.

Fundatio seu erectio Seminarii Pontificii Olomucii.

GREGORIUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Cum spiritualium fructuum copia, quae ex Collegiis Religiosae Juventutis Ecclesiae Dei expectatur, nos solicitos reddit, ut illa debitae subventionis auxilio prosequamur. Cum itaque ab ipso Pontificatus nostri principio, pro nostri officii munere, operam dederimus, ut non Urbis nostrae tantum, sed externarum quoque nationum Juventus optimis moribus, et disciplinis, iis praecipue, quae ad Catholicam Religionem plurimum juvare possunt, imbueretur; ejusque rei causa in Germania, et diversis aliis Orbis partibus hujusmodi Collegia instituenda curavimus, ex quibus jam laetissimi fructus provenisse noscuntur. Quare ad illa, et alia nonnulla quae in praesentiarum occurrunt, conservanda, simulque recondendam ex eis uberiorem in Ecclesia Dei fructuum copiam, decrevimus ipsa, donec certis redditibus stabiliantur, stato interim proventu communire. Itaque motu proprio, certaque scientia nostra inter alia instituta praedicta, Collegio Scholasticorum Olomucensium, quod cura dilectorum Filiorum Presbyterorum Regularium Societatis Jesu dirigitur pensionem annuam omni et quocumque onere ordinario, et extraordinario, etiam pro cruciata sancta expeditione, etiam defensiva contra infideles, haereticos, aliosve hostes, seu etiam pro tuitione Urbis et status temporalis Sanctae Romanae Ecclesiae et ex quacumque alia causa, etiam graviori, et urgentissima, etiam motu simili, ac consistorialiter pro tempore impositis, liberam et immunem, mille et

ducentorum Scutorum auri in auro, super omnibus et quibuscumque pecuniis et juribus undecumque provenientibus et proventuris officii Datariatus nostri, et Romani Pontificis pro tempore existentis, super quibus nos hodie diversas alias pensiones annuas, ad quantitatem sex millium scutorum similium, diversis aliis hujusmodi Collegiis, et personis motu simili reservavimus, etiamsi super illis aliae pensiones aliis etiam S. R. E. Cardinalibus, vel Collegiis, et Locis Piis assignatae et cujuscumque quantitatis, et summae sint, eidem Collegio Olomucensi ipsiusque Rectoribus et Administratoribus vel eorum Procuratori, ad hoc ab eis speciale mandatum habenti per Dilectum Filium nostrum, et pro tempore existentem Datarium, ejusque Depositarium, singulis mensibus pro rata, eademque in principio cujusque mensis, et ante alias pensiones reservatas, et reservandas ad quindecim annos integros, a proximis Kalendis Aprilis numerandas, etiam Successorum nostrorum Romanorum Pontificum temporibus integre persolvendas auctoritate Apostolica, tenore praesentium reservamus, constituimus, et assignamus; Decernentes praesentem et futuros omnes Datarios, ac ipsorum Depositarios, ad solutionem pensionis praedictae eidem Collegio Olomucensi, ipsiusque Rectoribus, et Administratoribus, vel Procuratori quindecim annis integris praedictis durantibus, nullo alio mandato a Nobis vel a Successoribus nostris praedictis desuper expectato, remotaque omni et quacumque exceptione, dilatione, vel excusatione faciendam efficaciter obligatos fore, nec ipsam pensionem ex praedictis, aliisve causis quantumcumque gravibus, urgentibus et necessariis ad minorem summam reducere, nec hujusmodi observationem annullari, vel invalidari, nec illam, nec praesentes literas revocari, nec de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel alio quocumque defectu nostri vel impugnari unquam posse, sed iisdem Collegii Omolucensis Scholasticis et personis aeque suffragari debere, ac si ipsa pensio consistorialiter, consulentibusque, et supplicantibus dictis Cardinalibus reservata fuisset.

Nec quamquam ad praesentandum, insinuandum, aut repraesentari faciendum praesentes has in Camera Apostolica juxta Constitutiones fel. rec. Pii Papae IV. desuper editam, aut alias, unquam teneri: nec propterea illas irritas esse, sed omnino valere, ac si constitutio praedicta, et alia contraria numquam emanassent. Sicque per quoscumque Judices Ordinarios, aut Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, et praedictos Cardinales in quavis causa et instantia, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi auctoritate, et facultate, ubique judicari, et definiri debere, necnon irritum et inane quidquid secus super his a quocumque, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus

praemissis, ac nostra de consensu in pensionibus praestando, et aliis Apostolicis Constitutionibus, necnon Officii Datariatus, et Camerae praedictorum juramento confirmatis, Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, Privilegiis quoque indultis et Litteris Apostolicis, illis, eorumque Praesidentibus, et Personis, sub quibuscumque tenoribus ac formis, et cum quibusvis Clausulis, et Decretis etiam motu proprio, ac scientia similibus, deque Apostolicae potestatis plenitudine, ac etiam Consistorialiter, et alias quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, et expressa, et ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quaevis alias expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, ac forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli igitur etc.

Datum Romae apud S. Petrum, Idibus Martii Pontificatus nostri anno nono 1580.

Erectio Collegii Pontificii Brunsbergensis quoad sumptus, unde sustentari debeant.

GREGORIUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Frustra nos ad fidem Catholicam ab haereticorum impugnatione vindicandam Collegii Scholasticorum magno labore erexisse intelligimus nisi necessariis eorum sumptibus ita provideamus ut possint diutius conservari, munusque Deo adjuvante implere, ad quod fuerunt a nobis feliciter instituta. Cum itaque ab ipso Pontificatus Nostri principio pro nostri Officii munere operam dederimus, ut non Urbis Nostrae tantum sed externarum quoque Nationum Juventus optimis moribus et disciplinis, iis praecipue quae Catholicam Religionem plurimum juvare possunt, imbueretur, ejusque rei causa in diversis Orbis Scholasticorum Collegia instituenda, Nostrisque sumptibus hucusque sustentanda curaverimus, ex quibus jam laetissimi fructus provenisse noscuntur. Quare ad illa et alia nonnulla, quae in praesentiarum occurrunt, conservanda, simulque recondendam ex eis uberiorem in

Ecclesia Dei fructuum copiam, decrevimus, ipsa, donec certis redditibus stabiliantur, stato interim proventu communire.

Itaque motu proprio, certaque scientia Nostra inter alia instituta praedicta Collegio Brunsb. Varmien. Dioecesis, quod cura dilectorum Filiorum Presbyterorum Regularium Societatis Jesu dirigitur, pensionem annuam, ab omni et quocumque onere ordinario et extraordinario et pro Cruciata Sancta expeditione etiam defensiva contra Infideles Haereticos, aliosve hostes, seu etiam pro tuitione Urbis, et status temporalis S. R. E., et ex quacumque alia causa, etiam graviori, et urgentissima, etiam motu simili ac consistorialiter pro tempore impositis, liberam, immunem, et exemptam, mille et ducentorum scutorum auri in auro super omnibus et quibuscumque pecuniis et Juribus, undecumque provenientibus, et proventuris, officii Datariatus Nostri, et Rom. Pontificis pro tempore existentis, super quibus has hodie diversas pensiones alias annuas ad quantitatem sex millium scutorum similium diversis aliis hujusmodi Collegiis et Personis motu simili reservavimus, etiamsi super illis aliae pensiones aliis etiam S. R. E. Cardinalibus vel Collegiis et locis piis assignatae ac cujuscumque quantitatis et summae sint, eidem Collegio Brunsb. ipsiusque Rectoribus et Administratoribus vel eorum Procuratori ad hoc ab eis speciale mandatum habenti, per dilectum Filium nostrum et pro tempore existentem Datarium, ejusque Depositarium, singulis mensibus pro rata, eademque in principio cujusque mensis et ante alias omnes pensiones reservatas et reservandas ad quindecim annos integre a proximis kal. Aprilis numerandos, et Successorum nostrorum Romanorum Pontificum temporibus integre persolvendas auctoritate Apostolica, tenore praesentium reservamus, constituimus, et assignamus: decernentes praesentem et futuros omnes Datarios ac ipsorum Depositarios ad solutionem pensionis praedictae eidem Collegio Brunsb. ipsiusque Rectoribus et Administratoribus vel Procuratori quindecim annis integris praedictis durantibus, ac aliis ut praefertur, nulloque alio mandato a Nobis vel a Successoribus Nostris praedictis desuper expectato, remotaque omni et quacumque exceptione, dilatione, vel excusatione faciendam efficaciter obligatos fore, nec ipsam pensionem ex praedictis aliisve causis quantumcumque gravibus urgentibus et necessariis ad minorem summam reduci nec hujusmodi reservationem annullari vel invalidari, nec illam nec praesentes revocari, nec de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel alio quocumque defectu notari, vel impugnari unquam posse: sed ejusdem Collegii Brunsb. Scolasticis, et Personis aeque suffragari debere, ac si ipsa pensio consistorialiter, consulentibusque et supplicantibus dictis Cardinalibus reservata fuisset, nec quemquam ad praesentandum, insinuandum et redintegrari faciendum praesentes Litteras in Camera

Apostolica juxta Constitutionem felicis Recordationis Papae Pii IV. desuper editam, aut alias unquam teneri. Nec propterea illas irritas esse, sed omnino valere ac si Constitutio praedicta et alia contraria nunquam emanassent; sicque per quoscumque Judices ordinarios et Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, et praedictos Cardinales in quavis causa et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi auctoritate, et facultate, ubique judicari et definiri debere, nec non irritum et inane, quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac Nostra de consensu in pensionibus praestando et aliis Apostolicis Constitutionibus, nec non officii Datariatus et Camerae praedictorum juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, Privilegiis quoque indultis et litteris Apostolicis, illis eorumque Praesidentibus et Personis, sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis, et motu, et scientia similibus deque Apostolicae potestatis plenitudine ac etiam consistorialiter et alias quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, et expressa, ac ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset, tenores hujusmodi, ac si ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc.

Datum Romae apud S.Petrum Idus Martii Pontificatus Nostri anno IX.

Ruthenorum, et Moscovitarum miseram conditionem in melius vocare desiderans, Wilnae pontificium fundat Seminarium: Patribus Soc. Jesu committit: mille, et ducenta scutata ex Dat. Apost. redeuntia assignat, et illis ditat privilegiis, et gratiis, quibus alia collegia fuerat prosecutus.

GREGORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Quanto membra Christi longius ab Ecclesiae Suae Capite absunt, tanto impensius oportet, ea fidei calore fovere, ne infidelitatis

algore confectis insitus pietatis amor penitus aduratur, nec uno tantum anno, sed perpetuis temporibus fructuum spes, et maturitas, quam ex christiana plantatione, et cultura expectamus in Coeleste horreum recondenda, depereat; quod nobis solicite considerantibus, et saepe alias, et nunc maxime ante oculos obversatur misera illa Ruthenorum et Moscovitarum Regio, quae a Turcis, Schismaticisque obsessa longe a verae Religionis tempore segregata est asperaque eam circumeuntia infidelitatis obstacula ita fidei soli officiunt, ut in frigore et tenebris multos jam annos jacuerit, et jacet in praesenti; quare nos periclitatae huic Provinciae quantum in nobis est succurrere volentes, nec ignari quam utilis in pietate et moribus instruenda juventute veneranda Jesu Societas existat, quantaeque Orbis regiones ejus virorum labore, et industria in Fidei Catholicae agnatione et cultura optimisque praeceptis susceperint incrementa; motu proprio et ex certa scientia nostra in Civitate Vilnensi, quae inter alias Provinciae Lituaniae Civitates, Caput Sedesque Regalis existit, unum Collegium Seminarium appellandum, in quo juvenes Scholares Rutheni, et Moscovitae fidem ipsam Catholicam, et Doctrinam Christianam, ac bonas literas condiscant, optimisque moribus et disciplinis erudiantur, et alias instar aliorum Collegiorum Seminariorum, quae nos jam Bohemiae, Poloniae, Germaniae et Transilvaniae Regionibus ereximus auctoritate Apostolica tenore praesentium perpetuo erigimus, et instituimus, ac illud sic erectum, et institutum curae, regimini et administrationi pro tempore existentis Rectoris Collegii dictae Societatis in praefata Civitate Vilnensi nuper erecti per eum, seu ejus ex ipsa Societate quem idem Rector suffecerit suscipiendis atque obeundis tam circa hujusmodi regimen, et administrationem, quam etiam correctionem scholarum per praesentes erecti Collegii illiusque bonorum administrationem, et Alumnorum in eo pro tempore recipiendorum admissionem, et dimissionem, statutorumque observationem perpetuo subiicimus, ac eidem Collegio sic per praesentes erecto ejusque Rectori, et Alumnis concedimus, ut omnibus, et quibuscumque privilegiis, exemptionibus, praerogativis, facultatibus, favoribus et gratiis aliis hujusmodi Collegiis per nos erectis concessis, quibusque illa utuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, omnino uti, potiri, et gaudere libere, et licite valeant, ac si illis specialiter concessa fuissent. Insuper ipsi Collegio sic pro Ruthenis, et Moscovitis per praesentes erecto pensionem annuam ab omni et quocumque onere ordinario et extraordinario etiam pro Cruciata Sancta, et expeditione etiam defensiva contra infideles, Haereticos, aliosve hostes, seu etiam pro tuitione Urbis et status temporalis Sanctae Romanae Ecclesiae et ex quacumque alia causa etiam graviori, et urgentissima, etiam motu simili, ac consistorialiter pro tempore impositis

liberam, immunem et exemptam, mille et ducentorum scutorum auri in auro super omnibus, et quibuscumque pecuniis, et juribus undecumque provenientibus, et proventuris Officii Datariatus nostri, et Romani Pontificis pro tempore existentis; super quibus nos pridem diversas alias pensiones annuas ad quantitatem septem millium et ducentorum, diversis aliis Collegiis, seu Seminariis, et personis, ac etiam hodie unam aliorum mille et ducentorum scutorum similium alteri hujusmodi Collegio Colosvaniensi in Transilvania a nobis pariter erecto, motu simili reservavimus, etiamsi super illis aliae pensiones annuae etiam Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, vel aliis personis ac Collegiis et Locis piis assignatae, ac cujuscumque quantitatis, et summae sint eidem Collegio per praesentes erecto illiusque Rectori, vel ejus Procuratori ad id ab eo speciale mandatum habenti per dilectum filium nostrum et pro tempore existentem Datarium ejusque Depositarium singulis mensibus pro rata eademque in principio cujusque mensis, et ante alias omnes pensiones reservatas, et reservandas ad quindecim annos integros ad Kalendas Aprilis proxime venturi numerandos etiam Successorum Nostrorum Romanorum Pontificum temporibus integre persolvendam eisdem auctoritate, et tenore reservamus, constituimus, et assignamus; decernentes praesentem, et futuros nostros Datarios, ac ipsorum Depositarios ad illius solutionem eidem Collegio per praesentes erecto, illiusque Rectori, et Administratoribus, vel Procuratori, quindecim annis integris praedictis durantibus, ac alias, ut praefertur, nulloque alio mandato a nobis vel successoribus nostris praedictis desuper expectato, remotaque omni et quacumque exceptione, dilatione, vel excusatione facienda efficaciter obligatos fore, nec ipsam pensionem eidem Collegio, illiusque Rectori, et Administratoribus, vel Procuratori, ut praefertur, reservatam ex praedictis aliisque causis quantumcumque gravibus urgentibus, et necessariis ad minorem summam reduci, nec hujusmodi reservationem annullari, vel invalidari, nec istas praesentes litteras revocari nec de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae, vel alio quocumque defectu notari vel impugnari unquam posse; sed eidem Collegio ejusque Alumnis et personis aeque suffragari debere ac si ipsa pensio per praesentes reservata consistorialiter consulentibusque et supplicantibus ejusdem Romanae Ecclesiae Cardinalibus reservata fuisset, nec quemquam ad praestandum, insinuandum, et registrari faciendum easdem praesentes literas in Camera Apostolica juxta Constitutionem felicis recordationis Pii Papae IV. Praedecessoris nostri desuper editam, aut alias numquam teneri, nec propterea irritas esse sed omnino valere, ac si constitutio praedicta et alia contraria nunquam emanassent, sicque per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores

et praedictos Cardinales in quavis instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi auctoritate et facultate, ubique judicari et definiri debere, nec non irritum, et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus praemissis ac nostra de consensu in pensionibus praestando, ac aliis Apostolicis Constitutionibus necnon officii Datariatus, et Camerae praedictorum juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate aliqua alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et Litteris Apostolicis illis eorumque Praesidentibus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis etiam motu, et scientia similibus deque Apostolicae potestatis plenitudine, ac etiam consistorialiter, et alias quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, et expressa ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores isti, ac si de verbo ad verbum nihil paenitus omisso et forma in illis tradita observata inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae erectionis, institutionis, subjectionis, concessionis, reservationis, constitutionis, assignationis, decreti, et derogationis infringere, et ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo secundo. Nonis Februarii Pontificatus nostri anno undecimo.

Bulla Gregorii XIII. pro erectione Collegii Comen.

GREGORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Immensa Dei providentia, a qua omnium bonorum operatio procedit, et in suorum Fidelium animis semper ingerit quae ad Christianae Religionis et pietatis cultum, gregisque Dominici salutem sunt

maxime profutura: unde Nos quibus cura, et salus gregis ejusdem divinitus est commissa ipsorum fidelium praesertim Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium vota in id tendentia ex intimo cordis nostri affectu libenter promovemus, et desuper Pastoralis Officii nostri partes interponimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Cum itaque Sanctae Mariae de Rondineto, et Sancti Martini extra muros Comen. olim Ordinis, nunc vero extincti Humiliatorum Praeposituræ, quas dilectus Filius Noster Ptolomaeus Tituli S. Agathae Presbyter Cardinalis Comensis nuncupatus in commendam ad ejus vitam ex concessione, et dispensatione Apostolica nuper obtinebat, commenda hujusmodi, ex eo quod dictus Ptolomaeus illi hodie in manibus nostris ad effectum validum omnium quae sequuntur, et alias libere cessit, nosque cessionem hujusmodi duximus admittendam, cessante adhuc eo, quo ante Commendam ipsam vacabat, modo vacare noscatur ad praesens. Et sicut praedictus Ptolomaeus Cardinalis nobis nuper exponi fecit, ipse secum animo considerans in Civitate Comen. Patria sua, ac ejus Dioec. multos adolescentes ingenio quidem praeditos, sed ob rei familiaris inopiam neque literas, neque ingenuas aut alias artes sibi comparare posse, saepeque accidere ut omni spe destituti tempus sine fructu conterant, et sibi atque aliis inutiles evadant, et quod deterius est propter inscitiam rerum ad salutem pertinentium in vitia facile prolabantur, quae omnia caveri possent, si ipsi pauperes in Dei timore, ac morum et litterarum disciplina alerentur, ad hoc autem munus obeundum Clerici Regulares Congregationis de Somascha cum valde idonei esse noscantur, usuque jam comprobatum sit, eos in instituenda juventute semper honeste, et fructuose versatos esse, summopere cupiat in aedibus ejusdem Praeposituræ S.Mariae unum Collegium puerorum sub cura et gubernio unius Praepositi, et trium Professorum dictae Congregationis erigi, et institui, ac illi sic erecto, et instituto pro illius dote, et ipsorum puerorum sustentatione, aliisque necessariis Praeposituras praedictas uniri, adnecti, et incorporari, aliaque infrascripta fieri, sperans hac ratione juventuti praedictae succurri, simulque novos operarios in agrum Dominicum suo tempore introduci posse. Quare idem Ptolomaeus Cardinalis asserens Praepositurarum praedictarum insimul ac illis forsan annexorum fructus, reditus, et proventus, qui omnes, et singuli Dilecto filio Marco Gallio Clerico Comen. dicti Ptolomaei Cardinalis nepoti Apostolica auctoritate reservari seu reservari concessi sunt, existunt mille, et ducentorum ducatorum auri de Camera secundum communem aestimationem, valorem annuum non excedere, tam suo, quam Dilecti Filii Praepositi Generalis dictae Congregationis nominibus nobis humiliter supplicavit, quatenus praemissis annuere, ac alias desuper opportune providere benigne dignaremur. Nos igitur qui dudum

inter alia volumus quod petentes beneficia Ecclesiastica aliis uniri tenerentur exprimere verum annuum valorem, secundum aestimationem praedictam etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, et semper in unionibus commissio fieret, ad partes vocatis quorum interesset, reservationem seu concessionem fructuum, reddituum, et proventuum hujusmodi ipsius Marci ad hoc expresse accedente consensu cassantes, et extinguentes, ipsum Praepositum Generalem a quibusvis excommunicationis, et suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris poenisque a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, nec non verum, et ultimum dictarum Praepositurarum vacationis modum, etiam si ex illo quaevis generalis reservatio, etiam in corpore juris clausa resultet, praesentibus pro expresso habentes hujusmodi supplicationibus inclinati, in aedibus praedictis unum Collegium quinquaginta, plurimve, seu pauciorum, prout dictarum Praepositurarum facultates detractis oneribus ferre poterunt, sub cura, et gubernio unius Praepositi, et trium professorum Congregationis hujusmodi, qui illos ad Religionem et pietatem informent, bonisque moribus, scientiis, et disciplinis pro cujusque captu instruant, et qui ad has idonei non erunt eos mechanicas artes ediscere faciant, et alias prout videbitur dicto Ptolomaeo Cardinali, aut qui ad id facultatem habebunt dicta auctoritate, tenore praesentium perpetuo erigimus, et instituimus. Illique sic erecto, et instituto pro ejus dote, ac puerorum praedictorum sustentatione, aliisque necessariis Praepposituras praedictas, quae conventu, et cura carent, quarumque ac omnium aliarum dicti olim Ordinis Praepositurarum dispositio ad Nos, et ad Sedem Apostolicam omni tempore pertinet, quibusvis modis, et ex quorumcumque personis, seu per literas resignationes quorumvis de illis in Romana Curia, vel extra eam coram Notario publico, et testibus sponte factas vacent, et si dispositioni Apostolicae specialiter, vel alias generaliter reservatae existant, ac super eis inter aliquos lis, cujus statum praesentibus haberi etiam volumus pro expresso, pendeat indecisa, nomine, titulo et essentia Praepositi, et Praepositurae in utraque, et perpetuo suppressis et extinctis cum annexis hujusmodi ac omnibus juribus, jurisdictionibus et pertinentiis suis, auctoritate, et tenore praesentis similiter perpetuo unimus, annectimus et incorporamus. Ita quod liceat eidem Ptolomaeo Gallio Cardinali, et nunc et pro tempore existentibus Administratoribus dicti Collegii illorum ac bonorum et rerum omnium eorumdem corporalem possessionem propria auctoritate, ac etiam absque Judicis mandato, vel decreto per se, vel alium seu alios libere apprehendere et perpetuo retinere illamque regere et administrare, et

in communes dicti Collegii usus, utilitatem et necessitatem convertere, Dioecesani loci et cujusvis alterius licentia minime requisita; Praedictis vero Praeposito, et Professoribus ibidem pro tempore existentibus curam et regimines Ecclesiarum utriusque Praepositurae unitae in spiritualibus auctoritate, et tenore similibus committimus, nec non habitationem in praedictis aedibus, eamque commodam, et vineam isti contiguam, ex qua quadraginta scuta monetae annuatim, ut dictus Ptolomaeus Cardinalis etiam asserit, percipiuntur, et centum et sexaginta scuta similia ex aliis redditibus earundem Praepositurarum unitarum in pecunia solvenda eisdem auctoritate, et tenore pariter perpetuo concedimus et assignamus, cum eo quod Congregatio praedicta ad minimum tres actu Presbyteros duosque Conversos, qui ex dictis ducentis scutis vivant in eisdem Praeposituris unitis perpetuo retinere, et in Sanctae Mariae duas Missas, in Sancti Martini vero Praepositurarum hujusmodi Ecclesiis unam singulis diebus in perpetuum celebrari facere, et alia onera ad cultum Divinum ibi pertinentia sustinere, oleum, ceram, et alia id genus quae opus erunt suppeditare teneantur. Ipsorum autem puerorum decem ex Vallibus Telinae et Clavennae, alii decem ex tribus Plematibus Erabedonae Dungii et Surici jurisdictionis temporalis ipsius Ptolomaei Cardinalis, coeteri vero omnes ex Civitate et reliqua Dioecesi Comen. erunt, et ab eodem Ptolomaeo Cardinali, quoad vixerit, desumentur, deinde Episcopus Comensis et ille qui caput et dignitate maximus Laicus, eoque non existente Clericus familiae Galliae cujus idem Ptolomaeus Cardinalis existit, unus item de gremio Capituli Ecclesiae Comensis, et unus ex Laicis Nobilibus Comensibus ab ipso Ptolomaeo Cardinali primo nominandi, et Praepositus ibi pro tempore existens tam dicti Collegii quam bonorum, rerum et jurium omnium illius Administratores in perpetuum erunt, curamque assumendorum, recipiendorum, et emittendorum praedictorum puerorum, eorumque correctionem et electionem liberam, et omnimodam habebunt. Pueri vero omnes omnium pauperrimi semper ab illis deligantur, ita ut nec ex seipsis, nec ex parentibus habeant unde ali et educari possint, inter quos pauperes orphani semper praeferri debeant, a decimo ipsorum puerorum anno recipiantur, et usque ad decimum octavum cujuscumque annum dumtaxat educentur; quotiescumque vero Capitularis aut etiam Laicus Comensis Administrator deficiet alii quatuor Administratores tunc existentes alium semper in demortui, vel absentis deficientis locum subrogabunt: et si quando dicti Professores in docendo, et dirigendo pueros praedictos minus idonei, vel negligentes, et remissi fuerint ipsis administratoribus eosdem etiam ejicere, et alios Regulares, vel Saeculares in eumdem locum, ac deinceps semper alios quotiescumque venerit usus substituere licebit, quibus, quoad haec, et supradicta omnia facienda, et exe-

quenda, liberam facultatem, et potestatem tribuimus, decernentes suppressionem, unionem, annexionem, et incorporationem, nec non commissionem, concessionem, assignationem, et alia praemissa praesentesque litteras nullo tempore, sive pro eo quod causae propter quas haec omnia facta sunt, coram loci Ordinario et tamquam a Sede praedicta delegato minime examinatae, nec verificatae, neque approbatae, nec interesse habentes vocatae fuerunt, sive alias ex quibuscumque causis de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel quocumque alio defectu notari, impugnari, retractari, seu in jus, vel controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci posse, sed semper valida, et efficacia existere, suosque integros effectus sortiri, nec sub illis similium, vel dissimilium gratiarum derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, vel quibuscumque tenoribus, et formis et ex quacumque causa pro tempore factis comprehendi; sed semper ab illis excepta et quoties illa emanabunt, toties in pristinum statum restituta, ac denuo concessa esse, sicque per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, et causarum Palatii Apostolici Auditores, et ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate et auctoritate judicari et definiri debere. Non obstantibus priori voluntate nostra praedicta, et felicis recordationis Bonifacii Papae VIII. Praedecessoris nostri, ac Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis aliisque Apostolicis Constitutionibus contrariis quibuscumque. Aut si aliquis super provisionibus sibi faciendis de Praeposituris hujusmodi speciales, vel aliis beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus generales dictae Sedis, vel Legatorum ejus litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem, et decretum, vel alias quomodolibet sit processum. Quas quidem literas, et processus habitos per easdem, ac deinde secuta quaecumque ad dictas Praeposituras unitas volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad executionem Praepositurarum, vel beneficiorum aliorum praejudicium generari, et quibuslibet aliis privilegiis, Indulgentiis, et litteris Apostolicis generalibus vel specialibus quorumcumque tenorum existant, per quae praesentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeant quomodolibet, vel deferri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in eisdem literis mentio specialis. Volumus autem quod propter unionem, annexionem, et incorporationem hujusmodi unitae Praepositurae praedictae debitis non fraudentur obsequiis, sed earum congrue supportentur onera antedicta. Et insuper, prout est, irritum decernimus et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attentatum forsan est hactenus, vel in posterum contigerit attentari. Nulli ergo omnino ho-

minium liceat hanc paginam nostrae absolutionis, cassationis, extinctionis, institutionis, unionis, annexionis, incorporationis, commissionis, concessionis, assignationis, tributionis decretorum, et voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Marcum Anno Incarnationis Dominicae 1583. Id. Octobris Pontificatus Nostri Anno Duodecimo.

Pro Reverendiss. D. Sum.

Antonius Lanfredonius

Caesar Glorierius.

Bulla Gregorii PP. XIII. pro translatione domus S. Joannis vulgo della Ficoccia *ad aedes S. Andreae vulgo* delle Fratte , *et pro erectione Hospitii Maronitarum in eadem S. Joannis domo.*

GREGORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad Perpetuam rei Memoriam.

Salvatoris Nostri Jesu Christi, qui nos ad pietatis cultum et charitatis zelum quotidianis ejus per totum in hoc orbe progressum exemplis hortatus est, vices licet immeriti gerentes in terris in eam curam, cogitationemque nos propensius incumbere decet per quam provisionis nostrae ministerio debita Hospitalitas erga cunctos Christifideles praesertim pauperes ex remotissimis Provinciis ad hanc Urbem veluti devotionis omnium Nationum Portum confluentes exerceatur, illisque gratuita subsidia impendantur. Cum itaque sicut accepimus *Maronitarum natio*, quos infideles et Schismatici ac alii Christiani nominis hostes undique circumstant in Catholicae fidei sinceritate Sanctaeque Romanae Ecclesiae et devotione a multis saeculis persistat, quin etiam eidem Romanae Ecclesiae in omnibus fidei articulis sibi per Visitatores de gremio Presbyterorum Societatis Jesu illuc transmissos propositis se conformet, et multi hujus Nationis indigenae devotionis zelo permoti ad ipsam Urbem accedere consueverint, nos Nationem hujusmodi ut ejus erga nos et Sedem Apostolicam devotio per amplius augeatur piae voluntatis affectu prosequi *et illius indigenis praefatis* de peculiari loco in quo charitative recipi et confoveri possint providere volentes, Parochialem Ecclesiam S. Joannis de Ficocia

Regionis Trivii de Urbe, quae atque a felic. record. Pio PP. V. Praedecessore nostro Parochiali Ecclesiae Sancti Andreae de la Fratta ejusdem Regionis Apostolica auctoritate unita, annexa, et incorporata extitit cum suis Domibus, Aedificiis, Hortis, Hortalitiis ac aliis membris et pertinentiis eidem Ecclesiae S. Joannis contiguis huic usui satis aptam et commodam fore judicavimus provide unionis, annexionis et incorporationis hujusmodi tenores praesentibus pro expressis habentes, Motu proprio non ad ipsius Nationis vel alterius pro ea nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex mera deliberatione, et certa scientia nostra, deque Apostolicae potestatis plenitudine unionem annexionem et incorporationem hujusmodi Apostolica Auctoritate tenore praesentium perpetuo dissolvimus, et in ipsius Ecclesia Sancti Joannis nomen, titulum, denominationem et essentiam Parrochialis Ecclesiae auctoritate et tenore praesentis etiam perpetuo supprimimus et extinguimus ab eaque omnimodam curam animarum illius Parochianorum, nec non omnia et singula ejusdem Ecclesiae Sancti Joannis fructus, redditus, proventus, jura, obventiones et emolumenta si qua sint exceptis dumtaxat et salvis remanentibus eidem Ecclesiae Sancti Joannis illius Domibus, Aedificiis, Hortis, Hortalitiis, membris, et pertinentiis praedictis, eorumque situ et ambitu ex quibus triginta scuta monetae vel circa annuatim percipi consueverunt, et pro quibus dictae Ecclesiae Sancti Andreae aequivalentem recompensam in tot locis Montium non vacabilium annui redditus trigiuta scutorum monetae Juliis decem pro quolibet scuto hujusmodi computatis, dicta auctoritate similiter perpetuo concessimus et assignavimus una cum dictis Parochianis ac sepulturae aliisque Juribus Parochialibus universis eisdem auctoritate et tenore itidem perpetuo abdicamus, dismembramus et separamus, illaque sic abdicata, dismembrata et separata ad eandem Ecclesiam Sancti Andreae illiusque Rectorem nunc et pro tempore existentem transferimus, nec non apud Ecclesiam Sancti Joannis ac illius Domibus, aedificiis Hortis, Hortalitiis, membris et pertinentiis hujusmodi *unum Hospitale in quo pauperes Peregrini Maronitae ac alii ejusdem Nationis indigenae ad dictam Urbem confluentes, juxta ordinationem pro tempore existentis Protectoris ipsius Hospitalis desuper faciendam, recipi et charitative tractari ac confoveri debeant,* auctoritate et tenore similibus etiam perpetuo erigimus et instituimus, illique sic erecto et instituto eandem Ecclesiam Sancti Joannis sine cura effectam sive per dissolutionem unionis, annexionis et incorporationis hujusmodi, sive aliquo quovis modo, quem etiam, si ex illo quovis generalis reservatio etiam in corpore Juris clausa resultet, praesentibus haberi volumus pro expresso et ex cujuscumque persona seu per liberam resignationem cujusvis de illa in Romana curia, vel extra eam etiam coram Notario publico, et testibus sponte factam aut assequutionem alterius Beneficii

Ecclesiastici quavis auctoritate collati vacet, etiam si tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranensis statuta Concilii ad Sedem praedictam legitime devoluta, ipsaque Ecclesia Sancti Joannis dispositioni Apostolicae specialiter vel per dissolutionem unionis, annexionis et incorporationis hujusmodi, aut aliqua generaliter reservata existat, illiusque collatio, provisio et quavis alia dispositio ad aliquem ex ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus nuncupatae Ecclesiae sibi pro titulo, seu denominatione, seu Cardinalatus assignatae pertineat et super ea inter aliquos lis cujus statum praesentibus similiter haberi volumus pro expresso pendeat indecisa cum Domibus, aedificiis, hortis, hortalitiis, membris, et pertinentiis, eorumque situ et ambitu hujusmodi in perpetuum concedimus et assignamus. Ita quod liceat ipsius hospitalis Protectori et administratoribus pro tempore existentibus illorum omnium corporalem possessionem per se vel alium seu alios propria auctoritate etiam absque Judicis mandato vel decreto libere apprehendere et perpetuo retinere, fructusque, redditus, proventus, jura, obventiones et emolumenta eorumdem in Hospitalis ac Ecclesiae Sancti Joannis hujusmodi usus, utilitatem et necessitates convertere, necnon eidem Ecclesiae Sancti Joannis per unum vel plures Sacerdotes idoneos a Vicario dictae Urbis adprobandos in Divinis deserviri facere, seu etiam in ea tot quot ipsis videbitur Monachos Ordinis Sancti Antonii Primi Eremitae sub Monastica disciplina ac Ecclesiae Maronitarum, Praesulis pro tempore existentis obedientia degentes, qui ibidem Missas et alia Divina Officia Idiomate Arabico et Caldaico celebrent, introducere cujusvis licentia desuper minime requisita. Insuper praedictum Hospitale et personas in eo pro tempore degentes illorumque Administratores, Officiales, et Ministros ac ipsius hospitalis res et bonā mobilia et immobilia, praesentia et futura cujuscumque qualitatis, et quantitatis ac ubicumque locorum etiam in dicta Urbe fuerint ab omni jurisdictione, correctione, visitatione, dominio, superioritate et potestate pro tempore existentis Vicarii, Senatoris, Conservatorum et Reformatorum dictae Urbis, ac sub eorum locorum aliorumque Judicum et Officialium quorumcumque in ipsa Urbe vel alias constitutorum, nec non idem hospitale in propriis ejus rebus et bonis ac alias cum ipso contrahentes a solutione et exactione omnium et singulorum Pedagiorum et Gabellarum, Bollectinorum, Decimarum et aliorum quorumcumque tam ordinariorum, quam extraordinariorum onerum ex quacumque causa impositorum et imponendorum eximimus et liberamus, ac sub Beati Petri et dictae Sedis atque nostra protectione suscipimus, Nobisque et eidem Sedi immediate subiicimus, ac dilectum filium nostrum Antonium Titulo S. Eusebii Presbyterum Cardinalem Carrafam nuncupatum ejusdem hospitalis Protectorem, et Definitorem; cujusque consilio et ope omnia supradi-

cta et alia ad ipsius Hospitalis illiusque bonorum, rerum et jurium tam spiritualium quam temporalium salubrem directionem et administrationem ac personarum in eo receptionem et retentionem eorumque qualitatis pertinentia et alias quomodolibet necessaria agantur, statuantur et ordinentur constituimus et deputamus. Eidemque Antonio Cardinali et pro tempore existenti ipsius Hospitalis Protectori, Administratores, Rectores, Oeconomos, Advocatos, Procuratores aliosque Ministros, ut Officiales hospitalis hujusmodi deputandi, ac amovendi, et alios illorum loco substituendi, nec non ordinationes et statuta quaecumque licita tamen, et honesta ac Sacris Canonibus et Concilii Tridentini Decretis non contraria faciendi et edendi, ac illa quoties pro eorum et temporum qualitate, seu aliqua expedire videbitur immutandi, corrigendi, moderandi et reformandi, ac alia ex integro condendi quae postquam edita, immutata, correcta, moderata, reformata, et condita fuerint, eo ipso dicta Apostolica auctoritate confirmata et approbata esse censeantur, ac ab omnibus ad quos pro tempore spectabit etiam sub poenis in contravenientes statuendis, observari debeant plenam liberamque facultatem tribuimus. Decernentes praemissa omnia ac praesentes litteras nullo unquam tempore sive pro eo quod causae propter quas haec omnia facta sunt coram dicto Vicario vel quocumque alio examinatae, verificatae et approbatae, ipsiusque Ecclesiae Sancti Andreae Rector, et quicumque alii interesse habentes ad id vocati non fuerint, nec eisdem praemissis consenserint, sive aliquo ex quibusvis causis de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae vel quocumque alio defectu notari, impugnari, retractari seu etiam revocari, suspendi, restringi, limitari aut in jus vel controversiam vocari seu ad juris terminos reduci posse aut sub ullis similium vel dissimilium gratiarum derogationibus aut aliis contrariis dispositionibus sub quibuscumque tenoribus et formis et ex quacumque causa pro tempore factis comprehendi sed semper ab illis excepta et quoties illae emanabunt toties in pristinum statum restituta et de novo concessa ac semper valida et efficacia fore et esse: necnon Protectores, Administratores et personas Hospitalis hujusmodi pro tempore existentes ad praesentes litteras in Camera Apostolica juxta Constitutionem piae memoriae Pii IV. etiam Praedecessoris nostri sub datum tertio Id. Augusti Pontificatus sui Anno Sexto editum, infra tres menses ibi ad id praefixos seu etiam postea ullo unquam tempore praestandum, intimandum, insinuandum vel registrari faciendum minime teneri nec ad id ulla necessitate cogi posse. Et nihilominus easdem praesentes litteras omnino valere et suffragari ac suos effectus sortiri sicque per quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos quavis auctoritate fungentes etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores ac ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, su-

blata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere. Irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis et recolendae memoriae Bonifacii Papae VIII. similiter Praedecessoris nostri ac Lateranensis Concilii ultimo celebrati Uniones perpetuas nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, nec non quatenus opus sit nostris de non tollendo jure quaesito, unionibusque ad partes vocatis quorum interest committendis et exprimendo valore beneficii etiam cui aliud uniretur, aliisque Apostolicis Constitutionibus, nec non Urbis locorum et Camerae praedictae etiam Juramento, Confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et Consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis et Litteris Apostolicis illis ac Vicario, Senatori, Conservatoribus, Reformatoribus, Ordinariis, Officialibus, et judicibus praedictis, nec non ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Camerario dictaeque Camerae Praesidentibus et Clericis ac quibusvis Dohaneriis, Commissariis, et aliis personis ad exactionem Pedagiorum et aliorum onerum praedictorum pro tempore deputatis; nec non Populo Romano ac quorumcumque locorum Gubernatoribus, Universitatibus, Communitatibus, et hominibus sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis nec non irritantibus et aliis decretis in genere vel in specie etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus ac alias quomodolibet etiam iteratis vicibus concessis, approbatis, et innovatis. Quibus etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata inserti forent praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque, aut si aliquis super provisionibus sibi faciendis de hujusmodi vel aliis beneficiis in illis partibus specialis vel generalis dictae Sedis vel Legatorum ejus litteras impetravit, etsi per eas ad inhibitionem, reservationem et Decretum vel alias quomodolibet sit processum. Quas quidem litteras et processus habitos per easdem ac inde sequuta quaecumque ad dictam Ecclesiam Sancti Joanni volumus non extendi, sed nullum per hoc vis quoad assequutionem Beneficiorum aliorum praejudicium generari; et quibuslibet aliis privilegiis Indulgentiis et litteris Apostolicis quorumcumque tenorum existant per quae praesentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impedire valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit de verbo ad verbum in no-

stris litteris mentio specialis. Proviso quod propter posteriores concessionem et assignationem nostras praedictas Ecclesiae Sancti Joannis hujusmodi debitis non fraudetur obsequiis, sed ejus congrue supportentur onera consueta. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae dissolutionis, suppressionis, extinctionis, abdicationis, dismembrationis, separationis translationis, erectionis, institutionis, concessionis, assignationis, exemptionis, liberationis, susceptionis, subjectionis, coustitutionis, deputationis, tributionis, Decreti, derogationis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Marcum Anno Incarnationis Dominicae millesimo, quingentesimo octuagesimo tertio Id. Januarii Pontificatus Nostri Anno Duodecimo. *C. Glorierius.*

Bulla Constitutionum Collegii Germanici, et Ungarici Urbis, a Gregorio XIII. ejusdem Collegii fundatore aedita. Una cum Decretis Clementis VIII. et Urbani VIII. in visitationibus ejusdem Collegii publicatis omnino observandis etc.

GREGORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

1. Ex Collegio Germanico, quod Superioribus annis in Urbe constituimus, magnisque hucusque sumptibus auximus, et locupletavimus, religioni Christianae, praesertimque charissimae nobis Germanicae Nationi, cujus causa initio institutum est, magna cum animi nostri voluptate jam fructus consequuntur non mediocres.

2. Unde magis in dies invitamur, ut studiosius in eam curam incumbamus; frustra tamen a nobis suscepta esse omnia satis intelligimus, nisi illud quemadmodum optimis disciplinis, et Sacrae praesertim Theologiae doctrina curemus imbuendum, ita etiam salubribus institutis communiamus; ut Juvenes in ipsum cooptati, normam aliquam habeant, ad cujus praescriptionem, et ipsi suas dirigant actiones, et superiores omnia suorum momenta perpendant officiorum, aetasque illa lubrica, et saepe prolabens, cujus iter cognitu est perdifficile, in circumscripto ei a nobis virtutis curriculo se exercens, suam modestiam probet, et continentiam, paternisque nostris monitis innitens, et monstratam semitam assidue terens ad praepositam gloriae palmam, non

illam quidem corruptibilem, sed aeternam inoffenso cursu deferatur. Quare.

3. Motu proprio, certaque nostra scientia in perpetuum statuimus, et ordinamus, ut pro subveniendo spiritualibus Germaniae necessitatibus, quo institutio Collegii spectat, in opportunis ipsius Germaniae locis viri aliqui pii, et prudentes constituant, qui praeclarae indolis conquirant, examinatosque Collegio proponant, ex quibus Superiores Collegii optimos quosque designant.

4. Sint etiam Romae tres Examinatores, qui coram Rectore Collegii Juvenes examinent, eosque juramento (quod tamen si Superioribus minime necessarium videbitur, possit remitti) approbent, aut reprobent. Debent autem Viri Religiosi, et Ecclesiastica beneficia jam obtinentes aliis praeferri, Juvenes vero in hoc Collegium admittendi ex Superiori Germania, Vuestfalia, Saxonia, Prussia, Rheno, atque ex Regno Ungariae, ut hucusque factum est, accipiantur; oportet enim ex Germania, Provinciis praedictis centum Alumnos, quod in aliis litteris Apostolicis fuit expressum, in Collegio esse. Si vero aliqua Collegii loca vacua remanebunt, ea poterunt ex Aquilonaribus provinciis haeresi etiam infectis expleri, modo Juvenes ex his Provinciis valde sint idonei, Protectoresque, et Superiores eorum admissionem Catholicae Ecclesiae utilem fore judicaverint, et necessariam.

5. Nemo tamen ex quacumque gente, aut Provincia admittatur, qui studiis absolutis, et sacris ordinibus susceptis, certum locum non habuerit, ad quem se recipiat, et quo boni, et eruditi Sacerdotis munere perfungatur.

6. Omnes legitimo matrimonio sint nati, bona fama commendati, sano praeterea sint corpore, lingua minime impedita, et aspectu non deformi, nullius Religionis desertores, Latinae, et Germanicae linguae periti, nihil Roma negotii, aut litum habentes. Sint etiam aetatis maturae viginti circiter annos nati: quod si fuerint Nobiles, quique in Superioris Germaniae Cathedralibus Ecclesiis admitti consueverunt, tunc minimum sexdecim annos attingant, et Grammaticam sciant, caeteri omnes ad Theologica, vel Philosophica sint idonei.

7. Ignoti, amplumque de vita, et moribus testimonium non habentes, vel qui extra Germaniam in Aulis, aut in Universitatibus vixerunt, aut vagi cuivis Domino inservientes ingenitam Germanicam illam simplicitatem amiserunt, ad hanc disciplinam idoneos non judicamus, eosque ab ingressu Collegii reiicimus.

8. Quod Collegii praedicti Superiores observabunt in iis omnibus, quos ad hoc vitae institutum minime aptos esse cognoverint.

9. Verum qui bonae indolis fuerint, nullumque hujusmodi habuerint impedimentum post legitimum examen a Praeposito generali recipi poterunt, iis, qui defectum patientur, rejectis, qui omnino non

debeant admitti, nisi gravis aliqua causa intercedat, et de unanimi omnium Protectorum, et Superiorum consensu.

10. Paterna vero Praepositi generalis in hoc maxime se ostendat solicitudo, ut omnes Germaniae Dioeceses pro singularum necessitate, et amplitudine juventur, et eisque quot poterunt in Collegii loca distribuantur, quae distributio mutari poterit, ut se mutabit Germaniae status, et animarum salus postulaverit.

11. Si qua vero in Dioecesi non reperiantur ad hanc institutionem idonei juvenes, alii ex finitima, aut alia Provincia deligantur, qui in Collegio instituti ad desolatas ejusmodi Ecclesias exemplo, et doctrina sublevandas postea dimittantur.

12. Plures autem non recipiantur, quam quot Superiorum judicio, atque experientia in Collegio praedicto poterunt commode sustentari.

13. Antequam in Collegio quisquam admittatur, vel in fine sex primorum mensium in superiorum manibus jusjurandum dare debeat, velle se Statum Ecclesiasticum amplecti, et ad omnes sacros etiam Presbyteratus ordines, cum visum fuerit Superioribus, promoveri: cumque iidem mandaverint, in Patriam statim reversuros; juris civilis, aut medicinae studio non professuros, aliam rationem vitae, aulicam praesertim, non sectaturos, sed continuo ubi a Collegio dimissi fuerint in Germaniam ad juvandas animas remigraturos, etiam ante constitutum studiis ordinarium terminum, si ita animarum saluti conducere, aut pro Collegii commodo Superioribus videbitur expedire.

14. Juret etiam se Collegii instituta secundum Superiorum interpretationem observaturum, nec a communi omnium Alumnorum vivendi ratione discessurum.

15. Postquam autem praedicti in Collegium fuerint recepti, Christianam pietatem, et Dei timorem primum, et summum Religionis studium sibi esse propositum in animum inducant. Inde enim salutaris et vera initium habet Sapientia, quare statim pietatis, et Ecclesiasticae vitae fundamenta jaciant; vocationem, quam Deus illis impertiri dignatus est, etiam atque etiam considerent, generalem totius vitae confessionem instituant, Divinum officium recitare, et coelestia meditari discant, cathechismo studeant, iis, quae in Domo Dei, et in Choro a Clericis peragenda sunt diligenter assuescant, atque id genus alia quibus novi Alumni perdiscendis dies ut minimum quadraginta impendant, nec antequam in illis se bene exercuerint Alumnorum veste induantur, aut ad disciplinarum studia mittantur, etiamsi Nobiles fuerint, aut Religiosi, et in Sacerdotio constituti.

16. Sex item menses cuique tribuantur, quibus an in Collegio perseverare, institutionesque hujusmodi observare, et propositum ad finem perducere velint, secum deliberent, et tantum pecuniae penes Collegii Ministros deponant, quantum infra sex menses, aut post stu-

diorum cursum discedentibus ad reditum in Patriam sufficiat, ne Collegium viaticis gravetur, pauperum tamen ratio habeatur.

17. Quam sex mensium praescriptionem ad novorum Alumnorum probationem concessorum Superiores non arctabunt, quo minus si deprehenderint Juvenes, ad hujusmodi disciplinam, sacrosque ordinem parum aptos, eos intra sex menses praedictos sine mora possint dimittere.

18. Nemo enim in Collegio est alendus, qui sine spe solidi in pietate fundamenti hinc videatur discessurus, ne forte malus pravi Alumni unius exitus ea destruat, quae multorum in religione, et pietate profectus aedificaverit: neque enim quibus severitate poenarum opus est coercendis, digni sunt hujus vitae instituto.

19. Tantum igitur retineri eos volumus, qui sua sponte, et amore virtutis, pietatis litterarumque studio vacabunt.

20. Omnes Collegio fraterna charitate devincti ejusdem legibus vivant, eadem praecepta servent, sive Nobiles, sive Sacerdotes sint, omnium etiam Religiosorum idem sit victus, et vestitus, honestus tamen, et personis Ecclesiasticis Superiorum judicio conveniens.

21. Et ut quod intendimus spirituale aedificium ad culmen, Deo dante, perducatur, statuantur ante omnia fundamenta pietatis. Itaque Sacramentorum pius, et assiduus usus conservetur, singulisque mensibus, solemnibus festis, ac Dominicis Adventus, et Quadragesimae, omnes constitutis per Superiores Sacerdotes peccata confessi, nisi legitimum intercedat impedimentum, communicent.

22. Quotidie missam audiant; et mane antequam studiis operam dare incipiant, dimidiatam horam piae meditationi impendant, et vesperi antequam cubitum eant, quartam horae partem litaniis, et discutiendae conscientiae tribuant, et si quis officium Ecclesiasticum recitare debet, id aliis horis absolvat.

23. Sacerdotes frequentius missae sacrificium Deo offerant, in quo peragendo non minus dimidiata hora insistant, piae quoque consuetudines nascentis Collegii omnes praescribantur, et posteris observanda proponantur.

24. Praeter constitutos per Superiores Collegii Confessarios, sint in tanta multitudine aliqui rerum spiritualium Magistri, qui pietatis disciplinam primum quidem novis Alumnis, deinde etiam adultis, caeterisque omnibus accuratissime tradant, quod si tales Magistri ex ipsa Societate deligi non potuerint, optimi quique ex ipsis Alumnis assumantur, qui ab omni cura vacui omnino hoc tantum munus sollicite subeant.

25. Alumni vero studiis quidem addicti, in pietate vero desidiosi, quique suis moribus alios ab ardenti pietatis studio tepefecerint, aut quomodolibet averterint, vel a rectis Superiorum consiliis, aut obe-

dientia abduxerint, vel hujusmodi facere tentaverint, statim a Collegio dimittantur.

26. Festis diebus domi se contineant orationi, piae lectioni, Divinis officiis, sacris caeremoniis perdiscendis, et exercendis dent operam. Quod si Superioribus incommodum videretur, omnibus diebus festis totum Divinum officium decantare, in solemnioribus tamen diebus, et Dominicis Adventus, Quadragesimae, et in diebus festi Beatissimae Virginis Mariae, Sanctorum omnium Apostolorum, et Angelorum partim decantetur, partim distincte, et devote sine cantu recitetur.

27. At cum Autumni tempora lectionibus vacant, tum maxime in Divinis officiis perdiscendis, et cantandis, ut Superioribus videbitur, sese exerceant, in quo tamen ne remissius, aut indulgentius agatur, Rectoris conscientiam oneramus. Eo quoque tempore, aut alio cum studia intermittuntur, ea doceri curent, quae celebrando Missae sacrificio sunt accommodata, praesertim hostias, et corporalia parare, diebus festis nulla unquam litteraria exercitatio, aut Divinum Officium, aut Ecclesiarum curam quomodolibet interrumpat, seu impediat.

28. Beneficiorum in Collegium a Dei benignitate collatorum memoriam pie colant, memoresque sint bene de Collegio praedicto, et de se meritorum, et Superiorum praecipue defunctorum quorum nomina in Ecclesiarum suarum sacrario, aut in Choro descripta habebunt, proque iis, qui majori fuerint in se usi beneficientia, Anniversaria sacra perpetuo solemniter fiant: singulisque hebdomadis pro illis orationes, et sacrificia Deo offerantur.

29. Alumni morientes, et in ipso agone, et ab hora transitus usque ad horam sepulturae fraternis Alumnorum obsequiis, atque orationibus adjuventur, quorum funeri omnes intersint, et intra octo dies exequiae illis pie persolvantur.

30. Quando autem contigerit aliquem ex Cardinalibus Protectoribus decedere e vita, triduo orationes et sacrificia pro illius anima Deo offerantur, cujus misericordia pro futuro Protectore rogetur, ut talem dignetur nobis, aut pro tempore futuris Romanis Pontificibus suggerere, qui tantum opus amplecti velit, et quam maxime poterit charitate tueri.

31. Qui ex Alumnis Superiorum judicio in pietatis studio, et in Ecclesiasticis functionibus bene fuerint versati ad omnes sacros etiam Presbyteratus ordines promoveantur etiam sine litteris dimissorialibus suorum Ordinariorum, et sine studio beneficii, aut patrimonii, etiam extra legitima ordinationum tempora.

32. Antequam vero sacris ordinibus initientur in spiritualibus exercitiis, et piis meditationibus per dies ad minimum quindecim conti-

neantur, unoque anno antequam in Patriam sint profecturi, aut si commode fieri posset, adhuc citius ad Sacerdotium assumantur, quo tempore in Sacerdotalibus officiis, atque in Sacramentorum administratione, et in concionibus ad populum exerceantur, ita tamen ut hac occasione Sacerdotes, neque liberiores sint, quam antea, neque extra Collegium comedant, aut pernoctent.

33. Omnes Collegii nostri Alumni a cauponis, et hospitiis locandis, et a quorumvis negotiorum procuratione abstineant, nullis Ecclesiasticorum beneficiorum litibus, aut controversiis implicentur, nec per aulas, Tribunalia locorum, aut externorum, aliorumve domos discurrant.

34. Constituatur autem aliquis pius, prudens, et expertus vir, qui ipsorum Alumnorum negotia sine eorum interventu expediri curet.

35. Alumni, sine comite a Superioribus illis adjuncto e Collegio egredi non audeant, quod si fecerint, aut comitem deseruerint, vel eo prae foribus relicto negotia intus occulte tractaverint, in Collegium amplius non recipiantur.

36. Non prandium, aut coenam extra Collegium capiant sine expresso Rectoris, et Praepositi generalis consensu, qui Alumnis ipsis, ut extra Collegium pernoctent, aut post Solis occasum coenent, facultatem concedere minime poterunt.

37. Si quis autem ex Alumnis extra Collegium ebrius fiat, in Collegium amplius non recipiatur, quod si cuiquam in Collegio non semel, neque casu idem accidat, debet a Collegio dimitti.

38. Ad tollendas autem commessationes, et quae inde oriuntur scandala, non possit Rector quemquam externum in Collegii vineas, atque hortos introducere sine Praepositi generalis consensu, qui eam diligentiam in hoc Collegio gubernando adhibeat, quam, si esset suae Societatis Collegium, adhiberet; consuetudine autem et modo suae Societatis non utatur, sed novas regulas proponat, quibus Alumni Collegii privatim, et publice secundum canones, et Clericorum saecularium mores instituantur.

39. Litterae, quas Alumni praescribent, item eorum libri diligenter inspiciantur, quae si quidpiam amatorium, aut bonis moribus perniciosum contineant, comburantur, et qui eos habuerint, severe puniantur.

40. Si quis autem deprehendatur impuras litteras scribere, seditiosas, vel detractorias, malum aliquod consilium, vel vitia quorumvis continentes statim e Collegio eiiciatur, eandem poenam subeant, qui seditionis speciem aliquam excitaverint, vel occasionem praebuerint, atque auctores fuerint, quo minus aliquis Superioribus obtemperaverit, aut si quem contra eos re, aut verbo concitaverit: ii etiam eiiciantur, qui injunctam sibi poenam detrectaverint, aut invitis Superio-

ribus pecuniam occulte retinuerint, quique quemvis maledictis, aut injuriosis dictis affecerint, aut percusserint, vel Collegii pacem quomodocumque turbaverint, factis item, et verbis inhonestis, statim tamquam pestes quaedam e Collegio extrudantur.

41. Ad ea quisque studia se applicabit, eosque libros habebit, quos Rector censuerit, interpretationis Auctorum in Gymnasio tantum Societatis audient.

42. Ad Theologica studia quatuor annos assignamus, ad Philosophica tres, totidem ad conscientiae casus (*). Juris autem Civilis, aut humaniorum litterarum studia nullum in hoc Collegio locum habeant.

43. Harum quas demonstravimus disciplinarum studiis ultimus annus Alumnis non concedatur, nisi prius in Subdiaconatus saltem ordine sint constituti, quod si quis ad Sacros Ordines aptus non videbitur, aut illis indignus, is in Collegio nequaquam retineatur, nec ei permittatur Theologiae, aut quodvis aliud studium inchoare.

44. Sacerdotes, et virtute, et doctrina praestantes in Theologia Magistri creentur sine tamen ullo Collegii sumptu; qui autem Sacerdotii Ordinem non fuerint consequuti, ad hujusmodi gradum non sunt admittendi: studiis absolutis dies triginta Alumnis concedantur, quibus transactis non possint Superiores amplius eos in Collegio retinere, triginta vero illis diebus non erunt Alumni a Collegii legibus soluti, sed omnia facient ex Superiorum praescripto.

45. Quae vero pauperibus Alumnis vestes, aut pro vestibus quae pecuniae in discessu dandae sint, ita Rectori praescribatur, ut quaerelarum, et invidiae occasio praecidatur: Alumnis vero, qui pauperes non fuerint, aut qui studiorum cursum non absolverint, aut qui ob culpam aliquam dimissi fuerint, nihil detur.

46. Superiores facultatem habeant, aliquos egregiae virtutis Alumnos etiam post absoluta studia in Collegio retinendi, quorum opera utantur in Collegii administratione, et cura rerum ad Collegium pertinentium, vel etiam ut Alumni praedicti concionibus, et administratione Sacramentorum Germanos juvent in Urbe commorantes, et ob alias ejusmodi pias causas ad Collegii commodum, et animarum salutem pertinentes.

47. Nullus autem in Collegio, vel postquam e Collegio egressus fuerit causarum in Curia sit Procurator, nec cujusvis Principis, aut Praelati negotia etiam spiritualia procuret; nec absolutis studiis, quisquam vel in Collegio, vel in Urbe permaneat, ut curiae praxim ediscat.

48. Si quis Alumnus Divinae gratiae impulsu ad perfectionis statum

(*) Quod intelligi debuit, quandiu unus tantum erat Casuum conscientiae Lector, postquam vero positi fuerunt duo, declaratum est a R. P. D. Claudio Aquaviva cursum casuum duobus annis absolvi, idque Eminentiss. Card. Comensis protector approbavit.

et ad aliquod religiosae vitae genus aspiret, non debet a quoquam quavis de causa impediri, etiamsi eo consilio fuisset in Collegium ingressus, ut studiis absolutis a saeculi fluctibus se in tutum reciperet, dummodo virtute confirmatus in aliquam Germaniae Provinciam se conferat.

49. Loca discedentium Alumnorum ultra annum non vacent, et si ii, ad quos loca vacua pertinet, non advenerint, Superiores eorum loco alios recipiant idoneos juvenes, qua in re nemo poterit Superiores impedire.

50. Erga absentes Alumnos, atque in Germania commorantes Rector Collegii paterna utatur sollicitudine, eorum labores cognoscendo, eosque qua decet charitate consolando.

51. Collegii Superiores primum pii sint animarum salutis studiosi, et maximam Divini cultus habeant rationem. Deinde Juvenes maximo cum delectu recipiant, receptos statim in Dei timore accurate institui procurent, postea pietati negligentius vacantes, et ad virtutem non valde propensos sine ulla mora dimittant; quae tria, ut Superioribus cordi sint, sub obtestatione Divini judicii mandamus.

52. Maxima quoque habeatur cura Ecclesiarum, divinusque in illis cultus, ac ornatus religiosissime conservetur, piique Sacerdotes a Superioribus deligantur, qui in illis semper resideant, ac, ut debebunt, Missas, et Divina officia celebrent, ipsique Superiores pro honore Dei Ecclesiis praedictis liberaliter, quidquid opus erit, provideant, cultumque in eis ita exhibeant, ut earum redditus primum illis ipsis Ecclesiis serviant.

53. Divinorum officiorum tempore nullus alumnus absit, Sacerdotesque Viri pii, et graves Choro praesint, sacrarumque ceremoniarum Magistri sint divini officii moderatores.

54. Si quis autem, et Alumnis indignum quid orationis domo, aut inhonestum dicto, vel facto, nutu, vel aspectu minus honesto commiserit, confestim e Collegio dimittatur.

55. Si quis etiam Sacras ceremonias discere, vel exercere neglexerit, aut ab Ecclesiasticis, et Clericalibus officiis alienus fuerit, vel templum, et chorum fugitet, nisi monitus resipierit, in Collegio non toleretur.

56. Quae omnia, quia a Rectoris pietate pendent, Praepositus Generalis Rectorem in hoc Collegio constituat virum aliquem rectum, sobrium, prudentem, pietatis, et timoris Dei studiosissimum, qui omnes ratiores pari charitatis studio complectatur, et Christianum inter Alumnos amorem conservet, vitae suae exemplis omnes ad sui imitationem, et ad coelestis cum sanctis consortii desiderium inflammet, bonos in virtutis soliditate confirmet, malos a bonis discernat, et ex hoc loco intrepide nulla cujusquam ratione habita expellat. Saepe Alum-

nis eorum vocationem exprimat: in Adventus, et Quadragesimae octavo quoque die Alumnis Verbum Dei pro statu cujusque explicet; aliis vero temporibus bis quolibet mense salutaria documenta publice proponat, omnesque ad timorem Dei et amorem excitet, et inflammet.

57. Sic etiam Rector Divini cultus, Ecclesiastici officii, Sacrarum ceremoniarum, ritusque Romani valde studiosus, Domus Domini decorem amet, neque tamen suae Religionis non necessarias sibi retineat consuetudines, aut in Collegium inducere studeat, sed propria tot Alumnorum institutione secularium clericorum ritum imitetur, ut Alumni non solum eum monentem audiant, sed ea quoque facientem videant, quae ipsi facienda proponuntur.

58. Spiritualis jurisdictio, et animarum cura, quam Ecclesiae habent Collegio unitae totam ad Collegii ipsius Protectores pertinere volumus.

59. Quae autem tam in spiritualibus rebus, quam Ecclesiis curandis fieri debent, marmoreis tabulis incisae in choro affixis habeantur.

60. Superioribus non liceat suppellectilem Ecclesiarum, vel earum ornamenta cuiquam commodare, ex reliquiis vero ne minimum quidem vel ipsis Regibus tradi possit, nisi ex subscripto manu nostra, aut pro tempore futuri Pontificis Romani mandato; si quis aliter fecerit sententiam incurrat excommunicationis eo ipso.

61. Et quia spiritualia sine temporalium adminiculo consistere minime possunt, ideo eorum cura esse non debet in postremis.

62. Quare ipse Rector viros fideles, atque idoneos, quot ad haec erunt necessarii, habere curet, quibus etiam praestandi ab eis officii leges, et quid in pietate, et moribus observare debeant, praescribat, quorum primus sit Oeconomus Generalis, quem si Superiores eligere recusent, duo, vel tres probatae vitae Viri Superioribus ipsis, et Protectoribus cogniti proponantur, ex quibus Protectores quem omnium aptissimum judicaverint eligant, et Oeconomum deputet Generalem, qui administrationis suae rationem reddet et Superioribus ipsis, ac Protectoribus, quoties ipsi petierint.

63. Oeconomo generali adjungatur a Superioribus alii particulares Oeconomi, praecipue vero fidelis aliquis vir, qui Oeconomum generalem in tanta rerum multitudine adjuvet, quique ipsius absentis, vel etiam aegrotantis vices subire, et bene gerere sciat, et possit: singulis vero Oeconomis necessaria suorum cujusque officiorum functio scripto tribuatur.

64 Redditus, sive pecuniae Collegii penes fidelem mercatorem tuto deponantur, ac deinde prout necessitas postulaverit, mandato a Rectore, et a duobus Oeconomis subscripto repetantur.

65. Nullus Oeconomus vel generalis, vel principalis, nullus item, qui Collegio in quovis munere deserviat ulli ex Protectoribus, vel

Superioribus, vel qui in Collegio jus aliquod, administrationem, vel potestatem habeat, sit sanguine, vel aliqua affinitate conjunctus, neque ab alio ex praedictis, neque ab ullo alio Praelato, aut Domino quovis modo dependeat, aut cum praedictis clientelam habeat, Pater, et Filius, duo fratres, duo consanguinei in eadem Civitate, et Provincia non sint alicujus Collegii Oeconomi, neque quisquam in Collegio deserviat, qui sit sanguine propinquus Oeconomo generali, neque ad ipsum aliquo modo pertineat.

66. Bona Collegii quaecumque non locentur Protectorum, aut Superiorum consanguineis, nullisve cujusvis ordinis Religiosis, non magnis Praelatis, non Oeconomis, aut aliis Collegii Ministris, neque eorum consanguineis, neque ulli, qui aliquod jus, potestatem, vel administrationem habeat in Collegio.

67. Bonorum locationes a Rectore, vel ab Oeconomo generali in ipso Collegio fient Rectore praesente, atque eas approbante.

68. Quicumque autem bona Collegii sive in Urbe, sive extra Urbem locaverit, antequam locatio perficiatur, jusjurandum coram Rectore, vel alio deputato praestet, affirmans se in ea legatione solam Collegii utilitatem spectasse, et propter illam se nullum munus, nullamque utilitatem cepisse, aut in futurum expectare juret item se nihil facere, aut fecisse ad alicujus instantiam, aut commendationem, aut propter cujusque affinitatem, vel amicitiam, et sine hoc juramento de quo constet, quaevis a quocumque, et ubicumque facta locatio irrita sit, et invalida.

69. Bona praedicta tertio, aut quarto quoque anno a peritis, et fidelibus viris visitentur, eorum limites recognoscantur, et si opus fuerit renoventur, atque una cum visitatoribus, si fieri poterit, adsit aliquis ex Collegii Superioribus, aut saltem Alumnus Sacerdos vir prudens, et pius.

70. Oeconomus tam generalis, quam particularis, aliique praecipui Collegii Officiales singulis annis mense Januario fidelis, et rectae administrationis, et ad officium quo funguntur, aptitudinis, necnon Christianae pietatis, et honestae conversationis testimonium a Rectore habeant, quod nisi habuerint, eo ipso officiis privati censeantur.

71. Societatis vero homines ad temporalem administrationem non obligentur nisi de sui Praepositi Generalis mandato, a quo uno in omnibus regantur, et corrigantur, et illi soli suae quisque administrationes rationem tantum reddant.

72. Si quid forte in his constitutionibus desiderari usus rerum magister demonstraverit, aut obscurum fuerit, vel ambiguum, id Protectores, et Superiores, re mature deliberata, ex communi omnium consensu suppleant, atque declarent, et ad alia extendant.

73. Quivis autem vel Protector, vel alius dispensandi potestatem

non habeat, sed id fiat ex communi omnium consensu, raro tamen, et nisi ob graves causas, ubi praesertim nulla sit privati commodi, aut gratiae suspicio, sed vel necessitas cogat, vel magnum Collegii bonum agatur, resque ad majorem Dei honorem, vel Collegii ipsius commodum manifeste pertinere appareat.

Quae omnia, et singula in his constitutionibus contenta ab omnibus tam Alumnis quam aliis quibuscumque, ad quos pertinet, cujusvis status, conditionis, et ordinis etiam Sacerdotibus in virtute sanctae obedientiae, et sub censuris, et poenis, nostro aut Protectorum, vel Rectoris arbitrio pro culpae modo infligendis, mandamus inviolabiliter observari. Decernentes quascumque alias dicti Collegii constitutiones a quocumque etiam a nobis emanatas, vel approbatas praesentibus contrarias nullius esse roboris, et momenti, et ex nunc irritum, et inane quidquid secus in praedictis per quoscumque scienter, vel ignoranter etiam obtentu aliarum dicti Collegii ordinationum, quae tamen per praesentes, nisi his adversentur abrogatae non sint, aut alias quocumque contigerit, attentari.

Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, ac aliis ipsius Collegii juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter, et divisim ab Apostolica sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, et expressam, ac ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Nullique omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, ordinationis, rejectionis, onerationis, assignationis, voluntatis, mandatorum, et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo quarto Kalend. Aprilis Pontificatus nostri anno duodecimo.

M. Card. S. Stefani.

Caesar Glorierius.

A. de Alexiis.

Registrata apud Ces. An. Secretarium.

Loco ✠ Sigilli penden.

Regulae servandae ab Alumnis Collegii Germanici ex Decreto SS. D. N. Clementis PP. VIII.

1. Alumni omnes postquam in Germania a Patribus Societatis diligenter examinati, atque approbati in Collegium Germanicum fuerint jam recepti, id sibi praecipue statutum habeant, ut primum pietate, ac moribus Ecclesiasticis animum imbuant; deinde vero, negotiis aliis quibuscumque posthabitis, hoc unum agendum putent, ut omni cura, et diligentia studiis praescriptis incumbant.

2. Studia quidem uniuscujusque captui sint accomodata, et quae in Germania lucrandis animis, et Religioni Catholicae promovendae usui esse queant. Ea, praeter scholasticam, sunt Theologiae positiva, nempe jus Canonicum, casus conscientiae, controversiae. Nomine vero controversiarum comprehenditur omne instrumentum ad determinandum contra haereticos: hoc est quaestiones, scripturam sacram, linguas.

3. Philosophiae, et Scholasticae Theologiae ii tantum vacabunt, qui examinatorum sententia, et Rectoris judicio bonae, piaeque indolis, atque adeo praestantis ingenii censebuntur, ut praeter eximiam ipsius scholasticae Theologiae cognitionem, plurima ad positivam e scholasticis principiis sint deducturi; insuper vero controversiarum, atque casuum studio sese brevi labore eruditos reddere perfacile pòssint.

4. Reliqui omnes in Theologiae positivae studio versentur, atque in id enixe, accurateque operam dent: nimirum hac ratione atque utilitatis comparaturi.

5. Semel atque iterum in anno omnes Alumni separatim de singulis materiis, quas audierint, diligenter examinentur. Examinatores autem non aliter, quam suffragiis ferant sententiam, quae a Rectore in librum referatur, ut eorum ratio ducatur, quorum in discendo diligentiam, et ad studia progressionem Rector testimonio hujusmodi approbaret.

6. Postremo cum ii, qui ob ingenii lebetudinem, aut aversam a studiis voluntatem ad propositum finem inhabiles comperiuntur; cum etiam illi, qui inobedientiam, malosque mores praeseferant, vel sibi pietatem, aliasque virtutes fini hujuscemodi pares haudquaquam adipiscuntur, quamprimum a Collegio amoveantur.

Ego Vincentius S. R. E. tit. S. Clementis Presbyter Card. Montis Regalis nuncupatus, unus e Germaniae Congregationis Praefectis hasce regulas quasi leges jussu SS. D. N. Clementis Papae VIII. ad Collegium Germanicum stabiliendum latas, ac promulgatas de mandato ejusdem SS. D. N. subscripsi Kal. Novembris 1592.

M. Minutius SS. D. N. Secret.

Decreta Illmorum, et Revmorum Cardinalium Madrutii, Burghesii, Mellini, Zolleren loco Diatristain, Ludovisii, et Boncompagni Collegii Germanici, et Ungarici Protectorum in visitatione dicti Collegii ex ordine SS. D.N. Urbani VIII. sancita, atque ab eodem Sanctissimo confirmata die 23. *Januarii* 1627.

1. Quoniam docuit experientia magnopere impediri Collegii Germanici, et Ungarici progressus ex Alumnorum, ex quibusdam Provinciis, quae parum inter se conveniunt admixtione accurate servandum decretum ab antecessoribus Protectoribus alias factum, ut nulli in posterum in Collegium admittantur, nisi ex Provinciis illis, quae in Bulla Constitutionum Gregorii XIII. anno 1584. edita exprimuntur, quae sunt Germania superior, Westphalia, Saxonia, Prussia, Rhenus, et Regnum Ungariae.

2. Qui sunt in Collegium admittendi, postquam fuerint juxta ejusdem Bullae praescriptum in partibus examinati, eorumque examen Romae approbatum, expectent, dum moneantur, quando venire debent. Qui vero sponte, vel ab aliquo mittuntur, vel non vocati ex se quocumque praetextu, vel commendatione venient, minime recipiantur.

3. Nulli alumno abire liceat e Collegio nisi aut absolutis jam studiis, aut medici consilio propter adversam valetudinem, aut ob aliquod superiorum judicio grave negotium; aut denique ob casum aliquem ex iis, ob quos dimitti quempiam Bulla jam dicta praecipit. Praeter dictas ob causas nemini nondum absolutis studiis abire permittatur, nisi persolutis expensis ad illud usque tempus in Collegio factis.

Die 23. Aprilis 1641. Eminentiss. Cardinalis Franciscus Barberinus Protector declaravit hoc debere intelligi etiam de iis, qui ante factum juramentum discedunt, ut nimirum teneantur solvere pro expensis etc. Ita est Aloysius Albericius etc.

4. Accurate in primis inter cetera servetur, quod in eadem Bulla prohibetur, ut nullus in Collegio, vel postquam e Collegio egressus fuerit, causarum in Curia sit Procurator, nec cujusvis Principis, aut Praelati negotia etiam spiritualia procuret, nec absolutis studiis quisquam vel in Collegio, vel in Urbe permaneat, ut Curiae praxim addiscat. Sed ubi e Collegio dimissi fuerint, in Germaniam abeant, neque Romae, aut alibi per Italiam morari permittantur, adhibito, si opus fuerit, brachio saeculari.

5. Non liceat Alumnis, cum e Collegio discesserint, Doctoris gradum in quacumque Italiae universitate suscipere, nisi Protectoris, aut saltem Rectoris testimonio dignus fuerit judicatus, qui ad illum promoveri gradum, eumdemque postulare, ubicumque possit.

Die Sabbati 23. Januarii 1627. Sanctiss. in Christo Pater, et D. N. Urbanus divina Providentia Papa VIII. suprascripta decreta probavit, et exequi mandavit, et in fidem etc. A. Ricciullus Episcopus Bellicastrensis Sacrae Apostolicae Visitationis Secretarius.

Ad continendam in fide Superiorem Germaniam in oppido Dilingae Augustanae dioecesis seminarium juventutis clericalis militiae studiosae auctoritate Apostulica fundat.

GREGORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Ad futuram rei memoriam.

Dignam Pontificia sollicitudine cogitationem suscepturi videmur, si adversus sempiternum Christiani nominis atque adeo totius humani generis hostem Satanam, cujus furiosa, et nefaria satellitum turba per aliquas Septemtrionalis plagae regiones, dum plerosque mortales incautos oppressit, et nimis jamdiu impune grassatur, ita prospero successu exultat, ac tantos sibi spiritus sumpsit, et in dies magis audax alios atque alios oppugnare, atque invadere non cesset, vires nobis a Domino traditas opponentes quasdam illarum partium nationes circumsessas illas quidem tetra ac funesta haeresis labe, sed adhuc Dei immortalis beneficio ab hoc malo immunes certis quasi praesidiis firmare, et praemunire, omnesque aditus importans hosti praecludere contendamus, ut in iis, quae ad propulsandam a cervicibus Populi curae nostrae commissi talem pestem, ac perniciem pertinent, nostra certe industria, nostraque opera desiderari non possit. Ad continendam ergo in *fide Superiorem Germaniam*, quae in ipsis propemodum faucibus haereticorum sita jam inibi est, ut timendum sit, ne cito finitima contagione corrumpatur, cum praesertim, ut accepimus, in *hujusmodi Provincia* Clerici imperiti plerique et moribus inhonestis praediti populis, qui inibi fere omnes adhuc in Catholicae et avitae Religionis studio persistunt, scandalo potius sint, quam adjumento, praesidium judicamus fore non mediocre, si in oppido Dilingae Augustanae Dioecesis Provinciae Moguntinensis, in quo universitas studii generalis viget, Seminarium juventutis clericalis militiae studiosae auctoritate nostra erigatur, ut bonis moribus, et sacris litteris imbuti inde prodeuntes *Alumni vicinas Provincias et Civitates*, quarum incolae, ut et accepimus, plerosque sacerdotes et ministros Sacramentorum Ecclesiasticorum ex illa Academia petere, et arcessere

consueverunt, spiritualibus auxiliis confovere non cessent. Cum itaque sicut pariter accepimus, in ipso oppido adsit Collegium adolescentum Convictorum nuncupatorum, qui propriis sumptibus ad victum necessariis quotquot mensibus in commune contributis sub disciplina, et obedientia dilectorum filiorum Rectoris et Presbyterorum Societati Jesu bonis artibus operam navant, motu proprio, et ex certa nostra scientia in ipsius Collegii aedibus unum Collegium seu Seminarium, in quo juvenes saeculares ex civitatibus et oppidis *dictae Provinciae Superioris Germaniae* oriundi in latini sermonis intelligentia, ac Grammaticae ac etiam Dialecticae facultate prius competenter eruditi, Doctrina Christiana, ac bonis moribus, et Philosophiae Sacraeque Theologiae studiis instruantur ad instar aliorum Collegiorum per nos alias in diversis Transalpinis Regnis et Provinciis erectorum, per praedictos Presbyteros in omnibus et per omnia gubernandum auctoritate Apostolica tenore praesentium, perpetuo erigimus, et instituimus, ipsumque Collegium sic erectum et institutum curae, regimini, et administrationi Rectoris Collegii Convictorum hujusmodi, seu ejus ex ipsa societate, quem ipse Rector suffecerit, ita ut illius Rector tam circa regimen et administrationem, ac correctionem Collegii per praesentes erecti hujusmodi, illiusque bonorum et Alumnorum in eo recipiendorum admissionem, et dimissionem, quam consuetudinum et statutorum observationem libere attendere possit, eadem auctoritate etiam perpetuo supponimus, et submittimus, ac Collegio per praesentes erecto, illiusque Rectori et Alumnis praedicti, quod universis et singulis privilegiis, exemptionibus, praerogativis, facultatibus, favoribus, et gratiis, quibus alia Collegia per nos, ut profertur, erecta, utuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, potiri, et gaudere poterunt, quomodolibet in futurum pariformiter, et aeque principaliter, ac si illis specialiter concessa fuissent, uti, potiri, gaudere licite valeant auctoritate et tenore praesentis, similiter perpetuo concedimus, et indulgemus. Nec non Collegio per praesentes erecto hujusmodi pensionem annuam ab omni et quocumque onere ordinario et extraordinario etiam pro cruciata et expeditione defensiva contra infideles, haereticos, aliosve hostes, seu etiam pro tuitione Urbis, ac status temporalis Sanctae Romanae Ecclesiae, et ex quacumque causa etiam graviori et urgentissima etiam motu simili, et concistorialiter pro tempore impositi, liberam, immunem, et exemptam *mille, et ducentorum scutorum* auri in auro, super omnibus et quibuscumque pecuniis ac juribus undecumque provenientibus et proventuris officii Datariatus nostri et pro tempore existentis Romani Pontificis, super quibus nos alias diversas pensiones annuas ad quantitatem duorum millium scutorum similium diversis aliis Seminariis, et Personis etiam motu simili eadem auctoritate reservavimus, etiamsi super illa aliae pensiones annuae etiam Sanctae

Romanae Ecclesiae Cardinalibus aut aliis quibusvis personis aut Collegiis, seu Locis Piis assignatae cujuscumque quanti, et summae sint eidem Collegio per praesentes erecto, ejusque Rectori vel Procuratori ad id ab eo specialiter mandatum habenti per dilectum filium nostrum Datarium, ejusque Depositarium, nunc et pro tempore existentem singulis mensibus pro rata, et in principio cujusque mensis, et ante omnes alias pensiones, ut praefertur, reservatas, et reservata *ad quindecim annos integros* a proximis elapsis Calend. Decembris anni praeteriti numerando et Successorum nostrorum Romanorum Pontificum temporibus integre persolvendo eisdem auctoritate et tenore reservamus, constituimus, et assignamus: decernentes praesentem et futuros Datarios, et Depositarios ad solutionem pensionis praedictae Collegio per praesentes erecto illiusque Rectori et administratoribus seu etiam Procuratori praedicto durantibus dictis XV. annis, et alias, ut praefertur, nullo alio mandato a nobis vel successoribus nostris desuper expectato, et remota omni ac quacumque exceptione, et dilatione, et excusatione faciendi efficaciter obligatos fore, nec ipsam pensionem Collegio per praesentes erecto hujusmodi et Rectori, ac Administratoribus, seu Procuratori praedictis, ut praefertur, reservatam ex praedictis aliis de causis quantumcumque gravibus, urgentibus, et necessariis ad minorem summam reduci, nec hujusmodi reservationem annullari, aut invalidari, nec illam praesentesque revocari, nec de subreptionis, vel obreptionis, vel nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut alio quocumque defectu notari vel impugnari unquam posse; sed Collegio per praesentes erecto hujusmodi, ejusque Alumnis et aliis illius personis praedictis aeque suffragari debere, ac si consistorialiter consulentibus Venerabilibus Fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus eadem pensio reservata fuisset, nec quemquam ad praestandum jusjurandum et registrari vel admitti faciendum gratiam seu litteras praesentes in Camera Apostolica juxta Constitutionem fel. record. Pii Papae IV. etiam Praedecessoris nostri desuper editam, aut aliter unquam teneri, nec propterea illas irritas esse, sed omnino valere, ac si Constitutio praefata, et alia contraria non emanassent, sicque per quoscumque Judices Ordinarios et Delegatos, et causarum Palatii Apostolici Auditores, et ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales in quavis causa et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus praemissis ac Regula Cancellariae Apostolicae de praestando consensu in pensionibus ac aliis Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis nec officii Datariatus, et Camerae praedicti Jurati Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et

consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrae erectionis, institutionis, suppositionis, submissionis, concessionis, indulti, reservationis, constitutionis, assignationis et Decreti infringere vel ei auso temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo quarto. Calend. Februarii Pontificatus nostri anno tertiodecimo.

Conceditur facultas dispensandi cum Gentilibus ad fidem conversis ut, non obstante matrimonio in gentilitate contracto, possint cum fideli denuo contrahere etiam priori conjuge non praemonito, si summarie constiterit illum vix posse praemoneri.

GREGORIUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Populis ac Nationibus nuper ex gentilitatis errore ad fidem Catholicam conversis expedit indulgere circa libertatem contrahendi matrimonia, ne homines continentiae servandae minime assueti propterea minus libenter in fide persistant et alios illorum exemplo ab ejus perceptione deterreant; quoniam igitur saepe contingit multos utriusque sed praecipue virilis sexus infideles post contracta gentili ritu matrimonia ex Ancola, Ethiopia, Brasilia et aliis Indicis Regionibus ab hostibus captos a Patriis finibus et propriis conjugibus in remotissimas Regiones exterminari adeo ut tam ipsi, captivique qui in Patria remanent, si postea ad fidem convertantur conjuges infideles tam longo locorum intervallo disjunctos non sine contumelia creatoris secum cohabitare velint monere, ut par est, nequeant vel quia interdum ad hostiles et barbaras Provincias ne Nunciis quidem accessus pateat, vel quia ignorent prorsus in quas Regiones fuerint transvecti, vel quia ipsa itineris longitudo magnam afferat difficultatem. Idcirco Nos attendentes hujusmodi connubia inter infideles contracta vera quidem, non tamen adeo rata censeri ut necessitate suadente dissolvi non possint, talium gentium infirmitatem paterna pietate miserati universis et singulis dictorum locorum ordinariis et Parochis et Presbyteris Societatis Jesu ad Confessiones audiendas ab ejusdem Societatis Superioribus approbatis et ad dictas Regiones pro tempore missis vel in illis admissis, plenam Auctoritate Apostolica tenore praesentium concedimus faculta-

tem dispensandi cum quibuscumque utriusque sexus Christifidelibus incolis dictarum Regionum et serius ad fidem conversis, qui ante baptisma susceptum matrimonium contraxerant ut eorum quilibet, superstite conjuge infideli, et ejus consensu minime requisito aut responso non expectato, matrimonia cum quovis fideli alterius etiam ritus contrahere et in facie Ecclesiae solemnizare et in eis postea carnali copula consumatis quoad vixerint remanere licite valeant: dummodo constet et summarie et extrajudicialiter conjugem ut praefertur absentem moneri legitime non posse aut monitum intra tempus in eadem monitione praefixum suam voluntatem non significasse; quae quidem matrimonia etiam si postea innotuerint conjuges priores Infideles suam voluntatem juste impeditos declarare non potuisse et ad fidem etiam tempore contracti secundi matrimonii conversos fuisse nihilominus rescindi nunquam debere, sed valida et firma prolemque inde suscipiendam legitimam fore decernimus. Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac conciliis etiam generalibus editis caeterisque contrariis quibuscumque. Et quia difficile esset praesentes literas ubicumque usus venerit, ostendi et publicari volumus, ut earum exemplis etiam impressis manu Notarii publici vel dictae societatis Secretarii subscriptis et personae in dignitate Ecclesiastica constitutae seu Praepositi generalis ejusdem societatis pro tempore existentis sigillo munitis eadem fides habeatur, quae eisdem praesentibus haberetur si essent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 25. Januarii 1585. Pontificatus nostri anno tertiodecimo.

Jo. Bapt. Canobius.

Juxta mentem Gregorii XIII. indulget, ut alumni collegiorum pontificiorum superioris Germaniae a quocumque Antistite catholico, extra tempora, sine beneficii, vel patrimonii titulo, et sine dimissoriis Ordinarii possint ad ordines promoveri.

SISTUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Provisionis Nostrae debet provenire subsidio ut jus suum unicuique conservetur. Hinc est quod nos tenorem quarumdam litterarum fel. rec. Gregorii PP. XIII. Praedecessoris Nostri in Secreteria domestica ipsius Praedecessoris repertum ex minuta originali de verbo ad verbum transcribi, et praesentibus annotari fecimus, qui talis est, videlicet. Gregorius PP. XIII. Ad futuram rei memoriam. Perlatum est

ad nos complures Alumnos Collegiorum, quae in Germania a Nobis erecta sunt, vel quia titulum non habent alicujus beneficii Ecclesiastici, vel quia illorum Ordinarii in concedendis litteris dimissoriis difficiles ac morosos se reddunt, ad Ordines etiam sacros promoveri non posse. Nos considerantes propter iniquam temporum conditionem Clericorum in illis partibus raritatem, qui Orthodoxae Doctrinae Dogmatibus et honestis moribus ac disciplinis imbuti, dignos Dei Ministros se exhibeant, et ideo piis ipsorum votis, quae ex devotionis fervore proveniunt, praesertim in difficilioribus dictae Germaniae partibus, benigne annuere volentes auctoritate praesentium concedimus, et indulgemus Alumnis omnium Collegiorum Superioris Germaniae a Nobis institutorum, ut a quocumque maluerint Catholico Antistite gratiam et communionem Sedis Apostolicae habente, et in sua Dioecesi residente etiam extra tempora sine titulo Beneficii Ecclesiastici aut patrimonii, et sine dimissoriis proprii Ordinarii, dummodo ad id alias sint idonei et aliud Canonicum impedimentum non obsistat, ac testimonio Rectoris, et Superiorum ejus Seminarii, cujus Alumni fuerint commendentur, specialemque ad id ab ipsis licentiam obtinuerint, Clericali charactere insigniri et ad omnes etiam sacros et Presbyteratus Ordines promoveri, et promoti in illis etiam in Altaris Ministerio ministrare libere et licite valeant; Costitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ac in Generalibus, Provincialibus, et Synodalibus Conciliis editis ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud S. Marcum sub Annulo Piscatoris die 4. Septembris 1584. Pontificatus Nostri anno decimotertio. = Caes. Glorierius. = Ceterum ut earumdem Litterarum tenor praedictus sic insertus omnimodam rei, seu facti certitudinem faciat, auctoritate Apostolica decernimus, ut illud idem robur, eamdemque vim, ac eumdem vigorem dictus tenor per omnia habeat, quae haberent originales litterae supradictae ac eadem prorsus eidem tenori fides adhibeatur quandocumque, et ubicumque sive in judicio, sive alibi uti fuerit exhibitus vel ostensus, ac eidem firmiter stetur in omnibus, sicut eisdem originalibus litteris staretur, si forent exhibitae, vel ostensae. Per hoc autem nullum jus cuiquam de novo acquiri volumus, sed antiquum tantummodo conservari.

Datum Romae apud S. Marcum sub annulo Piscatoris die 20. Augusti 1588. Pontificatus Nostri anno quarto.

Joannes Thomas Gualterutius.

Litteras S. Pii V., quibus facultatem curam animarum exercendi in Indiis Occidentalibus absque speciali Episcoporum licentia religiosis concessit, indicta poena, confirmat.

GREGORIUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quantum animarum cura omnes exuperat, tantum Nos impensius providere necesse est, ut idem genus officii ubique adhibita industria excolatur. Exponi siquidem Nobis fecerunt dilecti Filii professores Ordinis Fratrum Praedicatorum Provinciae Sancti Joannis Baptistae *del Perù*, quod licet felicis recordationis Pius Papa V. per suas in forma Brevis, ad preces charissimi in Christo Filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici confectas litteras, Religiosis apud Indos existentibus curam animarum exercendi facultatem concesserit; nihilominus Episcopi illarum partium praetendunt Religiosos praedictos id facere non posse, absque eorum speciali licentia, et examine; pro eo quod deinde piae memoriae Gregorius Papa XIII. praedecessor noster illos Motus proprios, qui decretis Concilii Tridentini adversabantur ad ordines reduxit, et qui animarum curam sine Episcopi licentia exercent, ii decretis ejusdem Concilii adversantur, et propterea litterae dicti Pii praedecessoris in hoc observari non debent, contra mentem, et intentionem ejusdem Pii praedecessoris. Nos ad omnem quae inde nascitur, et nasci poterit in futurum, controversiam componendam, de venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, super causis Episcoporum, quibus hoc negotium examinandum, et Nobis referendum commissimus consilio, litteris dicti Pii praedecessoris, quantum tenoribus praesentibus haberi volumus pro expressis, ac de verbo ad verbum insertis, Apostolica auctoritate tenore praesentium robur Apostolicae confirmationis adiicimus. Illasque debitae executioni demandari volumus, et praecipimus, inhibentes omnibus et singulis Episcopis illarum partium sub interdicti ingressus Ecclesiae poena, eo ipso per contra facientes incurrenda, ne de cetero praedictos professores praemissis, seu aliis quibuscumque praetextibus quoquo modo desuper molestare aut inquietare audeant, seu praesumant. Non obstantibus quibuscumque constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod praesentium transumptis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die 16. Septembris 1591. Pontificatus Nostri anno primo.

M. Vestrius Barbianus.

Breve Clementis VIII. quo prohibetur Anglis gradus Doctoratus.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Pastoralis officii Nobis Divina disponente clementia commissi, ratio nos admonet, ut eorum honori, et dignitati consulamus, qui non solum inter pravos eorum patriae errores ab haeresis labe sese immunes conservare student, sed etiam nullis vitae periculis perterriti, totis viribus patriam ipsam a pravis haeresum erroribus revocare contendunt. Cum itaque sicut accepimus in Angliae Regno, haereticis illis tyrannis jubentibus, haeresis impune grassari, ac Fides Catholica palam impugnari, et in ejusdem Fidei Catholicae cultores immaniter saevire coeptum est, apud Catholicos Anglos, qui gravibus persecutionum procellis cedentes ad alia Catholicorum regna confugerunt, et irrepserit abusus, quod nimirum Juvenes nonnulli Anglicani praeter leges, et consuetudines olim celeberrimarum Angliae Universitatum Oxonien. et Cantabrigiensis, Doctoratûs gradum apud exteras nationes nulla fere aetatis, morum ac studiorum habita ratione, precibus, seu pretio quodammodo sibi comparant: cum ex hac juvenilis praesumptionis licentia, et temeritate, non solum hujusmodi gradus, qui magni olim apud Anglos honoris, et praecipue dignitatis loco erat, plurimisque privilegiis fulgebat, contemni, et flocci fieri coeperit, sed eo pacto Sacerdotibus etiam antiquioribus, gravioribus, et doctioribus, qui in Anglicana Vinea laborant non exigua irrogari soleat injuria, dum aetate juvenes omni genere meritorum inferiores, ipsis provectioribus, et veteranis quasi militibus ob hujusmodi Doctoratus gradum praecedere contendunt. Ad has igitur offensionum et dissensionum occasiones tollendas, Nos motu proprio, et ex certa scientia, et mera deliberatione nostra, deque Apostolicae potestatis plenitudine, ut nullus e natione Anglicana in posterum, donec apud Anglos haeretici praevaluerint, et quo usque Regnum illud ad Sedis Apostolicae obedientiam, et unionem reductum fuerit, Doctoratus gradum in Theologia, vel altero jure suscipiat, nisi post cursum ordinarium quatuor annorum in eadem scientia, et professione absolutum alios quatuor annos ad minimum ad solidanda, persolidanda, et perficienda haec eadem studia, et quo

maturior, doctior, graviorque quilibet evadat antequam ad Doctoratus gradum ascendere valeat, expectet: neque tunc quoque nisi cum approbatione in scriptis Superioris Collegii, seu Seminarii, in quo quisque studuerit, seu educatus fuerit atque Anglicanae Nationis apud Nos, et Sedem Apostolicam Protectoris, vel personae, quae illius vices, ac facultates ad hoc ipsum habuerit in partibus, ubi quis promoveri voluerit, hujusmodi gradum accipere possit. Si vero contigerit, ut saepe solet, eum qui hujusmodi gradum suscipere voluerit in diversis vixisse Seminariis Anglicanae nationis, approbationem a Rectore seu Superiore illius Collegii, in quo ultimo studiorum causa vixit, habere debeat, qui Rector, seu Superior aliorum quoque Rectorum, sub quibus ante ipse Graduandus vixerit judicia tam de moribus, quam de scientia ipsius exquirat, atque de omnibus praedictum Protectorem, aut eum qui ejus vices habuerit certiorem faciat, auctoritate Apostolica tenore praesentium perpetuo statuimus et ordinamus. Verum cum casus aliquis extraordinarius intervenerit vel necessitas, vel personae dignitas, vel alia justa causa dictorum Superiorum, et Protectoris judicio super his dispensationem mereatur, praedicto Protectori jam et pro tempore existenti raro vero super his dispensandi facultatem concedimus, et impertimur. Decernentes si quis deinceps infra statutum hoc tempus, vel sine Superiorum suorum, aut Protectoris, aut vices ejus gerentis facultate Doctoratus gradum ubicumque locorum, et gentium suscipere praesumpserit, hujusmodi gradum nullum esse, ac fore, neque ipsum Doctorem appellare vel ulla Doctoris dignitate, vel privilegio gaudere umquam posse, perinde ac si ad dictos gradus promotus non fuisset, ac praeterea excommunicationis poenam Nobis et Sedi Apostolicae specialiter reservatam incurrere, sicque per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi aut interpretandi facultate et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus quibusvis Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, et cujusvis Universitatis, studii generalis etiam Juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis potestate alia roboratis, statutis et Consuetudinibus, Privilegiis quoque Indultis et Litteris Apostolicis, eisdem universitatibus, eorumque Rectoribus, et quibusvis personis in contrarium praemissorum, quomodolibet concessis, confirmatis, et approbatis. Quibus omnibus, et singulis eorum tenores praesentibus pro expressis, et ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem praesentium transumptis manu alicujus Notarii publici subscriptis et sigillo alicujus personae

in dignitate ecclesiastica constitutae munitis ubique in judicio, et extra, fides eadem habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die 19. Septemb. 1597. Pontificatus Nostri anno sexto.

M. Wilhius.

Indulget, ut graeci omnes, qui horas canonicas recitare tenentur, dum iter faciunt, vel aegrotant, vel choro legitime impediti interesse nequeunt, eo utantur breviario, quod nuper absolutum typis jubet mandari.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex Caput, et Pastor omnium Ecclesiarum et Populorum Christianorum non minorem Graecorum, quam Latinorum curam suscepit, ac pro eorum animarum salute et spirituali profectu semper invigilat. Nuper siquidem accepimus, quod cum ordo a sanctis Graecorum Patribus ad divinum officium celebrandum sacras preces, laudesque Deo de more persolvendas institutus, viginti fere voluminibus contineretur, quo fiebat ut Presbyteri vel Monachi Graeci, qui in Ritu Graeco vivunt et divinum officium persolvere tenentur cum iter agerent, vel peregre proficiscerentur, tot volumina secum deferre quive morbo detinentur, vel alia justa de causa choro interesse impediebantur, illa evolvere minime valerent, et ideo munus suum interdum non recte obire, nec ei competenter satisfacere possent; a quindecim fere annis Ven. Fr. Noster Julius Antonius Episcopus Praenestinus Cardinalis S. Severinae nuncupatus, et Major Noster Poenitentiarius ac Nationis Graecorum, et Monachorum Ordinis Sancti Basilii Protector, de consensu, et voluntate tunc existentium S. R. Ecclesiae Cardinalium super reformatione Graecorum deputatorum, mandavit, et specialiter dilecto filio Antonio Arcudio Archipresbytero Terrae Soleti Hydruntin. Dioecesis, ut pro iter agentibus et impeditis atque Choro interesse non valentibus sive Monachis, sive Clericis secularibus Graecis ritu viventibus, Divinum officium nocturnum, et diurnum ac horas canonicas ex voluminibus praedictis in Breviarium, seu compendium redigeret, cujus rei conficiendae onus aggressus, dictum opus, seu Breviarium absolvit. Cum autem hujusmodi Breviarium a nonnullis Episcopis atque aliis praestantibus viris non minus utriusque linguae Graecae, et Latinae peritis, quam in ritibus, et ceremoniis Graecorum versatis recognitum, et dignum judicaverimus, quod ad

communionem Graecorum, utilitatem et commoditatem typis mandetur Motu proprio, et ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, indulgemus Graecis praedictis, ut qui horas canonicas recitare tenentur iter agentes, seu peregre proficiscentes, aegrotantes, vel alias legitime impediti, Choro interesse nequeunt, eo libere, et licite uti possint et valeant extra Chorum; nec non eidem Antonio, ut praedictum Breviarium nomine, et auctoritate nostris typis cudi facere, et nemo ad decennium a data praesentium computandum in Urbe, et toto nostro Statu Ecclesiastico sine nostra, et Sedis Apostolicae ac ejusdem Antonii licentia speciali in scriptis facta imprimere, seu imprimi facere possit Apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus, et similiter indulgemus: inhibentes propterea universis et singulis utriusque sexus Christi fidelibus praesertim typographis, et librorum impressoribus, et bibliopolis sub indignationis nostrae, et in ditione nostra Ecclesiastica consistentibus, etiam sub 500 ducatorum auri de Camera pro una Camerae Apostolicae, pro alia Accusatori et reliqua e tertiis partibus eidem Antonio applicanda, et eo ipso incurrenda poena, ne opus, seu Breviarium praedictum sine nostra, et dictae Sedis, ac Antonii praedicti licentia specialiter in scriptis obtenta imprimere, aut impressum vendere, seu venale habere, vel exponere audeant vel praesumant. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Ferrariae sub Annulo Piscatoris die 30. Julii 1598. Pontificatus Nostri anno septimo.

M. Vestrius Barbianus.

Simplices Archipresbyteri Anglicani antiquioribus etiam temporibus jurisdictionem habebant in omnes Sacerdotes.

Dilecto Filio Magistro Gregorio Blackuello Nostro et Sedis Apostolicae Notario Regni Anglicae Archipresbytero.

CLEMENS PAPA VIII.

Dilecte Filii Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Venerunt nuper ad nos nonnulli Sacerdotes Angli, qui de gravaminibus sibi a te illatis vehementer conquesti sunt, ac multo ante ad nos, et Sedem Apostolicam appellaverant; quibus auditis, et diligenter, quae pro utraque parte faciunt consideratis, Nos te ante omnia monendum esse censuimus, ut auctoritate a Nobis, et Apostolica Sede tibi concessa caute, et prudenter utaris, neque facultates tuas

excedas, ut visus fuisti quibusdam in rebus excessisse. Nam jurisdictionem quidem habere te volumus in omnes Angliae Sacerdotes juxta formam in Litteris deputationis tuae in Archipresbyterum a bo. me. Henrico Cardinale Cajetano factae tibi hactenus per scriptum et in casibus in eisdem Litteris contentis tantum, nullam tamen volumus exercere te potestatem in Presbyteros, qui Seminariorum Alumni non fuerunt aut in Laicos, neque facultatem tibi competere infligendi censuras, aut statuta condendi, neque contra Presbyteros appellantes, qui ad Rom. Curiam venerunt, procedendi, nisi Regni Angliae Protectore nunc, et pro tempore existente prius consulto, et de omnibus certiore facto ejusque sententia expectata, neque auferendi, vel suspendendi facultates a Sede Apostolica, seu aliis Superioribus quovis modo ceteris Presbyteris, qui ad nos appellarunt concessas, nisi de consensu, et mandato ejusdem Protectoris, neque eosdem Presbyteros de una in aliam residentiam, nisi ex causa, transferendi: quas quidem facultates eisdem Praesbyteri appellantes sibi antea concessas causa et occasione praetensi schismatis, rebellionis, et inobedientiae numquam amiserunt, prout nec eos illas amisisse, quatenus opus sit per hasce nostras Litteras declaramus. Atque ut tu sine ulla cujusquam offensione, ac majori cum animi quiete, et omnium pace et concordia officio tuo fungaris, Auctoritate Apostolica tenore praesentium tibi in virtute S. Obedientiae mandamus, ut nulla negotia ad officium tuum spectantia expedias, communices, aut trades cum Provinciali Societatis Jesu, vel aliis religiosis ejusdem Societatis in Anglia existentibus, ne scilicet nova discordiae et contentionis intra eos, et Presbyteros appellantes occasio praebeatur: ac propterea instructionem tibi a dicto Henrico Cardinale Cajetano super hac re traditam pari auctoritate per praesentes penitus tollimus et abrogamus: insuper tibi praecipimus ne de Ecclesiae Anglicanae administratione, et regimine vel de rebus ad dictum regimen, et officium tuum pertinentibus per Litteras, vel interpositam personam, aut alias quovis modo cum Religiosis ejusdem Societatis in Romana Curia vel alibi ubicumque commorantibus agas, sed omnia ad nos et Romanum Pontificem aut ad Protectorem pro tempore existentes referas: non quod nos aliquid sinistri, aut mali de eisdem Religiosis suspiciemur, quos scimus sincero pietatis zelo duci et quae Dei sunt vere quaerere, sed quod pro pace, et quiete intra Catholicos in eo Regno tuenda sic convenire judicemus, quod etiam iidem Religiosi Societatis Jesu, verum esse atque expedire censuerunt. Licitum tamen sit Rectoribus Collegiorum, seu Seminariorum ejusdem Societatis Alumnis in eorum recessu dare Litteras testimoniales, et commendativas tibi, et pro tempore existenti Archipresbytero directas juxta formam a Protectore praescribendam, ac etiam integrum sit dictis Religiosis in Anglia commorantibus eosdem Alum-

nos in eorum accessu favere, dirigere, et adjuvare: simulatque vero contigerit aliquos ex modernis assistentibus deficere, similiter tibi mandamus, ut tres ex Presbyteris appellantibus in eorum locum successive, prout eos deficere contigerit, substituas, quorum opera in officii tui negociis utaris. Monemus etiam ut aeleemosinas, quae quotannis ex largitione fidelium copiose admodum, ut accepimus, colligunt, personis indigentibus, ac praesertim iis, qui pro fide Catholica in carcere detinentur, large, et fideliter distribuas ut quae, appellationibus, ad nos et Sedem Apostolicam interpositis in casibus, quibus de jure deferendum erit, deferas; quae quidem appellationes ad Protectorem nunc, et pro tempore existentem devolvantur. Ceterum ut omnis hujus controversiae memoria penitus aboleatur, eadem Auctoritate damnamus, et prohibemus omnes libros ubicumque impressos in quibus aliquid continetur contra Institutum Societatis Jesu, seu contra privatas illius personas, et qui etiam in alterutram partem criminosi, seu quovis modo injuriosi sunt, illosque ab omnibus damnari prohiberi, et interdici mandamus, ac insuper omnibus, et singulis sive Laicis, sive Clericis secularibus, aut cujusvis Ordinis, ac Instituti Regularibus, et nominatim ipsis Presbyteris appellantibus, et Religiosis Societatis Jesu, aliisque quibuscumque ejusdem Regni Angliae, sive in eodem Regno, sive extra illud existentibus sub amissionis omnium facultatum a Sede Apostolica, vel aliis Superioribus quovis modo ipsis, ut praefertur, concessarum: nec non excommunicationis ipso facto absque alia declaratione incurrendis poenis interdicimus, et prohibemus ne libros ullos pro alterutra parte in posterum edant, nisi prius obtenta Protectoris similiter nunc et pro tempore existentis approbatione et licentia. Quicumque vero aliquod genus librorum, litterarum, et tractatus in quibus alicujus viri Catholici fama violari poterit in posterum, aut aliquando fuerit violata, aut ex quibus excitari possint veteres, vel novae contentiones, vel quaecumque alia scripta contumeliosa, ex quibus odium dissidiumve inter partes quovis modo renovari posset communicaverint, seu penes se retinuerint, vel evulgaverint, aut aliquid de hac controversia publice, vel privatim scripserint defendendo, vel impugnando unam, vel alteram partem, aut personas aliquas, vel demum qui cum Hereticis in praejudicium Catholicorum quovis praetextu, vel causa participaverint, aut communicaverint eos in supradictis omnibus, et singulis casibus eisdem amissionis facultatum suarum, nec non excommunicationis ipso facto (ut praefertur) incurrendis poenis volumus subjacere. Et licet nos ex iis, quae ab utraque parte audivimus longe plura scribere ad te poteramus, tamen cum te mentem nostram ex his quae diximus intelligere posse arbitremur, paucis contenti fuimus, ac solummodo te, ac omnes tam Religiosos, quam Presbyteros seculares quoscumque etiam eos, qui ad nos appella-

runt hortamur in Domino, ut communi, privataeque inter vos paci, ac concordiae studeatis, ac ad ipsum invicem sentiatis, non alta sapientes sed humilibus consentientes. Nam si Evangelicam praedicationem in Charitate Christi suscepistis, cur Evangelicam pacem in eadem charitate non sectamini? Charitas omnia suffert, non irritat, non aemulatur, charitas docet nos inimicos diligere; quanto magis amicos, et socios fidei, ac laborum? Itaque vos per viscera misericordiae Christi obsecramus, ut diligatis invicem, nemini detis ullam offensionem, nulli malum pro malo reddatis, ut non vituperetur ministerium nostrum, sed benefaciatis omnibus providentes bona non solum coram Deo sed etiam coram hominibus, et quod ex nobis est, cum omnibus pacem habentes, ut fructum, quem laboribus nostris in summis periculis et tribulationibus quaeritis, et nos cum universa Ecclesia toto animo expectamus, tandem, adjuvante Domino, qui est vera pax et charitas, cum animi vestri exultatione referatis.

Datum Romae apud Sanctum Marcum sub annulo piscatoris die 5. Octobris 1602. Pontificatus Nostri anno undecimo.

M. Vestrius Barbianus.

Agit Summus Pontifex de ecclesia S. Mariae ad portam Cyprianam urbis Anconitanae, qua graecos mercatores Clemens Septimus donaverat.

PAULUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilecto Filio Vicario Ven. Fratris Nostri Episcopi Anconitani in spiritualibus Generali Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Ex debito Pastoralis officii curae Nostrae Divina dispositione crediti egregiorum fructus sanctorum operum, quibus Confratres Confraternitatum in agro Domini praestare dignoscuntur, sedula meditatione contemplantes ea quae pro illis, ac Divini cultus augmento concessa, et jam a Praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus, et Sede Apostolica approbata fuisse dicuntur, ut firmiora, et illibata persistant, de novo Apostolico munimine roborari, ac alias ejusdem officii Nostri partes favorabiliter interponi mandamus, prout locorum, temporum, et personarum qualitatibus debite praesentatur conspicimus in Domino salubriter expedire. Alias siquidem fel. rec. Clemens

PP. VII. Praedecessor noster mercatorum, et aliarum personarum nationis Graecae in Civitate Anconitana tunc commorantium supplicationibus sibi tunc porrectis inclinatus, concessionem eis de Parochiali Ecclesia S. Mariae Portae Cyprianae, alias S. Annae Anconitanae antea forsan factam, quatenus facta esset, Apostolica auctoritate approbavit, et confirmavit, et quatenus illa eis hactenus concessa non fuisset, tunc existenti illius Rectori illam eis concedendi, ac mercatoribus, et aliis personis praedictis illam perpetuo retinendi, eamque reparandi, ac ampliandi, nec non libris, calicibus, picturis, crucibus, paramentis sacerdotalibus aliisque ad Divinum cultum necessariis ornamentis eorum sumptibus, et expensis muniendi, et ornandi, ac in ea presbyterum graecum ad omnem nutum amovibilem pro Cappellano, qui Divina officia juxta Graecorum ritum celebrare, ac quotidie, vel diebus per eos statuendis, missas celebrare, ac mercatoribus, et personis praedictae nationis in dicta civitate pro tempore commorantibus, et ad eam pro tempore confluentibus ecclesiastica sacramenta ministrare, ipsorumque quandocumque decedentium corpora sepelire valeret, deputandi licentiam, et facultatem dicta auctoritate concessit, dictamque ecclesiam, ac presbyterum illi pro tempore inservientem cum omnibus, et singulis bonis suis tam spiritualibus, quam temporalibus ab Ordinariis loci pro tempore existentibus jurisdictione, superioritate, et dominio perpetuo exemit, ac sub sua, et sedis praedictae protectione recepit. Voluit autem quod mercatores praedicti unam libram cerae albae in festo beatorum Apostolorum Petri, et Pauli Camerae Apostolicae solvere tenerentur. Potuit in quibusdam Gregorii XIII., et Praedecessoris Nostri desuper in forma provisionis Nostrae, ac sub annulo Piscatoris, et deinde praedicta Ecclesia per liberam resignationem quondam Bernardini de Pernoctiis olim ipsius ecclesiae Rectoris, si illa quam tunc obtinebat in manibus ejusdem Clementis Praedecessoris per procuratorem ad hoc ab eo specialiter constitutum sponte factam, et per eumdem Praedecessorem admissam apud Sedem Apostolicam vacantem idem Praedecessor universitatis mercatorum, seu personarum, aut universorum confratrum Confraternitatis, societatis nuncupatae mercatorum, et personarum nationis praedictae in dicta ecclesia canonice instituta supplicationibus etiam inclinatus, ecclesiam praedictam etiam ut praefertur vacantem, et antea dispositioni Apostolicae reservatam cum omnibus juribus, pertinentiisque suis universitati, seu confraternitati praedictae in dicta auctoritate, ita quod confratribus dictae confraternitatis tunc, et pro tempore existentibus per se, vel alium, seu alios liceret corporalem possessionem praedictae ecclesiae, juriumque, et pertinentiarum praedictarum propria auctoritate libere apprehendere, ac etiam perpetuo retinere, illiusque fructus, redditus, et

proventus in ecclesiae, et confraternitatis hujusmodi usus, et utilitatem convertere, nec non eidem ecclesiae per Presbyterum idoneum ad eorum nutum ponendum, et amovendum in Divinis deserviri, ac animarum dilectorum filiorum, illiusque Parochianorum curam exerceri facere Dioecesani loci, et cujusvis alterius licentia super hoc minime requisita, ut supra concessit, prout in aliis ejusdem Praedecessoris sub plumbo desuper confectis litteris, ac postremo bo. mem. Henricus dum vixit titulo S. Pudentianae Presbyter Cardinalis Cajetanus nuncupatus S. R. E. Camerarius ad requisitionem eorumdem mercatorum, et aliarum personarum dictae nationis tunc existentibus, Episcopo, et Gubernatori Anconitanis, eorumque Vicariis, Locumtenentibus, et Auditoribus, ceterisque Judicibus Ecclesiasticis, et Saecularibus quacumque auctoritate fungentibus, et functuris, Commissariis, Justititiae Ministris, Baroncellis quoque exequtoribus, et subexequtoribus quibuscumque, illique, vel illis ad quem, vel ad quos hoc negocium, et primodictarum litterarum observatio spectabat de mandato piae mem. Clementis Papae VII. similiter Praedecessoris Nostri vivae vocis oraculo sibi expresse dato, et auctoritate sui Camerariatus officii per reliquas suas Patentales litteras in eadem Camera desuper confectas remisit, et in virtute S. obedientiae, ac sub excommunicationis, suspensionis, et interdicti, et certis aliis, et pecuniariis poenis stricte precipiendo mandavit, quatenus primodictarum litterarum omnia, et singula in eis contenta deberent, et quilibet eorum prout ad unumquemque spectabat, et pertinebat, deberet firmiter, et inviolabiliter ad unguem in omnibus, et per omnia observasse, et adimplevisse, ac ab aliis, quos quomodolibet concernebat, seu concerneret in futurum quantum in eis esset observari, ut praefertur, et adimpleri fecisse, et tam primodictis, quam patentibus suis, litteris, sive mandatis praedictis omnino paruisse, non permittentes contra primo dictarum, et patentium litterarum praedictarum firmam continentium, et tenorem supradictos mercatores, et alias personas dictae nationis indebite molestari, vel impediri, prout in singulis litteris praedictis plenius continetur. Cum autem sicut exhibita Nobis pro parte Universitatis modernorum mercatorum, ac personarum dictae nationis, et confratrum confraternitatis hujusmodi petitio continebat ea quae saepius Sedis Apostolicae munimine roborantur ut firmius subsistant; quare pro parte modernorum mercatorum, ac personarum confratrum praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus singulas litteras, quae in viridi observantia, ut asserunt existunt propriori eorum cautela, singularumque litterarum praedictarum observantiam, ac omnia, et singula in eis contenta Nostro, et Sedis praedictae munimine roborare, aliaque in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur

qui divinum cultum, et piorum operum incrementum ubique vigere sinceris exoptamus affectibus, ipsos mercatores, eorumque ac universitatis, et personarum, nec non confraternitatis hujusmodi singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, necnon singularum litterarum praefatarum tenores etiam veriores praesentibus pro expressis habentes hujusmodi supplicationibus inclinati discretionis tuae per Apostolica scripta mandamus, quatenus singulas litteras praedictas, ac omnia, et singula in eis contenta, servata tamen forma Decretorum a Congregatione super Graecorum ritibus tempore dicti Clementis VIII. Praedecessoris editorum auctoritate nostra perpetuo approbes, et confirmes, eisque perpetuae, et inviolabilis firmitatis robur adiicias, omnesque, et singulos, tam juris, quam facti, ac solemnitatum, et alios quantumvis substantiales defectus, si qui forsan desuper quomodolibet interveniunt in eisdem suppleas, singulasque litteras praedictas perpetuo validas, et efficaces esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, et singulis, quorum interest, intererit, aut interesse poterit quomodolibet in futurum firmiter, et inviolabiliter observari, et adimpleri, nec ab illis ullo umquam tempore quovis praetextu, executione, vel causa resiliri, nec eamdem universitatem, seu personas, ac confratres in dicta civitate pro tempore commorantes ullo umquam tempore desuper directe, vel indirecte molestari, inquietari, seu perturbari posse, sicque, et non aliter per quoscumque Judices, Commissarios, et Delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, et Sedis praedictae Nuncios judicare, et definire debere: ac quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum, et inane dicta auctoritate decernas, ac insuper universitati personis, et confratribus in praefata civitate nunc, et pro tempore commorantibus, ut deinceps perpetuis futuris temporibus omnes, et singuli Presbyteri dictae nationis, qui pro tempore ad dictam civitatem appulerint, et legitimis Dimissorialibus, ac aliis Ordinariorum suorum testimonialibus litteris muniti fuerint, post debitam Dimissorialium, et testimonialium litterarum praedictarum coram Te, seu Ordinario Anconitano pro tempore existente recognitionem, Missas, et alia Divina Officia juxta eorum ritum in dicta Ecclesia quandocumque celebrare libere, et licite possint, et valeant dicta auctoritate arbitrio tuo concedas, et indulgeas, non obstantibus praemissis, ac recolendae mem. Innocentii

PP. IV. similiter Praedecessoris Nostri, quae incipit *Volentes*, et quibusvis aliis Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis specialibus, vel generalibus Constitutiobus, vel Ordinationibus Apostolicis, nec non omnibus illis, quae uterque Clemens Praedecessor, ac Henricus Cardinalis praedictus in singulis litteris praedictis non obstare voluerunt, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo sexto, decimo septimo mensis Septembris, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Prohibitio facta a Paulo V. electis Ecclesiarum in Indiis, ne suscipiant munus consecrationis, nisi in partibus Indiarum, et plura disponuntur circa tempus, et assistentes non Episcopos.

PAULUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Accepimus non sine animi nostri dolore, quod licet fel. rec. Gregorius Papa XIII. Praedecessor Noster per suas in simili forma Brevis expeditas litteras monuerit, et attente hortatus fuerit omnes, et singulos Archiepiscopos et Episcopos, de quorum personis Metropolitanis seu Ecclesiis Cathedralibus in partibus Indiarum maris Oceani sub ditione Charissimi in Christo Filii Nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici existens provisum erat, et ex tunc futuris temporibus provideretur, ut ex Hispania in primo transitu navium ad partes Indiarum praedictarum de hujusmodi transitu certiores facti ad Ecclesias suas personaliter accederent, alioquin fructus ipsarum Ecclesiarum usque ad eorum adventus ad Ecclesias praedictas decurrendos amitterent; nihilominus promoti ad Ecclesias hujusmodi, seu multi ex illis absque legitima causa ad suas Ecclesias accedere differunt et in Hispania commorantes fructus, redditus, et proventus earumdem Ecclesiarum exigunt, non sine animarum sibi commissarum salutis detrimento. Quare Nos huic malo quantum cum Domino possumus obviare volentes, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum consilio, omnibus, et singulis Archiepiscopis, et Episcopis, de quorum personis Metropolitanis seu Cathedralibus Ecclesiis in partibus Indiarum maris Oceani sub ditione dicti Philippi Regis existens ex nunc de cetero perpetuis futuris temporibus provideri contigerit, ne alio in loco quam partibus Indiarum praedictarum munus consecrationis suscipiant Apostolica auctoritate

tenore praesentium perpetuo inhibimus. Et quia illis impossibile foret munus consecrationis infra tres menses prout de jure tenentur, a die illorum provisionis, et praefectionis hujusmodi computan. suscipere, et in partibus Indiarum praedictarum plures Episcopi, qui muneris consecrationis hujusmodi impensioni assistant, difficile semper convenire possunt, idcirco sic provisis tempus trium mensium ad suscipiendum munus consecrationis praefixum a die eorum ad primum portum Insularum sive continentis, ubi eorum existunt Ecclesiae, dictarum Indiarum appulsus, currere debere declaramus. Et insuper eisdem sic provisis, ut in defectum Episcoporum, et Abbatum assistentibus uno Episcopo, et duabus personis in dignitate ecclesiastica constitutis munus consecrationis suscipere libere, et licite possint, et valeant auctoritate, et tenore praedictis concedimus, et indulgemus; quodque sic promoti si in primo transitu navium ad partes Indiarum praedictarum de hujusmodi transitu certiores facti ad Ecclesias suas personaliter absque causa necessaria non accesserint juxta praedicti Gregorii Praedecessoris litterarum tenorem, quas per praesentes confirmamus, et innovamus, fructus, redditus, et proventus suarum Ecclesiarum usque ad eorum adventum ad Ecclesias praedictas decurrendos amittant, illisque privati existant, et censeantur, prout Nos harum serie auctoritate, et tenore similibus, omnibus fructibus, redditibus, et proventibus hujusmodi privamus, illosque pro ornamentis, et paramentis Ecclesiasticis, et fabrica, ac aliis rebus ad cultum divinum in dictis Ecclesiis magis necessariis assignamus, applicamus, et appropriamus. Ut autem mens, et voluntas nostra in praemissis debitae executioni demandetur, dilectis Filiis, Capitulis Ecclesiarum, quarum praesules in dicto transitu illuc non accesserint, seu munus consecrationis alio in loco quam in partibus Indiarum hujusmodi suscipere praesumpserint, fructus, redditus, et proventus praedictos in ornamenta et paramenta Ecclesiae necnon fabricam, ac alias res ad cultum divinum magis necessarias dividendi, atque distribuendi licentiam, facultatem, et auctoritatem concedimus, et impertimur. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ad dictarum Ecclesiarum etc. et Juramento etc. roboratis.

Datum Romae etc.

Vicario Apostolico Belgico plenam tribuit jurisdictionem super omnibus religiosis, qui ad provincias sibi commissas accedunt, quamque eorum superiores haberent, si inibi adessent.

Dilecto Filio Rovennio Decano Collegiatae Ecclesiae, seu loci de Aldenses.

PAULUS PAPA V.

Dilecte Fili Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Cupientes ut in locis dictionum Belgicarum tuae curae ratione officii Vicarii Apostolici commissis, recte et fideliter omnia peragantur, tibi durante tuo officio hujusmodi plenam et amplam super omnibus cujusvis ordinis, et mendicantium, ac Instituti et Societatis Jesu ingredientibus provincias tibi commissas tam in his quae concernunt administrationem Sacramentorum, quam circa doctrinam catholicam, et disciplinam, et quod tales regulares habeant obedientiam suorum superiorum, et missi sint ad causam religionis juvandam (dummodo tamen in eadem provincia non adsint superiores dictorum regularium ibi degentes) superioritatem et auctoritatem omnimodam, ac eandem quam eorum superiores haberent, si in eisdem partibus residerent, ita ut illos, et quemlibet eorum circa praemissa visitare, corrigere, et reformare, ac contradictores quoscumque per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris et facti remedia cogere et compellere possis et valeas auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et impertimur. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et quorumvis ordinum et institutorum regularium, et dictae Societatis Jesu juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, exemptionibus, indultis, et litteris apostolicis eisdem regularibus eorumque superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis in contrarium permissorum quomodolibet concessis, confirmatis, innovatis. Quibus omnibus et singulis eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis attamen suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die 11. Octobris 1614. Pontificatus Nostri anno decimo.

S. Cobellutius.

Archiepiscopo Kioviensi, et Haliciensi facultatem impertitur, ut in singulis Russiae locis scholas instituat, earumque regimen eruditis, piisque viris demandet.

PAULUS PAPA V.

Ad futuram rei Memoriam.

Piis, et devotis Venerabilis Fratris Archiepiscopi Kiovien., et Halicien. supplicationibus nobis desuper humiliter porrectis inclinati eidem Josepho Archiepiscopo, ac personis ab eo deputandis, ut in locis decentibus et opportunis in partibus Russiae Scholas quascumque ad juventutem in bonis artibus, ac doctrina catholica erudiendam, sine tamen alicujus praejudicio construere, erigere et instituere, ac earundem scholarum curam et regimen personis piis, et eruditis sibi benevisis, committere, et demandare libere et licite possit, et valeat, Apostolica Auctoritate tenore praesentium facultatem concedimus, et impertimur. Insuper ut earumdem scholarum scholares studiis alacrius insistant, scholis per dictum Josephum Archiepiscopum, seu ab eo deputan. vigore praesentium erigendis, et instituendis, illarumque scholaribus pro tempore existentibus, omnes, et singulas Indulgentias, et gratias speciales etiam per modum extensionis, et communicationis vel alias quomodolibet scholaribus in sodalitate Annunciationis Beatae Mariae Virginis in Ecclesiis Clericorum Regularium Societatis Jesu instituta descriptis concessas, concedimus, et communicamus, ac ad illas et illos auctoritate et tenore praesentis extendimus. Non obstantibus quantum opus sit nostra de non concedendis Indulgentiis ad instan. aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die 3. Decembris 1615. Pontificatus Nostri anno undecimo.

S. Cobellutius.

Kioviensi Metropolitae gentis Ruthenae suos promotos ad cathedrales ecclesias a latinis Episcopis, aeque ac latinos a Ruthenis antistitibus consecrationis munus licite, et libere suscepisse, et suscipere posse declarat.

PAULUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

In supremo Apostolatus solio Divina dispositione meritis licet imparibus praesidentes, ad ea libenter intendimus per quae Ecclesiarum Praesulum praesertim in partibus remotis agentium commoditati, et conscientiae securitati opportune consulitur. Sane Venerabilis Fratris Josephi Archiepiscopi Kiovien. et Haliciensis totius nationis Ruthenae, ac Russiae, Metropolitae nomine nobis nuper expositum fuit, quia nonnulli de quorum personis Cathedralibus Ecclesiis, in partibus Russiae, hactenus provisum fuit, licet juxta ritum graecum post unionem ejusdem nationis cum Ecclesia Romana, ab Apostolica Sede permissum, vivant, tamen ob magnam Ecclesiarum hujusmodi distantiam munus consecrationis in defectu Episcoporum ejusdem ritus latini, gratiam tamen et communionem Apostolicae Sedis habentibus, et alias canonice susceperunt. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, id inconsulta Sede Apostolica fieri posse quidam dubitent, Nobis propterea dictus Josephus Archiepiscopus humiliter supplicari fecit, ut desuper providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur pro Nostri Pastoralis officii debito, omnem circa praemissa dubitandi causam tollere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolica tenore praesentium decernimus, et declaramus promotis ad Cathedrales Ecclesias in dictis partibus existentibus, et ritu graeco a Sede Apostolica permisso, in unione praedicta viventibus consecrationis munus assistentibus duobus, vel tribus Episcopis ritus latini, gratiam tamen et communionem Sedis Apostolicae habentibus, et e contra promotis ad Cathedrales Ecclesias, ibidem existentes, qui ritu latino vivunt, assistentibus duobus, vel tribus Episcopis ritus graeci in unione tamen praedicta viventibus, ac gratiam et communionem ejusdem Sedis habentibus munus consecrationis impendi, et ab illis suscipi, dummodo alias canonice impendatur, libere et licite posse. In contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die 10. Decembris 1615. Pontificatus Nostri anno undecimo.

S. Cobellutius.

Mandat, ut quoque tempore quatuor alumni nationis ruthenae in collegio graeco de Urbe recipiantur.

PAULUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Decet Romanum Pontificem eos, qui pravis schismatum erroribus relictis ad Sanctae Matris Ecclesiae Catholicae Romanae unitatem, et communionem redierunt, specialibus favoribus, et gratiis prosequi, ut illi in ejusdem Ecclesiae fide, et obedientia eo constantius perseverent, quo cumulatioribus beneficiis se affectos esse perspexerint.

§. 1. Quapropter, ut natio Ruthena, seu Russa, fide catholica, ac sana, et orthodoxa doctrina melius, et commodius imbuatur, providere volentes, supplicationibus etiam Ven. Fratris Josephi Archiepiscopi Kioviensis et Haliciensis totius Nationis Metropolitae Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; quod de cetero perpetuis futuris temporibus quatuor dictae nationis, ex iis scilicet qui ad praedictam unitatem redierunt, adolescentes in Collegio Graeco de Urbe praedictam ob causam recipi, et admitti, ibique ad instar aliorum dicti Collegii Alumnorum ali, et teneri, ac in discedentium loca alii ejusdem nationis substitui debeant, Apostolica auctoritate, tenore praesentium, concedimus, et indulgemus.

§. 2. Injungentes propterea Ven. Fratri nostro Benedicto Episcopo Sabinensi Cardinali Justiniano nuncupato, et pro tempore existenti dicti Collegii Protectori, ejusdem vero Collegii Rectori, ceterisque, ad quos spectat, in virtute sanctae obedientiae ac sub arbitrii nostri poenis mandantes, ut quatuor adolescentes hujusmodi in dictum Collegium juxta tenorem praesentium admitti faciant, et respective admittant, illisque, ac in discedentium loca usque ad praedictum numerum ex dicta Natione pro tempore substituendis faveant, et assistant, ac instar aliorum Alumnorum sine aliqua prorsus differentia tractent.

§. 3. Decernentes praesentes litteras validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, nec non dicti Collegii, etiam juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis haben-

tes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem, sub annulo piscatoris die 2. Decembris 1615. Pontificatus Nostri anno undecimo.

Sacros Ruthenorum catholicos ritus tollere nunquam Ecclesiae latinae mentem fuisse, imo eos esse cum omni diligentia conservandos, significat.

PAULUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Solet circumspecta Romani Pontificis providentia, si quae aliquando super litteris ab Apostolica Sede emanatis dubia oriantur, suae declarationis oraculo tollere, et alias providere, prout temporum, et personarum qualitatibus debite pensatis, conspicit salubriter in Domino expedire.

§. 1. Alias siquidem fel. record. Clemens Papa VIII. Praedecessor Noster bon. mem. Michaelem Archiepiscopum, et Metropolitam Kioviensem, et Haliciensem ac totius Russiae, et cum eo plerosque ejus Comprovinciales Episcopos, ac alios tunc expressos una cum omni eorum clero, et populo nationis Ruthenae, seu Russae, quae cum Romana Ecclesia non communicabat, sed Graecorum schisma sequebatur intra gremium Ecclesiae Catholicae, et unitatem S. R. E. uti membra sua in Christo sub certis modo, et forma recepit, univit, adjunxit, annexit, et incorporavit, prout in dictis Clementis Praedecessoris sub plumbo Dat. Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae 1595. decimo kalend. Januarii Pontificatus sui anno quarto expeditis litteris plenius continetur.

§. 2. Cum autem, sicut Ven. Fratris Josephi Archiepiscopi moderni Kioviensis, et Haliciensis nomine Nobis nuper expositum fuit, non desint qui veritatis ignari, aut ab aliis in errorem adducti sibi persuadeant Romanam Ecclesiam per unionem praemissam eorum ritus, et caeremonias in divinis Officiis, et Sacramentorum administratione tollere, et extinguere voluisse, unde scandalum multorum provenire dignoscitur.

§. 3. Quapropter Nos ex pastoralis officii debito, inimico homini bono semini superseminandi zizania occasionem auferre, et errores hujusmodi ex mentibus hominum evellere, ac scandalis occurrere volentes, necnon litterarum praedictarum tenores praesentibus pro expressis habentes, supplicationibus dicti Josephi Archiepiscopi nomine

Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnes sacros ritus, et caeremonias, quibus Rutheni Episcopi, et clerus juxta SS. Patrum Graecorum instituta in Divinis Officiis, et Sacrosancto Missae Sacrificio, ceterorumque Sacramentorum administratione, aliisve sacris functionibus utuntur, dummodo veritati, et doctrinae Fidei Catholicae non adversentur, et communionem cum Romana Ecclesia non excludant, per unionem praemissam tollere, aut extinguere Ecclesiae Romanae intentionem, mentem, et voluntatem non fuisse, nec esse, neque id dici, vel censeri potuisse, nec posse, quin immo dictos ritus eisdem Ruthenis Episcopis, et clero ex Apostolica benignitate permissos, concessos, et indultos esse, sicut ex litteris praedictis, et Concilio Florentino, et ex instituto Collegii Graecorum Urbis Nostrae, nec non aliorum de ritu hujusmodi servando, sicut accepimus, juramentum praestant, Apostolica auctoritate tenore praesentium decernimus, et declaramus.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem, sub annulo piscatoris die 10. Decembris 1615. pontificatus Nostri anno undecimo.

Indulget, ut in oratorio privato Scotorum Parisiis aedificato, ornato, et visitato Sacrificium possit celebrari, et alumni non sine gravibus privilegiis titulo paupertatis ad ordines promoveri.

PAULUS PAPA V.

Ad futuram rei memoriam.

Dilectos filios Alumnos Collegii nationis Scotorum Parisien. specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum dumtaxat praesentium consequendum harum serie absolventes et absolutos fore censentes; supplicationibus dilecti filii Nostri Maffei tituli S. Honuphrii Presbyteri Cardinalis Barberini nuncupati Regni Scotiae apud Nos, et Apostolicam Sedem Protectoris super hoc humiliter porrectis inclinati, ejusdem Collegii superioribus, ut arbitrio Ven. Fratris Guidonis Archiepiscopi Rodien. moderni, et pro tempore existentis Nostri, et Sedis Apostolicae in Regno Franciae Nuncii in privato dicti Collegii oratorio ad hoc decenter extructo, et ornato, seu extruendo, et ornando ab omnibus

domesticis usibus libero per Ordinarium loci prius visitando et approbando sacrosanctum Missae sacrificium in sua, ac alumnorum, et aliarum personarum dicti Collegii praesentia celebrare, seu celebrari facere, nec non eisdem alumnis, ut absque litteris dimissorialibus suorum ordinariorum, ac etiam sine titulo beneficii ecclesiastici vel patrimonii, sed ad titulum tantum paupertatis a quocumque quem maluerint catholico antististe gratiam, et communionem Apostolicae Sedis habente in propria dioecesi residente, vel in aliena de dioecesani loci consensu Pontificalia exercente per eos eligendo clericali charactere insigniri, et ad quatuor minores, nec non sacros subdiaconatus, diaconatus, et presbyteratus ordines in temporibus ad id a jure statutis, dummodo tamen praevio examine ad id reperti fuerint idonei et nullum eis aliud canonicum obstet impedimentum, nec non testimonio Rectoris et Superiorum dicti Collegii commendentur, specialemque ab ipsis licentiam obtineant, et servatis alias servandis promoveri et promoti in illis etiam altaris ministerio ministrare libere, et licite possint, et valeant, Apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus, et indulgemus, ac tam antistiti, ut probentur, quam alumnis probatis licentiam desuper impertimur, non obstantibus Apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus et ordinationibus ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die 27. Maii 1617. Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Facultates, ac Privilegia Ven. Collegii Germanici, et Ungarici de Urbe.

GREGORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

In supremo militantis Ecclesiae solio, et Apostolicae potestatis plenitudine summa Redemptoris nostri benignitate constituti, ea, quae pro Seminariorum quorumlibet praesertim in alma Urbe nostra per Romanos Pontifices praedecessores nostros ad christianae juventutis piam, et religiosam educationem, ac in Ecclesiasticis, aliisque salutaribus disciplinis constructionem proinde institutorum conservatione, et manutentione a diversis Romanis Pontificibus, et praedecessoribus nostris, concessa, et ordinata fuerunt, ut perpetua firma, et illibata persistant, libenter Apostolico praesidio communimus, nec non dubia, si quae circa ea temporum injuria insurgere comperimus, ne exinde li-

tium dispendia prorumpant, dilucidamus, et declaramus, ac alias disponimus, prout rerum, et temporum ratio postulat, Nosque conspicimus in Domino salubriter expedire. Dudum siquidem per felicis recordationis Clementem Papam Octavum praedecessorem nostrum, accepto quod Julius Tertius, et Gregorius XIII. etiam praedecessores nostri motu proprio, et ex certa eorum scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine ad divinum ubique cultum, Ecclesiarum disciplinam restaurandum, et augendum, animarumque salutem procurandum, ac ad Dei omnipotentis laudem in dicta Urbe Collegium Germanicum, et Ungaricum appellatum respective erexerunt, et instituerunt, ipsumque Collegium, ac illius scholares, et ministros pro tempore existentes, eorumque bona omnia, et cujuscumque qualitatis, et quantitatis in dicta Urbe, vel extra eam, et aliis ubique locorum consistentia ab omni jurisdictione, correctione, visitatione, dominio, superioritate, et potestate pro tempore existentis Vicarii, Senatoris, et Conservatorum, ac Reformatorum ejusdem Urbis, nec non Rectoris Studii generalis Urbis praedictae, aliorumque Judicum, et Officialium in ipsa Urbe, vel alias ubilibet constitutorum prorsus liberos, immunes, et exemptos, ac libera, immunia et exempta respective fecerunt, et constituerunt, necnon eos, et ea sub Beati Petri, et Sedis Apostolicae protectione susceperunt, et insuper idem Gregorius praedecessor tunc in humanis agentes bo. mem. Joannem Moronum Ostiensem, et Alexandrum Farnesium Praenestinensem, et Ptolomaeum Comensem Sabinensem Episcopos, necnon Marcum Siticum S. Mariae trans Tiberim ab Altemps, et Ludovicum Sancti Bonifacii Madrucium nuncupatum, titulorum Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyteros Cardinales dicti Collegii, et illius Collegialium, et personarum, ac bonorum quorumcumque Protectores constituerat, et deputaverat, illisque omnes, et singulos, etiam obligationes in forma Camerae, ac super jure congruo, et quascunque alias causas civiles, et criminales, meras, et mixtas dicti Collegii, illius Collegialium, Scholarium, Rectorum, aliorumque Ministrorum, et officialium pro tempore existentium hujusmodi in rebus, et negotiis, Collegium praefatum, ac illius res, jura, et actiones, et bona concernentibus tam active, quam passive per se ipsum, aut alium, seu alios, qui eis viderentur summarie, simpliciter, et de plano, ac sine strepitu, et figura judicii, necnon manu regia, nullaque tela judiciaria servata, sed sola facti veritate inspecta, ac etiam omni, et quacunque appellatione remota audiendas, cognoscendas, decidendas, fineque debito terminandas, vel etiam delegandas, et quatenus opus foret, citandi, et inhibendi, ceteraque omnia opportuna faciendi, et exequendi liberam concesserat facultatem, decernens irritum quicquid secus super iis scienter, vel ignoranter contigeret attentari, prout in quibusdam Julii, sub dat. pridie Calendas Septembris Pontificatus sui

anno tertio, ac etiam Gregorii praedecessorum praefatorum sub dat. octavo Idus Augusti secundo, et sub dat. idibus Julii tertio, et sub dat. idibus Aprilis octavo, ac aliis diversis litteris, et commissionibus diversis sui Pontificatus annis, et temporibus expeditis continetur, et stantibus praemissis minime dubitari posset, aut deberet, quod nullus alius Judex quacumque potestate, et auctoritate munitus tam Ecclesiasticus, quam secularis, et tam ordinarius, quam delegatus, tam in dicta Urbe, quam extra eam in causis, et negotiis dicti Collegii Germanici, et Ungarici se intromittere posset, nihilominus ab aliquibus id, ut idem Clemens praedecessor etiam acceperat, in dubium vertebatur, ac nonnullis in causis concernentibus Collegium, et illius personas, res, et bona quaecunque hujusmodi contra mentem, et intentionem DD. praedecessorum se se intromittere procurabant, dictus Clemens praedecessor omnem in praemissis dubitandi occasionem tollere volens, ac omnium, et singulorum dictorum praedecessorum litterarum, et commissionum, ac concessionum, et per eos praedictis Collegio, et Scholaribus, eorumque Ministris, et personis, necnon bonis, juribus, et rebus quibuscumque concessorum privilegiorum, indultorum, exemptionum, et concessionum, tenores, ac compendia sub quibuscumque verborum expressionibus, et formis, ac si de verbo ad verbum inserti forent pro expressis habens, nec non etiam illas, et illa perpetuo approbans, et confirmans motu simili, et ex certa scientia sua, ac de Apostolicae potestatis plenitudine dicta auctoritate statuit, et ordinavit, et ita etiam eorumdem Praedecessorum mentem, et intentionem fuisse declaravit, quod praeter praedictos Collegii Germanici, et Ungarici hujusmodi Protectores nullus alius Judex quacumque dignitate, auctoritate, privilegio, et facultate munitus tam Ecclesiasticus, quam Secularis, ac tam ordinarius, quam delegatus, tum in dicta Urbe, quam extra eam in causis, et negotiis ad Collegium praefatum, illiusque personas, res, et bona, et jura quomodolibet et quovis capite spectantibus, et pertinentibus tam praesentibus, quam futuris, tam super obligatione in forma Camerae Apostolicae, et jure congrui, quam alias quomodolibet, et ex quavis causa, terminique judicialis, et censurarum susceptione, ac quavis alia de necessitate exprimenda causa, sive active, sive passive, tam in prima, quam secunda, et ulteriori instantia, ac in quacumque judicii, et litis parte, tam circa res, bona et jura ipsius Collegii, quam illius personas quomodolibet exercere, sed quod omnis jurisdictio, et superioritas in omnibus, et singulis causis supradictis, ac quibuscumque aliis civilibus, et criminalibus meris, et mixtis ipsum Collegium, et illius Scholares, et Ministros, ac officiales, et personas, eorumque bona, res, et jura quaecumque aut alias quomodolibet concernentibus ad praedictos, et pro tempore existentes ejusdem Collegii Protectores, vel eo-

rum Judicem, seu judices deputatum, seu deputatores, vel deputandum seu deputandos pleno jure, et in quacumque instantia etiam privative quoad omnes alios quoscumque Judices etiam quoad illarum finalem, et totalem exequutionem cum facultate illas omnes quomodolibet coram aliis quibuscumque judicibus introductas, et pendentes reassumendi, et illis sub Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis arbitrio suo imponendis, et moderandis inhibendi, ac in eventum non paritionis, contradictores, sententias, censuras, et poenas supradictas incurrisse servata forma Concilii Tridentini declarandi, aggravandi, reaggravandi, interdicendi, auxiliumque brachii saecularis ad id, si opus foret, invocandi, attentata, et innovata quaecumque revocandi, ac omnia, et singula in praemissis, et circa ea necessaria, et opportuna faciendi, dicendi, et exequendi spectare, et pertinere in omnibus, et per omnia perpetuo debeant, ac etiam eisdem, et pro tempore existentibus dicti Collegii Protectoribus, et defensoribus, eorumque Judicibus denuo indulsit, ac eis amplam, liberam, et omnimodam facultatem desuper, et auctoritatem impertitus fuit: districte propterea inhibens omnibus, et singulis aliis suprascriptis ecclesiasticis, et secularibus quavis auctoritate, dignitate, et potestate fungentibus, et functuris tam in alma Urbe, quam extra eam consistentibus, ne sub nullitate omnium, et singulorum actorum, processuum, decretorum, mandatorum, et aliorum quorumcumque per eos fiendorum contra declarationem, indultum, et facultatem hujusmodi in dicti Collegii, illiusque personarum, et rerum causis, litibus, negotiis, et controversiis tam civilibus, quam criminalibus, meris, et mixtis quovis modo, seu praetextu etiam ratione privilegiorum, et indultorum ipsis, et eorum officiis, et tribunalibus etiam per dictam Sedem, aut alias quomodolibet concessorum, se se ingerere audeant, seu praesumant quoquo modo: ac etiam inane decrevit quicquid secus super iis a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigeret attentari, non obstantibus litis pendentiis, si quae essent, et quibusvis Apostolicis, et in universalibus, provincialibus, et synodalibus conciliis editis specialibus, vel generalibus constitutionibus, privilegiis quoque, et indultis quibusvis tribunalibus, curiis, illorumque Judicibus, et praesertim causarum dictae Camerae Apostolicae generali Auditori in genere, vel specie concessis, et innovatis, ac concedendis, et innovandis, necnon omnibus illis, quae in singulis litteris praedictis expressum fuit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Quibus omnibus etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad id servanda foret, illis alias in suo robore permansuris ea vice dumtaxat specialiter, et expresse derogavit, ut in ejusdem Clementis praedeces-

soris litteris sub datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die sexta Martii 1592. Pontificatus sui anno primo expeditis, plenius continetur. Cum autem, sicut accepimus, licet stantibus ita praemissis omnis jurisdictio, et superioritas in singulis causis hujusmodi Protectoribus praefatis competere noscantur, ac etiam idem Gregorius praedecessor per alias suas litteras spiritualem jurisdictionem, et animarum curam, quam Ecclesiae dicto Collegio unitae habent, totam ad ipsius Collegii Protectores pertinere, et si quid forte in praedicti Collegii constitutionibus desiderari usus rerum magis demonstraret, aut obscurum foret, vel ambiguum, id Protectores, et superiores praedicti re mature deliberata ex communi omnium consensu supplere, et declarare, ac ad alia extendere posse voluerit, et desuper Collegium, illiusque Protectores, collegiales personae, et Ministri hujusmodi molestari non debeant, nihilominus nonnulli, ut etiam accepimus contra mentem, et intentionem praedecessorum nostrorum praedictorum se se in jurisdictione hujusmodi, aliisque praemissis intermittere praesumant, et procurent, ac jam forte lites desuper introductae reperiantur; Nos propterea in praemissis omnem dubitandi occasionem tollere volentes, necnon omnium, et singulorum praedecessorum praefatarum litterarum, commissionum, et concessionum, ac per eos Collegio, et scholaribus praefatis eorumque et Ecclesiarum eidem Collegio unitarum ministris, et personis, ac bonis, juribus, et rebus quibuscumque concessorum privilegiorum, indultorum, exemptionum, et concessionum tenores, et compendia sub quibuscumque verborum expressionibus, et formis, ac si de verbo ad verbum praesentibus inserti forent, eisdem praesentibus pro expressis habentes, motu proprio, et ex certa scientia nostris, ac de Apostolicae potestatis plenitudine similibus, non ad ipsius Collegii Rectoris, et collegialium praefatorum, aut quorumvis aliorum nobis desuper oblatae petitionis instantiam, sed ex mera nostra liberalitate illas, et illa cum omnibus, et singulis in eis contentis, ac inde sequutis, et sequendis dicta auctoritate tenore earundem praesentium approbamus, et confirmamus, ac grata, et rata habemus, illisque omnibus, et singulis perpetuae, et inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes, et singulos tam juris, quam facti, ac solemnitatis quarumcumque de jure, usu, vel consuetudine, aut alias quomodolibet requisitarum, vel necessariarum, ac quosvis alios, et quantumvis substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, etiamsi tales sint qui specialem, et expressam requirant mentionem, in eisdem supplemus: decernentes ipsas litteras, et in eis contenta quaecumque perpetuo valida, et efficacia esse, et fore, perpetuoque et inviolabili firmitatis, et validitatis robore subsistere, ac suos plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et ab omnibus, ad quos spectat, et spectabit quo-

modolibet in futurum perpetuo, firmiter, et inviolabiliter observari, et adimpleri debere, ac ab eis nullo unquam tempore quovis praetextu, colore, vel ingenio recedi, aut resiliri posse, et nihilominus pro potiori cautela, motu, scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine similibus omnes, et singulas, ac quascumque lites, causas, differentias, quaestiones, et controversias inter Protectores, seu superiores, et collegiales, aut personas ab eis deputatas ex una, et quoscunque alios, etiam locorum Ordinarios ex altera partibus super praemissis, aut eorum aliquo introductas etiam in Auditorio causarum Rotae Palatii Apostolici, vel alibi coram quibusvis Judicibus secularibus, vel Ecclesiasticis ordinariis, vel delegatis, non tamen Protectoribus praefatis in prima, seu alia instantia pendentes incisas in statu, et terminis, in quibus reperiuntur de praesenti, etiamsi in illis ad calculum ferendae sententiae deventum; dummodo tamen in illis omnino conclusum non sit, ad nos harum serie avocamus, sicque avocatas penitus, et omnino supprimimus, extinguimus, et annullamus, ac ipsorum Protectorum, seu superiorum, et collegialium, aut personarum ab eis, ut praefertur deputatarum adversariis, aut quibuscumque aliis in praemissis quomodocumque interesse habentibus, vel habere praetendentibus perpetuum desuper silentium ex nunc imponimus, ac propterea modernis, ac pro tempore existentibus ejusdem Collegii Protectoribus, ac superioribus, ut quotiescunque casus evenerit, ipsi omnia et singula ejusdem Collegii constitutiones, statuta, et decreta, prout eis videbitur, et ratio dictaverit interpretari, et dilucidare, atque etiam alia ex integro, et de novo facere, et condere, ac ab omnibus, ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum nullo praevio examine, seu approbatione sub poenis, et censuris eis bene visis observari facere possint, et valeant, pariter concedimus, et indulgemus; necnon statuimus, et ordinamus, et ita etiam eorumdem praedecessorum, et nostrae mentis, et intentionis fuisse, et esse declaramus, quod praeter praedictos, et pro tempore existentes Collegii Germanici, et Ungarici hujusmodi Protectores nullus alius judex quacumque dignitate, auctoritate, privilegio, et facultate munitus tam ecclesiasticus, quam secularis, ac tam ordinarius, quam delegatus tam in dicta urbe, quam extra eam in causis, et negotiis ad praefatum Collegium, illiusque personas quascumque res, bona, et jura ex quovis capite spectantibus, et pertinentibus tam praesentibus, quam futuris, et tam super obligationibus in forma Camerae Apostolicae jure congrui, refectione viarum, seu pontium, quam super re, et negotio concernente artem agriculturae, ac etiam annonae, doganae, Ripae, Ripettae, Terrae, Studii, quam alias quomodolibet, et ex quavis causa, terminique judicialis, et censurarum susceptione, ac quavis alia de necessitate hic exprimenda causa, sive activa sive passiva,

tam in passiva, quam in secunda, et ulteriori instantia, ac cujuscumque judicii, et litis parte, tam per viam appellationis, quam nullitatis, et recursus, restitutionis in integrum, vel alio quocumque remedio, tam ordinario, quam extraordinario, quovis modo se intromittere, vel alias actum aliquem jurisdictionis tam civilis, quam criminalis, tam circa res, bona, et jura ipsius Collegii, quam illius personas, necnon parrochiales, ac sive jura, ecclesias, seu cappellas, cappellanias, et beneficia quaecumque dicto Collegio quomodolibet unita, seu annexa, aut ab eo ratione Monasteriorum, Prioratuum, seu Ecclesiarum, ipsi incorporatorum quocumque modo dependentia, ac presbyteros, vicarios, cappellanos, et ministros quomodolibet injunctos illis pro tempore, et in cura, et exercitio parrochialibus, ac divinis deservientes ad nutum Protectorum, vel aliorum superiorum aut collegialium dicti Collegii, praevia tamen ordinarii approbatione ponendos, et amovendos, ac etiam perpetuos quomodolibet exercentes possit, et valeat, curamque omnium, et singularum ecclesiarum, parrochialium, et curatorum ad praefatum Collegium quomodolibet spectantium ab omnimoda jurisdictione, superioritate, et dominio quorumcumque ordinariorum penitus, et omnino, praeterquam in casibus a Concilio Tridentino expressis, perpetuo eximimus, et liberamus, et propterea neque coram eodem auditore Camerae, ac ejusdem Camerae clericis annonae, Ripae, Ripettae praesidentibus, et doganariis, ac gabellae terrae, studii consulibus, magistris viarum, Canonicis, Vicecancellario, Senatori, et Conservatoribus Urbis, minusque archipresbyteris, seu protectoribus Basilicarum, et Ecclesiarum S. Joannis Lateranensis, S. Petri, S. Mariae Majoris, seu eorum judicibus deputatis, et Archiconfraternitatibus Sanctiss. Trinitatis peregrinorum et convalescentium, Confalonis, S. Marcelli, hospitalis S. Spiritus in Saxia, S. Jacobi incurabilium, ac aliarum, quarumcumque ecclesiarum, hospitalium, archiconfraternitatum Protectoribus, commendatoribus, ac rectoribus quibuscumque, et aliorum quorumcumque tribunalium tam in Urbe quam extra eam, et Curiae, Burgique existentium judicibus molestari, et inquietari, aut quoquo modo in judicium trahi, res, bona, jura, et personas supra expressas possint, aut debeant, nec minus possit, aut debeat sub quovis praetextu assertorum privilegiorum, indultorum, et exemptionum, quibus suprascriptis judicibus, protectoribus, commendatoribus, et aliis quibuscumque expressis, et nominatis, ac de necessitate exprimendis, et nominandis, quia omnis jurisdictio, et superioritas in omnibus, et singulis causis suprascriptis, et aliis quibuscumque civilibus et criminalibus, meris, et mixtis ipsum Collegium, et ejus scholares, ac Ecclesias eidem Collegio unitas, ministros, officiales, et personas, eorumque bona, res, et jura, et curam animarum, illiusque exercitium,

ac Sacramentorum ecclesiasticorum administrationem, aut alias quomodolibet concernentibus ad praedictos modernos, et pro tempore existentes ejusdem Collegii Protectores, vel eorum Judicem, et Judices, deputatum, seu deputatos, vel deputandum, seu deputandos pleno jure in quacumque instantia etiam privative quoad Vicarium Urbis, ac quoscumque locorum ordinarios, et omnes alios quoscumque Judices praefatos, et quoad illarum totalem, et finalem executionem cum facultate illas omnes quomodolibet coram aliis quibusvis Judicibus introductas, et pendentes reassumendi, et illis sub Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis arbitrio suo imponendis, moderandis, et applicandis inhibendi, ac in eventu non paritionis contradictores, et inobedientes, sententias, censuras, et poenas ipsas incurrisse servata forma Concilii Tridentini hujusmodi declarandi, aggravandi, reaggravandi, interdicendi, auxiliumque brachii secularis, si opus fuerit, invocandi, attentata, et innovata quaecumque revocandi, omniaque alia, et singula in praemissis necessaria, et opportuna faciendi, dicendi, et exequendi spectare, et pertinere in omnibus, et per omnia perpetuo debeant, et etiam modernis, et pro tempore existentibus dicti Collegii Protectoribus, et defensoribus, eorumque Judicibus tenore earumdem praesentium de novo perpetuo indulgemus, eisque liberam, plenam, amplam, et omnimodam desuper facultatem, et auctoritatem impertimur: districte propterea inhibentes omnibus, et singulis suprascriptis Judicibus, Archipresbyteris, Protectoribus, Commendatoribus, Consulibus etiam artis agriculturae, et aliis quibuscumque Judicibus Ecclesiasticis, et Secularibus quavis auctoritate, dignitate etiam Episcopali, et Archiepiscopali, seu alia majori potestate fungentibus, et functuris tam in dicta Urbe, quam extra eam consistentibus, ne sub poena nullitatis omnium, et singulorum actuum, processuum, decretorum, mandatorum, et aliorum quorumcumque per eos fiendorum contra praesentem nostram declarationem, indultum, et facultatem in dicti Collegii, illiusque personarum, et rerum causis, litibus, negotiis, et controversiis tam civilibus, quam criminalibus, meris, et mixtis quovis modo, seu praetextu, et ratione privilegiorum, et indultorum ipsis, et eorum officiis, et Tribunalibus etiam per Sedem praefatam, aut alias quomodolibet concessorum se se ingerere audeant, seu praesumant quoquo modo, necnon irritum, et inane decernimus quicquid secus super iis a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contingeret attentari: non obstantibus litis pendentiis, si quae sint, ac quibusvis Apostolicis etiam in universalibus, provincialibus, et Synodalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus, privilegiis quoque indultis, et litteris Apostolicis quibusvis Tribunalibus, Curiis, illorumque Judicibus, et aliis quibuscumque, et praesertim dictae Camerae Apostolicae generali Auditori

in genere, vel specie, Clericis Praesidentibus annonae, Canonicis, Magistris viarum, Auditoribus causarum Rotae ejusdem Palatii Apostolici, Agriculturae, et aliis quibusvis consulibus doganariis, conservatoribus, Senatori, et aliis quibuscunque Iudicibus, et Tribunalibus concessis, et innovatis, concedendisque et innovandis, non facientibus de praesentibus nostris litteris specialem, et individuam mentionem cum illorum insertione de verbo ad verbum, non autem per clausulas, ac verba aequipollentia, ac regula de non tollendo jure quaesito, quatenus opus sit, necnon omnibus illis, quae singulis litteris praefatis expressa fuerunt, non obstare, quibus omnibus etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressa habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter, aut divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae approbationis, confirmationis, adiectionis, suppletionis, decretorum, avocationis, suppressionis, extinctionis, annullationis, impositionis, concessionis, indultorum, statuti, ordinationis, declarationis, exemptionis, liberationis, impartitionis, inhibitionis, voluntatis, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo vigesimo primo 12. Calen. Martii Pont. nostri anno secundo.

C. Sestus. M. Conde. C. Nuntius. M. Beger.
Manentus Alluminatus.

GREGORIUS DECIMUSQUINTUS.

A tergo registrata N. P.

Conventus erectos, et erigendos Minorum S. Francisci de observantia Custodiae Matris Dei Provinciae S. Thomae in Indiis orientalibus in provinciam separatam instituit, privilegiis auget, et eamdem provinciam Vicarii generalis Hispaniarum obedientiae submittit.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Sacri Apostolatus ministerio divina disponente clementia praepositi quidem pro Christifidelium quorumlibet praesertim sub arctioris disciplinae regulis Altissimum famulantium felici progressu paceque, et quiete confert, diligenter prospicimus, ac desuper pastolaris officii nostri partes propensius impartimur, prout conspicimus salubriter in Domino expedire. Hinc est quod nos prospero dilectoque filiorum Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci de observantia reformatorum nuncupati Custodiae Matris Dei, Provinciae S. Thomae Fratrum Minorum ejusdem ordinis observantiae et nuncupati in partibus Indiarum Orientalium regimini atque gubernio quantum cum Domino possumus consulere volentes, motu proprio, et ex certa scientia et matura deliberatione nostris custodiam praescriptam illiusque domos seu Conventus et alia loca regularia tam hactenus erecta et instituta quam deinceps erigenda, et instituenda in Provinciam dictorum fratrum Minorum de observantia separatam cum omnibus, et singulis praeeminentiis, prerogativis, privilegiis indultis, et gratiis aliis Fratrum reformatorum dicti Ordinis Provinciis a Sede Apostolica concessis, Apostolica auctoritate tenore praesentium erigimus, et instituimus, eandemque Provinciam per praesentes erectam, illiusque Religiosos quoscumque Congregationi Fratrum Discalceatorum ejusdem Ordinis Hispaniarum auctoritate, et tenore praesentis aggregamus et obedientia Vicarii Generalis Congregationis hujusmodi submittimus, et supponimus. Decernentes praesentes litteras validas, firmas, et efficaces existere, et fore suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis et ordinis praedicti et juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, et statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et litteris Apostolicis illi, ejusque Ministro Generali et quibusvis aliis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis et derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis imitantibus, et aliis decretis in genere vel in specie in commissum praemissorum

quomodolibet concessis confirmatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis et si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales id importantes mentio seu quavis alia ex. gr. habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad id servanda foret illorum tenores praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 11. Januarii 1628. Pontificatus Nostri anno primo.

Loco ✠ Sigilli.

S. Cardinalis S. Susannae.

Breve Gregorii XV. ad Carolum a Lotharingia Episcopum Verdunensem, qui Episcopatui libere renunciavit, et Religiosis PP. Soc. Jesu libere sese addixit.

GREGORIUS PAPA XV.

Venerabilis Frater Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum! quam dulcia christianis faucibus eloquia Dei Nostri, plane desiderabilia super mel et favum! neque desunt hac aetate principes viri, qui id intelligentes paternas domos, et aulas pro arctis Religiosorum coenobiis contemnant, sapientique divitiarum neglectu beatiorem indicis opibus paupertatem emant. Id autem divinae benevolentiae adeo certum argumentum est ut nos plane earum animarum statum Regibus invidendum arbitremur, quas a mortalium rerum contagione secretas in secretiora domus suae penetralia miserentis Dei bonitas deducit salutarium praeceptorum lacte et caelestium consolationum manna nutriendas. Agnosco, Vener. Frater, in his verbis felicitatem tuam, Nos quidem in his litteris tuis caelestem Sancti Spiritus lucem contemplati sumus: gratias autem Deo egimus qui te divitiarum honorumque contemptorem Lotharingiae domus augere vult sanctarum artium christianorumque triumphorum exemplar. Triumphat plane de humanis cupiditatibus et diabolicis insidiis fraternitas tua, cum opulentiam atque Episcopatus dignitatem quae mortales tanto studio et contentione petere solent ab Apostolica auctoritate, demisse flagitas, ut tibi relinquere liceat sub vexillo Nominis Jesu in Sancti Ignatii castris militaturo. Benedicimus

tibi intimo cordis affectu (Venerabilis Frater veram salutis scientiam edocte), et ne quod impedimentum remoretur, Apostolica auctoritate concedimus, quod tibi in solitudinem secedenti Divinitatis voce praeceptum esse credis. Quod igitur christianae reipublicae bono fiat, abjectis humanarum curarum opumque impedimentis proficiscere ad eam sacrae militiae Societatem, Catholici nominis defensione, et Haereticorum excidiis clarissimam : quam quidem quanti nos facimus duo illi Christiani Imperii propugnatores, Ignatius et Xaverius Sanctorum cognomento nuper a Nobis aucti, cunctis terrarum provinciis saeculorumque aetatibus declarabunt. Scuto divinae veritatis circumdatus et fidei lorica munitus, distringe ardentem charitatis gladium non minores Catholicae Religioni in claustris victorias comparaturus, quam Lotharingii principes majores tui in castris pepererunt. Ut Virdunensem Ecclesiam optimus Episcopus hactenus salutaribus consiliis instruxisti, et moribus lectissimis ornasti eam deinceps accuratissimis precibus juva. Nobis vero quibus tutelam generis humani Deus concredidit, eas a bonorum omnium auctore virtutes continenter postula, quae declarare possint Pontificatum maximum Christianae Reipublicae praesidium, atque Orbis terrarum patrocinium esse. Id enim si, Deo favente, consequemur, Nobis certissimam aeternae beatitudinis spem datam esse gaudebimus qua perfruatur felicissime fraternitas tua a Deo obnixe petimus, teque iterum Apostolica benedictione communimus.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 22. Aprilis 1622. Pontificatus Nostri anno secundo.

Joannes Ciampolus.

Ad defensionem catholicae fidei per Germaniam, et ad levandam egestatem eleemosinas colligi jubet, qua in re Episcoporum, et Vicariorum postulatur auxilium.

Dilecto Filio Dominico de Jesu Maria Ordinis Fratrum Carmelitanum Discalceatorum nuncupatorum professi.

GREGORIUS PAPA XV.

Dilecte Fili Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Tua singularis pietas, et in proximum charitas, ac ardens religionis propagandae zelus, quibus te novimus a Domino insignitum, Nos inducunt, ut opera tua in praesentibus necessitatibus utendum duxerimus, sperantes in Domino fore ut juxta animi nostri desiderium, quae tibi commiserimus cumulate et recte sis expleturus. Cum itaque

pro Catholicorum Germaniae foedere contra Catholicae fidei hostes ad ejusdem fidei defensionem inito, praeter alios gravissimos sumptus, quos hactenus fecimus, et ad eandem fidem in universo Orbe propagandam, pro qua unam Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationem deputavimus, longe majores quam vires Camerae Nostrae Apostolicae patiantur, impensae faciendae sint, et propterea fidelium auxilium sit necessarium; ideo te ad hujusmodi subventiones procurandum, et colligendum destinare decrevimus. Motu itaque proprio, et ex certa scientia ac matura deliberatione nostris tibi per praesentes in virtute s. obedientiae praecipimus, et mandamus, ut subventiones hujusmodi tam in alma Urbe Nostra quam in aliis civitatibus, terris et locis ad quae, ut te ad hunc effectum transferas expediens esse judicaveris, nec non iis in locis ad quae personaliter accedere non potueris per aliquem ex sociis per te electis, qui tibi ad hoc idonei videbuntur, procures et colligas tibique, ut praemissa omnia facilius peragere valeas, e domo tua regulari, ac etiam extra Urbem praedictam quando opus fuerit egredi, ac socios necessarios, et idoneos, qui te in praemissis coadjuvent assumere, nec non pecunias, gemmas, et alia quae pro subventionibus hujusmodi colligentur in locis opportunis, donec illa *juxta mandatum nostrum alio transferantur*, deponere, et deponi facere, ac quibusvis locorum ordinariis, ut subventiones praedictas in civitatibus, terris, et locis suarum dioeceseum modis, et formis sibi magis benevisis promoveant subventionesque praedictas ut illis contribuant, Christifidelibus per Verbi Dei praedicatores commendari faciant, Nostro nomine scribere, nec non in locis ubi non fuerint Episcopi, seu Vicarii, verbum Dei praedicare et Christifidelium confessiones audire, illisque absolutionem injunctis injungendis impendere libere, et licite valeas Apostolica Auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus. Praeterea quoniam extra negotium hujusmodi contingere poterit, ut pauperibus piorum eleemosynis subvenire possis, tibi pariter in virtute sanctae obedientiae praecipimus, et mandamus, ut ex piorum Christifidelium eleemosynis tibi pro tempore concedendis pauperum personarum, et piorum locorum necessitatibus subvenias, et ad hunc effectum et eleemosynas hujusmodi petas, recipias, teneas, et de illis disponeas ut praefatur. Decernentes etc. in praemissis, et eorum occasione per superiores tui Ordinis quocumque nomine nuncupatos molestari, perturbari, inquietari, aut impediri nullatenus posse vel debere, ac irritum etc. attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ac dicti Ordinis etc. consuetudinibus privilegiis etc. Apostolicis, illi ejusque superioribus, et quibusvis aliis personis sub quibuscumque tenore et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis irritantibus-

que, et aliis decretis in contrarium etc. innovatis etiamsi in eis caveatur expresse quod nullus ejusdem Ordinis professor etiam ad pias causas pecunias petere, illasque bancarias, aut alias cedulas in deposito habere, seu pecunias hujusmodi dare vel de eis disponere absque expressa superiorum licentia valeat, aut alias quomodolibet disponentibus. Quibus omnibus et singulis eorum etc. illis etc. permansuris hac vice etc. quibuscumque praesentibus ad beneplacitum nostrum dumtaxat duraturis.

Datum Romae apud S. Petrum etc. die prima Martii 1622. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Seminarium, quod Ulyssipone ut fidei catholicae apud Anglos periclitanti ferretur auxilium, erat fundatum, Pontifex apostolica auctoritate confirmat.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Militantis Ecclesiae regimini divina dispensatione nullo meritorum suffragio praesidentes, Christifidelium quorumlibet votis iis praesertim, quae ad Fidei Catholicae propagationem, animarumque salutem pertinere dignoscunt libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Joannes Benettus Cleri Anglicani apud Sedem Apostolicam agens, quod dilectus etiam filius Petrus de Coutinhou Portugallensis, periclitanti apud Anglos fidei Catholicae pro suis viribus succurrere cupiens in civitate Ulyssiponense Seminarium, in quo Anglicanae nationis juvenes pietate, et doctrina instituerentur, ut maturi jam in patriam reversi fidei tuendae, et propagandae sedulam navarent operam, fundavit, dictoque Seminario pro ejus dote, et alumnorum pro tempore existentium sustentatione redditus annuos usque ad summam quingentorum scutorum auri ascendentes, et pro domibus vel emendis, vel extruendis quinque millia scutorum similium assignavit, quibus et plura in operis hujus incrementum redditurum se spondet: immediatum vero regimen hujus Seminarii penes eumdem Clerum Anglicanum praedictus fundator esse voluit; ita tamen ut supremum Lusitaniae Inquisitionis Tribunal, et ipse demum modernus generalis inquisitor, et ejus pro tempore successores Rectori praeficiantur, et Collegio, qui totius administrationis rationem exigendi jus, et potestatem habeant. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat tam Joannes quam Petrus praedicti plurimum cupiant fundationem Seminarii, ut praefertur, factam, Apo-

stolicae confirmationis robore communiri, Nobis propterea humiliter supplicarunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur Joannis et Petri praedictorum votis, quantum cum Domino possumus, benigne annuere, illosque specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis etc. censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati fundationem dicti Seminarii per dictum Petrum, ut praefertur, factam Apostolica Auctoritate tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes, et singulos, tam juris, quam facti defectus, si quo desuper quomodolibet intervenerint, supplemus: nec non iisdem Seminario, Rectori, et Alumnis pro tempore existentibus, ut omnibus et singulis privilegiis, gratiis, et indultis, tam spiritualibus, quam temporalibus, quibus alia hujusmodi Seminarii, eorumque Rectores, et administratores utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent; pari modo, uti, frui potiri, et gaudere libere et licite valeant, concedimus, et indulgemus. Decernentes praesentes litteras validas, firmas, et efficaces existere, et fore, irritumque etc. attentari. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et ordinationibus, privilegiis quoque indultis, et litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus ét singulis eorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et ad verbum insertis habentes, illis etc. permansuris etc. derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut ejusdem Seminarii Alumni pro tempore existentes juramentum de redeundo in Angliam suo tempore, et alias per aliorum Seminariorum hujusmodi Alumnos praestari solitum, praestare omnino teneantur.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem die 22. Septembris 1622. Anno Secundo.

Cum ex Sacra Congregatione rituum decretum prodiisset, Archiepiscopo Kyoviensi praecedentiam supra suffraganeum Episcopi Vilnensis competere declarans, decretum ipsum Pontifex confirmat.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exponi nobis nuper fecit Ven. Frater Archiepiscopus Kyoviensis quod in causa praecedentiae inter eum, et suffraganeum Venerabi-

lis Fratris Episcopi Vilnensis, pendente a Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus sacris ritibus praepositis, emanavit decretum tenoris subsequentis, videlicet. In causa praecedentiae inter Archiepiscopum Kyoviensem Russiae Metropolitanum, et Suffraganeum Vilnensem, Sacra Rituum Congregatio re mature deliberata censuit Archiepiscopo praedicto supra suffraganeum praecedentiam competere nullamque super hoc diversitatis ritus habendam esse rationem 22. Augusti 1620. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Archiepiscopus plurimum cupiat, Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia et validitate Apostolicae nostrae Confirmationis robore communiri, Nobis propterea humiliter supplicari fecit ut super praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur Archiepiscopum praedictum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Decretum praedictum Apostolica auctoritate tenore praesentium approbamus, et confirmamus illique inviolabilis firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam juris quam facti defectus si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere, et fore suosque plenarios, et integros effectus sortiri et obtinere. Dictoque Archiepiscopo, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, nec non irritum, et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Venerabili Fratri Joanni Baptistae Episcopo Nolanensi moderno, et pro tempore existenti, nostro et Apostolicae Sedis in Regno Poloniae Nuntio per praesentes committimus, et mandamus quatenus ipse per se, vel alium seu alios, ubi et quando opus fuerit, et quoties super hoc pro parte Archiepiscopi praedicti fuerit requisitus praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque solemniter publicans dictoque Archiepiscopo in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat easdem praesentes ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari; ipsumque Archiepiscopum illarum commodo, et effectu pacifice frui, et gaudere, non permittens illum desuper a quocumque quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras, poenas ecclesiasticas aliaque opportuna juris et facti remedia appellatione postposita compescendo, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis. Non obstante felic. record. Bonifacii Papae VIII. Praedecessoris Nostri de una, et in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas, ali-

quis auctoritate praesentium ad judicium non trahatur aliisque constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis ceterisque controversiis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 20. Martii 1623. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

S. Car. S. Secret.

Guillelmum Bissopo primum Episcopum Chalcedonensem in Angliam mittit cum iisdem facultatibus, quibus in suis respective Dioecesibus gaudent Ordinarii Locorum.

GREGORIUS PAPA XV.

Dilecte Fili Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Ecclesia Romana sollicita de salute filiorum Mater, ad eos praecipue cordis sui affectum intendit, qui pastoralis providentiae auxilio magis indigent. Itaque non sine viscerum nostrorum commotione considerantes, Catholicos Regnorum *Angliae*, et *Scotiae* haeresi violentia oppressos utilitatibus iis destitui, quos ceteri Ecclesiae Filii ab Episcoporum ministerio percipiunt, Episcopi solatio, quantum cum Domino possumus, eos sublevare decrevimus. Quapropter in tua fide, prudentia, integritate, Catholicae Religionis zelo, ac doctrina plurimum in Domino confisi; Tibi ut postquam munus consecrationis susceperis, et ad eadem regna te contuleris ad salutem animarum, et spirituale bonum Christifidelium Catholicorum in Regnis *Angliae* et *Scotiae* praedictis existentium, sive quos pro tempore ibi existere contigerit, ad nostrum, et Sedis Apostolicae beneplacitum omnibus, et singulis facultatibus olim Archipresbyteris Angliae a Sede Apostolica deputatis per fel. rec. *Clementem VIII., et Paulum V.* Romanos Pontifices Praedecessores Nostros concessis, *necnon quibus Ordinarii in suis Civitatibus*, *et Dioecesibus utuntur*, *fruuntur*, *et gaudent*, *ac uti*, *frui*, *et gaudere possunt*, *similiter uti*, *frui et gaudere libere et licite possis*, *et valeas*, *Apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus*, *et indulgemus*, *ac licentiam*, *et facultatem impertimur*. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 23. Martii anno 1623. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Signatum S. Cardinalis S. Susannae.

Quascumque concessiones, quae nondum suum essent effectum consequutae, quoad erectiones, fundationes, et institutiones monasteriorum, collegiorum, domorum, et conventuum indicta poena revocat, omniaque id genus juxta Tridentini canones perfici mandat.

URBANUS PAPA VIII.

Romanus Pontifex, cui Salvator et Dominus noster, qui charitas est et Deus pacis, Universalis Ecclesiae credidit principatum, ea interdum, quae certis etiam rationabilibus de causis, a Sede Apostolica concessa sunt, ipsa subinde rerum experientia suadente, et majoribus ex causis, quibus praesertim personarum subsuavi religionis jugo altissimo famulantium paci et quieti consulitur, litibusque ac controversiis inter eos obviam iter revocat et immutat, in eisque Pastoralis sollicitudinis et providentiae suae studium interponit, prout rerum et temporum qualitatibus debite pensatis conspicit in Domino salubriter expedire.

§. 1. Cum itaque sicut Nobis innotuit complures licentiae, sive facultates a nonnullis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris per diversos Ordinum etiam mendicantium, Congregationum, societatum, et aliorum regularium institutorum superiores, seu alios nomine ubique locorum *Monasteria*, *Domos*, Collegia, Conventus et alia loca regularia quovis nomine nuncupata servata dumtaxat Sacrorum Canonum et Concilii Tridentini, seu etiam forsan conservata forma, et absque licentia cujusmodi, et contra Decreta a Sede Apostolica super praemissis edita *fundandi*, *erigendi*, *et instituendi* importunis precibus, seu etiam motu proprio, vel alias obtenta et extorta fuerint; idcirco nos omnes et quascumque licentias ac facultates cujusmodi, litterasque desuper tam sub plumbo, quam in hujsmodi forma Brevis desuper expeditas earumque ten. etiam veriores, et dat. praesentibus ac si specifice et sigillatim exprimerentur et insererentur pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes justis de causis animum nostrum moventibus motu proprio non ad alicujus Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine omnes, et quascumque licentias et facultates hujusmodi litterasque desuper tam sub plumbo quam in eadem forma Brevis expeditas, omniaque et singula in eis quomodolibet contenta et expressa etiam quoad erectiones, fundationes, et institutiones Monasteriorum, Collegiorum, Domorum, Conventuum, et aliorum regularium locorum hujusmodi, quae suum nondum sortitae sunt effectum, tenore praesentium perpe-

tuo revocamus, cassamus, abrogamus et annullamus, viribusque et effectu prorsus evacuamus.

§. 2. Praeterea *Ordinum etiam mendicantium*, *Congregationum*, *Societatum et aliorum institutorum* Regularium Superioribus quocumque nomine nuncupatis, ceterisque personis ad quos spectat in virtute sanctae obedientiae, ac sub privationis vocis activae et passivae, nec non officiorum quorumcumque, ac inhabilitatis ad illa et in alia in futurum obtinendi, necnon etiam excommunicationis ipso facto incurrendis poenis interdicimus et prohibemus, ne licentiarum seu facultatum per nos, ut praefertur, revocatarum et annullatarum, sine alio quovis praetextu, vel causa etiam quantumvis privilegiata nova Monasteria, Collegia, Domos, Conventus, et alia loca regularia hujusmodi, nisi de expressa ordinariorum licentia ac servata in omnibus et per omnia Sacrorum Canonum et Concilii Tridentini, necnon Constitutionibus fel. rec. Clem. VIII. quae incipit: Quoniam ad institutam - sub Datum Romae apud S. Marcum sub annulo Piscatoris die 23. Julii 1603. ac Decretorum de mandato ejusdem Clementis, necnon sim. me. Gregorii XV. Rom. Pont. praedecessorum desuper editorum forma recipere, erigere, fundare, seu alias quomodolibet instituere *seu incepta finire et absolvere audeant seu praesumant.*

§. 3. Decernentes praesentes litteras etiam ex eo quod causae propter quas illae emanarint expressae verificatae et justificatae, aut quicumque in praemissis interesse habentes seu habere praetendentes ad hoc vocati, citati et auditi non fuerint, neque illis consenserint, vel alias ex quocumque capite, praetextu, colore, ingenio, vel causa de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio aut intentionis nostrae, vel alio quovis defectu notari, impugnari redargui in jus vel controversiam vocari ad terminos Juris reduci, aut contra eas quodvis gratiae vel justitiae remedium impetrari seu concedi nullatenus posse, sed eas ac omnia et singula in eis contenta semper et perpetuo valida, firma, et efficacia esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac omnibus et singulis ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit inviolabiliter observari, sicque et non aliter per quoscumque Judices ordinarios et delegatos etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos et Nuncios quavis auctoritate fungere, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate judicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Quocirca venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, et aliis locorum Ordinariis per praesentes committimus et mandamus quatenus ipsi vel duo, aut unus eorum per se vel alium seu alios praesentes litteras et in eis contenta quaecumque solemni-

ter publicare faciant illas, et illa ab omnibus et singulis ad quos spectat et pro tempore spectabit inviolabiliter observari, contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris et facti remedia appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

§. 5. Non obstantibus praemissis ac regula nostra de jure quaesito non tollendo etc. me. Bonifatii Papae VIII. similiter praedecessoris nostri de una et in Concilio Generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate gentium ad judicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ac quorumcumque Ordinum, Congregationum, Societatnm, et Institutorum regularium etiam juramento confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis etiam mare magnum, vel alias quomodolibet nuncupatis et litteris Apostolicis, illis, eorumque Superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis ac irritantibus et aliis decretis in genere vel in specie etiam motu proprio et consistorialiter ac alias quomodolibet in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et saepius innovatis. Quibus omnibus et singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum omnium tenoribus praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem quod praesentes in Valvis Basilicarum Sancti Joannis Lateranensis et Principis Apostolorum de Urbe, ac in acie Campi Florae, ut moris est, affixae, omnes quos illae concernunt ita arctent et afficiant, perinde ac si unicuique personaliter intimatae fuissent.

§. 7. Quodque earundem praesentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur quae praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 28. Augusti 1624. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Monachos Ruthenos Congregationis Vilnensis indulgentiis, et gratiis alias concessis uti, et gaudere declarat.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

In supremo Apostolatus solio, meritis licet imparibus, Divina dispositione praesidentes, Religiosos viros, qui spretis hujus seculi vanitatibus, Divini numinis obsequiis se se manciparunt, pastorali benignitate complectimur, prout conspicimus in Domino expedire. Hinc est quod nos volentes dilectos filios Monachos Ruthenos Ord. S. Basilii M. Congregationis SSmae Trinitatis Vilnensis, nuncupatae unitati S. R. E. incorporatos favore prosequi gratiae specialis, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotio Propagandae Fidei Praefectorum consilio, Monachos praedictos, sub litteris fel. rec. Pauli V. Praedecessoris nostri super concessione Indulgentiarum, et gratiarum Monachis, et Regularibus facta sub die 23. Maii 1606. in simili forma Brevis expeditis, quas tenore praesentium pro expressis habere volumus, comprehendi, ac proinde eosdem Monachos praedictis Indulgentiis, et gratiis uti, et potiri posse, easque illis sine ulla dubitatione suffragari, auctoritate Apostolica, tenore praesentium decernimus, et declaramus, non obstantibus quatenus opus sit nostra de non concedendis Indulgentiis, ad instar ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 31. Augusti 1624. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

V. Theatinus.

De Collegio Graecorum in Urbe fundato, et Patribus Societatis Jesu tradito, deque ejus constitutionibus agit.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Universalis Ecclesiae regimini per abundantiam divinae gratiae, nullo licet meritorum suffragio praepositi, inter multiplices gravissi-

masque Pastorales officii curas ad ea mentis nostrae aciem peculiari sollicitudine jugiter convertimus, quae ad majorem Dei gloriam, ac Sanctae Matris Ecclesiae unitatem, et exaltationem fidei Catholicae propagationem, ac Christifidelium in bonis litteris, atque christianis moribus instructionem fore dignoscuntur opportuna. Sane alias in minoribus constituti, et Cardinalatus honore fungentes, ut Collegii Graecorum a fel. record. Gregorio PP. XIII. praedecessore nostro in alma Urbe nostra erecti, et cujus protectoris munus Nobis commissum erat temporalibus commodis prospiceremus, inter alia tunc a Nobis gesta, atque executioni demandata, Collegium praedictum illiusque personas, et bona quaecumque curae, et administrationi Praesbyterorum societatis Jesu a fel. rec. Gregorio Papa XV. etiam Praedecessore Nostro committi obtinuimus, et pro feliciori ejusdem Collegii regimine, atque gubernio infrascripta Statuta, atque Constitutiones, quibus dictum Collegium de cetero regeretur, et gubernaretur jussu nostro edita fuerant tenoris subsequentis, videlicet = URBANUS PAPA VIII. *Ad perpetuam rei memoriam.* = Ad Rectorem, quem Praepositus Generalis more Societatis constituet, et cum ei visum fuerit, amovebit cura domesticae disciplinae, et Constitutionum omnium exacta executio spectabit, qui etiam Constitutiones illas, quarum executio, specialiter Protectoribus et Praeposito Generali reservatur, opportune illis in memoriam revocet, ut executioni eas mandent. Ministros vero omnes Collegii, qui de Societate non sunt, ipse constituet, et amovebit.

Rector extraordinarias, et insolitas expensas ultra viginti ducatorum summam nullas faciet, nisi conscio et approbante Praeposito Generali, neque ultra centum ducatorum summam, nisi accedente etiam consensu Protectoris, qui Collegio specialiter praeest. Quod si expensae mille ducatorum summam excesserint, non fiant, nisi de consensu omnium Protectorum, et Superiorum.

Certa pecuniae summa constituatur ad libros singulis annis pro magistris, et scholaribus, et pro augenda Bibliotheca coemendos, itemque ad supellectilem Ecclesiae conservandam et augendam, quae summa, considerato statu Collegii, a Protectore, qui Collegium administrat, vel de ejus consensu a Rectore constituetur.

Cum Protector aliquis decesserit, moneat Rector Praepositum Generalem, ut pro ratione muneris sui alium substituendum a Sede Apostolica curet; qui ad res Collegii promovendas, atque Greciae reductionem idoneus futurus videatur. Interim vero in Collegio res Deo serie commendetur.

E Protectoribus unus semper sit a Sede Apostolica deputatus, qui accepti, expensique rationes a Rectore, oeconomis Vicario Sanctissimae

Trinitatis diligenter quotannis exigat, quique res, quae Protectoris opera, atque auctoritate indigere videbuntur, ordinarie cognoscat. Quod si qnid extraordinarium, et gravius inciderit, referatur ad Congregationem Protectorum omnium, et Superiorum, quae circa festum Pentecostes et Nativitatis Domini semper habebitur, aut etiam saepius, cum id negotia postulabunt.

Qui in Collegium admittendi sunt, sint Graecis parentibus nati, sacro Baptismate secundum Ritum Ecclesiae Graecae initiati, legitimo matrimonio suscepti, linguam patriam saltem mediocriter teneant, non debiles, aut deformes, non impediti lingua, non desertores ullius Religiosi Ordinis, aut Fidei, non Neophiti, atque eo ingenio praediti, ut sperari possit fore ut utiles Ecclesiae operarii evadant, annorum neque minus duodecim, neque supra decimum sextum, nisi quando ex peculiaribus causis, neque nisi longa probatione praevia ad experiendum hominis ingenium, ac naturam Protectori, ac Superiori dispensandum videretur cum aliquo, ut paulo major natu admitti possit, dummodo octavum decimum annum non excedat; quod si de admittendo aliquo agatur, qui eam aetatem excesserit, non nisi de expressa Sedis Apostolicae dispensatione id fieri possit, quae dispensatio subreptitia, et nulla prorsus habeatur, nisi constiterit in ejus petitione expositas fuisse Pontifici causas Constitutionis hujus.

Admitti in Collegium poterunt ex omnibus Graeciae Provinciis, et ceteris locis in quibus Graeci habitant, Italo-Graeci, quos vocant, non excedant numerum decem. Rutheni etiam quatuor et Monachi Sancti Basilii Congregationis Sancti Nili duo (dummodo ingenio polleant) ali in Collegio poterunt quandiu Protectoribus expedire videbitur.

Curet Praepositus Generalis, ut quantum fieri potest ex diversis Graeciae Provinciis, ac locis scholares alantur in Collegio ut fructus ad plures gentes pertinere possit. Eam ob rem ex parvis locis, et insulis ne plures simul in Collegio versentur, nisi alii non suppetant.

Si quis latini ritus ex subreptione insciis superiorihus ingressus fuerit post susceptum Juramentum, teneatur etiam postquam e Collegio discesserit, Ritum Graecum servare, atque ad animarum salutem incumbere, qua etiam conditione admissi intelligantur, si qui, alioquin ritus latini, ex peculiari Sedis Apostolicae dispensatione admissi fuerint.

Si cui ex Alumnis specialiter indulserit Sedes Apostolica, ut non obstante Juramento ad ritum Ecclesiae latinae transire possit, teneatur ad restitutionem omnium expensarum, quae in alendo, et instituendo factae sunt, nisi etiam super hoc dispensatum cum eo fuerit. Qui vero sine expressa dispensatione ritum mutaverint, quibuscumque officiis, ac beneficiis eo ipso sint privati, et ad similia in futurum obtinenda

inhabiles perpetuo existant. Collegii autem Protector administrans contra eos, tanquam contra perjuros, procedere possit et debeat.

Qui ex Oriente, et Graecia veniunt, curetur, ut quantum fieri potest, honesto et comodo loco nati sint, utque eorum consanguinei, et parentes bona, ac domicilium in iis regionibus habeant, quo facilius ac libentius in Patriam revertantur. Qni vero ex Italia recipiuntur ejusmodi sint, ut propter parentum, vel consanguineorum curam non cogantur ab instituto Collegii desistere, vel tales sint, qui libere possint a Protectoribus in eas Italiae partes ad curam animarum exercendam admitti, quae eorum opera indigebunt.

Curet Praepositus Generalis ut sint aliqui, qui idoneos ad finem, et disciplinam Collegii conquirant, deque eorum indole, et ceteris secundum Constitutiones Collegii requisitis recte judicent, neque ordinarie quemquam mittant, nisi de consensu Rectoris, et cum litteris, quae fidem faciant, eum habere conditiones omnes, et singulas requisitas in specie. Ignoti autem, vagi aut alioquin minus idonei nulla ratione recipiantur: qua in re Protectoris specialiter ad gubernationem Collegii deputati, Praepositi Generalis, et Rectoris conscientiam oneramus.

Non plures admittantur in Collegium, quam quos sine periculo aeris alieni contrahendi Superiorum judicio Collegium commode sustentare poterit.

Qui decimum sextum annum excesserint statim post semestris spatium ab ingressu in Collegium, minores autem dummodo sex menses antea in Collegio versati sint, statim atque decimum sextum expleverint, jurent; Italo-Graeci videlicet, se non discessuros e Collegio, nisi legitime dimittantur, et statum Ecclesiasticum, ac sacros etiam ordines usque ad Praesbyteratum ritu graeco suscepturos quandocumque, et ubi Superioribus visum fuerit, atque ad curam animarum quocumque intra Italiam a Protectoribus, aut ullo illorum ad id specialiter deputato missi fuerint, ituros, neque acturos unquam ut ad ritum latinum sibi transire liceat. Graeci autem jurent, se ritum a S. R. E. probatum perpetuo servaturos, neque e Collegio discessuros, nisi legitime dimittantur ab iis ad quos spectat, tuncque statim in Graeciam profecturos nisi alio a Superioribus missi fuerint, ibique quantum in se erit, fidem Catholicam, quam in hoc Collegio didicerunt, seminaturos neque acturos unquam, ut ad ritum latinum transire sibi liceat. Promittant praeterea se dum in Collegio versabuntur, Instituta, et Constitutiones ejus juxta Superiorum interpretationem servaturos: neque a communi omnium Alumnorum vivendi ratione, vel in vestitu, vel in habitatione, vel in victu, discessuros, neque quidquam molituros contra Constitutiones, Instituta, et moderatores Collegii. Quam promissionem simul cum juramento in libro, quem ad

hanc rem servari volumus, chirographo suo coram testibus consignabunt.

Postquam in Collegium admissi fuerint separatim a ceteris dies minimum decem habitent; quo tempore, quae ad pietatem, et vitam secundum disciplinam, et instituta Collegii moderandam pertinent privatim doceantur, neque cum aliis aut in cubiculis versentur, aut separatim agant vel colloquantur, exceptis iis qui ad id a Superioribus fuerint designati.

Generalem per id tempus totius vitae confessionem faciant apud Collegii confessarium, aut alium qui magis ad rem Superiori videatur, qui eos a censuris omnibus, et casibus etiam in Bulla *Coenae Domini* reservatis juxta facultates ab eadem Sede concessas absolvat. Quod si quis propter aetatis teneritudinem ad secessum minus idoneus, neque ex confessione generali utilitatem capturus videatur, decem saltem diebus ante juramentum secedat, ac piae meditationi, confessioni generali, et vitae secundum suam vocationem instituendae vacet.

Omnes tamen initio doceantur Fidei rudimenta, et cetera ad pietatem conducentia, quae pro captu aetatis suae discere possunt; sed illis mensibus, quae illis conceduntur ad deliberandum, an manere in Collegio, ejusque institutum amplecti velint, attendat diligenter Rector, num ad Collegii disciplinam, et finem illis propositum idonei sint; quod si quem minus idoneum deprehenderit sine mora dimittat.

Nemo in hoc Collegio alatur, qui sine spe solidi in pietate fundamenti discessurus videatur, ne malus unius exitus ea destruat, quae multorum in Religione, et pietate profectus aedificavit: quapropter Rectoris conscientiam districtius oneramus, ne ejusmodi homines postquam eos sive ante, sive post juramentum deprehenderit haerere in Collegio diutius patiatur; quemadmodum ne eos quidem, qui minus in litteris profecturi videntur, ubi satis eorum indoles explorata fuerit. Omnes in Collegio fraterna charitate devincti iisdem legibus vivant, etiamsi Sacerdotes, Religiosi, et Magistri sint, et communem cum ceteris vitae rationem in victu, vestitu, habitatione, et ceteris omnibus rebus sequantur.

Quia totius spiritualis aedificii fundamentum pietas est, in eo diligentiam omnem impendat Rector, ut eam Alumnorum pectoribus inserat. Curet igitur, ut frequens Sacramentorum, precum, ac piorum librorum usus in Collegio vigeat, ac verbi Dei, et ipse eos ad studium pietatis incitet, et juvandos ab aliis identidem curet, itaut praeter lectiones aut conciones sacras, quas in templis audient, saltem quintodecimo quoquo die privatis cohortationibus ad ea, quae vocationis et instituti sui sunt propria, animentur.

Vetus Collegii consuetudo servetur, ut octavo quoquo die confiteantur, et quibus propter aetatem licet decimoquinto quoquo die communicentur. Praeterea vero solemnibus diebus festis, ac Dominicis omnibus Adventus, et Quadragesimae idque ordinarie latino ritu, praeter quam in festo Paschatis, Pentecostes, et in festo Nativitatis Domini, aut si quando praeterea justis de causis visum fuerit Protectori. Doceantur autem a Confessario, aut alio spiritualibus rebus Praefecto quomodo haec cum spirituali fructu peragant.

Quotidie Missam latino ritu audiant, festis vero diebus etiam ritu graeco, et mane, antequam studiis operam dent, dimidiam horam orationi impendant, meditationi quidem qui per aetatem idonei videbuntur, ceteri autem vocali orationi ex Confessarii praescripto, et more Collegii. Vesperi antequam cubitum eant, horae quadrantem unum Litaniae, et discutiendae conscientiae suae tribuant. Quod si quis Officium Ecclesiasticum recitare teneatur, id aliis horis persolvat.

Qui Sacerdotes, aut in Sacris constituti sunt in gradu suo ministrare secundum Rectoris praescriptum debeant, ut ritus, et ceremonias Ecclesiasticas, quas exercere deinde debent addiscant, ac si qua in re errent, corrigantur ab iis, quibus Officium demandatum est; qui autem correcti fuerint, neque gravate ferant, et emendare errata studeant, neque unquam dum sacerdotum copia est, Divina officia omittantur etiam propter actus litterarios, aut quacumque alia de causa.

Sint domi Praefectus rerum spiritualium, qui Alumnorum Confessiones excipiant: praeterea vero sit unus aliquis, qui Graecos advenas in Fide, ac ceteris ad pietatem pertinentibus instruat, curetque Fidei professionem quibus necessaria est, et Confessionem faciant. Quod munus si nullus sit de Societate, qui comode obire possit, Superioris judicio unus e Cappellanis Ecclesiae, aut alius ex Alumnis cujus virtuti, ac fidei, re mature considerata, credi possit munus hoc obeat. Alumni quamvis alioqui, ingeniosi ac studiosi, in pietate tamen desides, quique alios exemplo, aut Consiliis suis ab obedientia, pietatis studio, et Collegiali observantia avertere tentaverint, ne alios inficiant, statim e Collegio dimittantur.

Festis diebus domi se contineant, nisi si quaudo ad actus Litterarios, aut ad concionem, lectionemve sacram eundum sit, quam audiant, cum habebitur, nisi divinorum Officiorum, aut litterariarum exercitationum occupatio impediat.

Missam, ac Vesperas diebus omnibus Dominicis, Festis omnibus Beatae Virginis, et Angelorum, Sanctorum Athanasii, Basilii, Gregorii Nazianzeni, Joannis Chrisostomi, Nicolai, Catherinae Virginis et Martyris, Festis omnibus Paschatis, Pentecostes, Natalis, Domini Circumcisionis, Epiphaniae, Transfigurationis, Inventionis et Exalta-

tionis S. Crucis in Ecclesia decantent. Diebus item omnibus majoris hebdomadae, in Vigilia Nativitatis Domini, et Epiphaniae ac praeterea si qui sunt dies, qui in Ecclesia Graeca populi universi devotione celebrentur, etiam in ipsis divinum Officium Orientalis Ecclesiae more celebrent.

Toto quidem anni tempore, sed praesertim cum pomeredianis horis vacatur a lectionibus, et per autumnales Ferias excerceantur in Divinis Officiis, et ceremoniis secundum ritum orientalis Ecclesiae peragendis, ut haec praestare deinde cum decore, et aedificatione possint. In quo quia magni momenti est, ne remissius, aut negligentius agamus, Rectoris conscientiam oneramus, quo item tempore, aut alio, cum studia intermittuntur, majores ea doceantur, quae celebrando Sacrosancto Missae Sacrificio secundum Ritum Orientalem accomodata sunt, ne ad Ecclesiarum deinde curam minus parati accedant.

Curet Protector Procurationi Collegii specialiter deputatus, ut Graecus aliquis ex Oriente ritu graeco consecratus Episcopus Romae sit ad divina Officia atque Ordinationes ritu graeco in Ecclesia Sancti Athanasii peragendas, quique ea, quae ad ceremonias, et ritus orientalis Ecclesiae faciunt, docere Alumnos possit, et ipse per omnia servet, qui tamen nullum jus in Collegium, aut in Ecclesiam habeat, atque ad nutum amoveri a Protectore possit.

Duo praeterea Sacellani, et Cantores totidem ex Alumnis in primis, vel si aliter fieri non possit, conducti sint, qui Ecclesiae deserviant, ac Missas, et Divina Officia quoties Rectori videbitur, celebrent, cantus, et ceremonias Alumnos doceant. Alumni autem, qui secundum gradum suum in Ecclesia ministrabunt, sine ullo stipendio, aut exemptione in ullo genere id praestent. Quod si Alumni non sint, in Collegio non habitent, neque cum Alumnis agere, nisi cum magna circumspectione, permittatur.

Si quis alumnorum ad perfectionis statum, et aliquod Religiosae vitae genus aspiret, post susceptos quidem ritu graeco Ordines Sacros non nisi de Apostolicae Sedis expressa licentia ullum ex Regularibus Ordinibus ingredi possit; ante vero quam suscipiat, liceat et de licentia Protectoris eorum ordinum, qui in animarum salute et reductione instituti sunt, utiliter in Graecia laborare possit.

Doctrinam Christianam omnes addiscant memoriter, et qui nondum Philosophiae dant operam, diebus Dominicis recitent, ejusque explicationem audiant ab aliquo per Rectorem designato.

Librorum, qui tum in scholis perlegendi, tum privatim permittendi sunt maguus delectus habeatur, ne morum puritati, ac pietati per linguae addiscendae praetextum officiant: ob eamque rem, Alumnorum capsas et scrinia Rector per se, vel alium virum fidelem frequens invisat. Quod si quis libros hujusmodi apud se habere depraehenda-

tur, severe puniatur, et post tertiam, vel quartam correctionem, nisi valde evidens spes emendationi ostendatur, e Collegio dimittatur: quod si quando alicui ex Magistris liber aliquis ejusmodi permittendus videatur, non nisi post maturam considerationem, et consulto prius Praeposito Generali fiat.

Insignium Collegii Benefactorum, in primisque Fundatoris in suis orationibus quotidie memores sint, ac Fundatoris quidem, vel similis alterius Benefactoris in Anniversario die depositionis eorum offerendo pro animabus ipsorum solemni Missae Sacrificio memoria peragatur; pro ceteris vero in die depositionis ipsorum sacerdotes omnes, qui domi sunt pro ipsis offerant, quo item die pro ipsis officium Defunctorum Alumni recitent, quod ipsum observetur, quotiescumque Protectorum aliquis vita excesserit.

Cum quis alumnorum mortuus fuerit, Officium, Missam, et reliqua ad exequias pertinentia graeco ritu ei persolvantur, ceteri vero Sacerdotes pro eo sacrificent, et Alumni privatim pro eo defunctorum Officium recitent.

Curent superiores, ut Alumnorum nemo ad sacros Ordines promoveatur, nisi litterarum, ac pietatis studio bene probatus, ut ex ejus Ordinatione fructus merito sperari possit. Qui autem tales fuerint sine litteris dimissorialibus suorum ordinariorum, sed ad titulum Collegii, ac Missionis ordinari possint, et debeant[1], dummodo graeco ritu ad id a Sede Apostolica deputato ordinentur. Antequam Sacris Ordinibus initientur in spiritualibus exercitiis circiter decem dies contineantur; unoque minimum anno, aut etiam duobus, si commode fieri possit, prius quam e Collegio proficiscantur Sacerdotes ordinentur, atque interim sacerdotalibus Officiis, Sacramentorum administratione, et concionibus habendis exerceantur, quas Conciones priusquam in refectorio, vel publice, cum Rectori videbitur, habeantur studiorum Praefectus, aut alius a Rectore deputatus mature recognoscat, et corrigat. Quod si quis alia dicat, quam quae ostensa, atque correcta fuerint severe puniatur, aut etiamsi excessus notabilis Superioribus videbitur, e Collegio cum ignominia dimittatur.

Meminerit Sedis Apostolicae impensis se in alieno solo studiorum causa sustentari, neque ullam rerum, quae domi sunt, vel quas utendas accipiunt a Collegio dispositionem aut dominium habere: ita proinde vivere studeant, ut optatum per eos fructum sperare possit Ecclesia, eaque victus, vestitus, et ceterarum rerum moderatione contenti sint, quae pro Collegii angustiis Superiori conveniens in Domino videbitur.

Communi omnes quamvis Magistri, aut Sacerdotes sint victu, vestitu, et cubiculo utantur, quamdiu in Collegio fuerint, neque nisi valetudinis causa peculiari quidquam in victu praesertim cuipiam permittatur.

Cibum extra Collegium nemo sumat, nisi forte apud parentes, fratres, aut patruos, idque non saepius quam bis in anno de expressa Protectoris licentia: pernoctandi vero extra Collegium, aut cibi post solis occasum sumendi nulla ratione concedatur. Quod si quis in hospitiis, locandis, aut (quod absit) in cauponis cibum, aut potum clam suscepisse deprehendatur, dimittatur e Collegio.

A litibus, et negociorum procuratione, quae vagandi occasionem remissionemque studiorum, et disciplinae necessario afferunt, Alumni prorsus arceantur; neque per aulas, aut domos externorum excurrant: constituatur autem aliquis pius, prudens, et expertur vir, qui si quae forte occurrerint Alumnorum negotia fideliter expedienda curet, et rerum omnium, quae aguntur, Rectori rationem reddat.

Alumnorum nemo, cujuscumque gradus, ordinis, et conditionis sit sine comite ad id a Superiore designato egredi domo audeat. Socius autem sit maturus aliquis, et fidelis, isque non e numero Alumnorum; quod si quis aut sine facultate, et comite egressus fuerit, aut designatum sibi comitem deseruerit, vel eo pro foribus relicto negotia intus occulte tractaverit, in Collegium amplius non recipiatur, nisi forte ad tempus puniendi causa.

Ad tollenda scandala, quae ex commessationibus oriri possunt, nullum externum in hortos, aut viridaria Collegii invitare ad sumendum cibum Rector possit, sine Praepositi Generalis consensu.

Apud se nemo pecuniam habeat, sed apud Oeconomum, aut alium a Rectore designatum reponat, qui eam in utiles, aut necessarios Domini usus, conscio et approbante Rectore, expendet.

Cubiculorum distinctio, quae magni momenti ad bonam Collegii gubernationem, et juventutis institutionem est, diligenter servetur; nullaque ratione permittat Rector, ut domi, aut alibi, qui unius cubiculi sunt, cum iis colloquantur, qui ad alterum cubiculum spectant, sine peculiari, ac toties quoties concedenda facultate, quam non facile cuique concedat, nisi fratribus, et consanguineis, aut discipulis, ut cum magistris suis colloquantur. Extra cubiculum vero nemo Alumorum exeat, nisi impetrata prius a cubiculi Praefecto facultate, et indicato negotio, cujus causa exire velit, quae non animi, sed necessitatis causa concedatur.

In officinas vero, et loca privatis famulorum ministeriis assignata aut a communi conspectu dissita, nemo ingrediatur.

Cum externis Graecis praesertim Orientalibus neque domi, neque alibi colloquium misceant: quod si quis ignotus accesserit, ut eos alloquatur, non nisi praesente aliquo viro fideli, et gravi, qui linguam intelligat, et quaecumque agunt videre possit, id fiat, sive ii grandiores natu, sive pueri sint; ob eamque rem priusquam quis vocetur ad januam, Rectori aut eo absente ministro denuncietur,

ut constituat, num vocari eum expediat, et socium assignet, quo praesente colloquantur: atque ut consuetudinis, et familiaritatis cum externis occasio praecidatur, nemo, qui de Collegio non sit, ad audiendas lectiones in Collegio admittatur. Quemadmodum Graeci, qui ex Oriente veniunt cum omni charitate a Superioribus excipiendi, et quibus in rebus fieri potest juvandi sunt, ita nulla ratione permittendum, ut promiscue cum Alumnis agant, et severe puniendi qui contrafecerint. Sed si quis Catechismo, aut auxilio aliquo alio indiget, unus aliquis assignetur, cujus virtuti, ac pietati merito confidi possit, qui eum in Domino instruat. Externorum vero nemo permittatur in Alumnorum cubicula ingredi, ac multo minus colloquia ibi commiscere, sine aliquo de Societate comite, idque admodum parce, et considerate.

Litteras neque mittere, neque accipere, nisi conscio, et approbante Superiore, cuiquam liceat, qui eas priusquam mittat, aut reddat per se, vel per aliquem e Societate gravem, et multae confidentiae virum omnino perlegat. Qui autem clam mittere, vel accipere litteras deprehensus fuerit, severe puniatur, nisi forte materia, quod absit, ejusmodi fuerit, ut dimitti eum ex Collegio, ac graviori etiam poena vindicari expediat.

Pacifice inter se, ac fraterne agant; neque jocis modo procacioribus, sed iis etiam abstineant, qui cum offensione aliqua esse possunt, et rixas deinde, contentionesque gignere. Quam etiam ob rem, ne per jocum quidem alter alterum tangat; quod si quis graviori contumelia, aut plagis quemquam affecerit, severissime puniatur, aut etiam judicio Superioris e Collegio dimittatur.

Rectorem, atque officiales ceteros, qui eorum curam gerunt reverenter tractent, atque impositas ab eis poenitentias obedienter, et humiliter peragant. Quod si quis subire poenas contumaciter renuerit, aut admodum irreverenter se in Superiores gesserit, aut contra eosdem, eorumque ordinationes alias instigaverit, dimittatur.

Unicuique cubiculo proprius Praefectus praesideat, qui neque domi, neque foris alumnos sibi commissos deserat, cuique in iis, quae ad disciplinam, et bonum cubiculi sui statum pertinent omnes obediant; a quo identidem de alumnorum rebus, et modo, quo se gerunt, Rector doceatur, neque idem Praefectus vero patiatur, ut eum verbis, aut factis Alumni minus reverenter tractent; sit vero ipse Sacerdos, atque ea aetate, et moribus, ut eum merito vereantur. Quod si quem ex Praefectis animadverterit Rector Alumnis placendi nimium studiosum, neque ita fidelem in officio suo, continuo dimittat; famulorum vero aut officialium neminem patiatur Rector cum Alumnis agere.

Nulla neque in sedendo, neque in ambulando, neque in re alia in-

ter Alumnos praecedentiae ratio habeatur, nisi cum aut Sacerdos cum non Sacerdotibus, aut cum Discipulis suis Magistri versantur. Curent potius omnes, ut alter alterum honore praeveniat, et christianae modestiae et humilitatis exemplum sibi invicem praebeant.

Aegrotorum diligens habeatur cura, neque patiatur Rector ut res necessarias, atque paternum animum in eos suum a quoquam desiderari, atque curare debet, ut opportune ab aliis invisentur; ita non temere permittet Alumnos in eorum cubicula ingredi, sed designet eos, qui per vices ex eodem cubiculo invisant, nisi forte aliquid incidat, quod suadeat ex alio quoque cubiculo aliquem aliquando advocari.

In studia diligenter incumbant, ut utiles Ecclesiae operarii aliquando esse possint, ob eamque rem Rectoris conscientiam oneramus. Curet ut omnia studiorum impedimenta serio tollantur de Collegio, neque per incuriam tantus in Alumnis educandis, atque instruendis labor irritus, et inanis reddatur. Quibus diebus vacatur a lectionibus privatum studium ne intermittant, atque, excepto hebdomadario recreationis die, domi se plerumque contineant, quamvis ne laboris assiduitate frangantnr extraordinaria aliqua ad relaxandos animos hora concedi iis possit. Lectiones omnes, quae philosophis et theologis praescribuntur, suis temporibus diligenter audiant, neque cuiquam facile dispenset Rector, ut earum aliquam ordinarie omittat, nisi re mature considerata, et collata cum Praeposito Generali.

Controversiae Fidei, quae Ecclesiae Catholicae non solum cum schismaticis sunt, sed etiam quae cum hujus temporis haereticis agitantur, curet Rector ut Alumnis diligenter explicentur, neque ab ea exercitatione quemquam eximat, qui Theologiam, aut conscientiae casus audiunt.

Iis singuli facultatibus operam dabunt, quibus dare eos debere Rector in Domino judicaverit; quod quo melius et consultius fiat bis, aut saltem semel singulis annis eorum omnium, qui Superiores facultates audiunt, doctrinam atque ingenium per examinatores explorentur, et qui minus in iis studiis proficere deprehendentur, majore Dei obsequio prae oculis habito, amoveantur, ne et ipsi tempus inutiliter terant, et plus profecturos alios Collegium possit admittere.

Non prius ad audiendam Philosophiam promoveantur, quam graece, latineque loqui expedite possint, graece vero etiam eleganter scribere: eam ob rem postquam satis in classe Rhetoricae linguae utriusque studuisse videbuntur, graecae linguae perfecte perdiscendae annum integrum impendant, et dum Philosophiae et Theologiae dant operam, curet Rector, ut privatis scriptionibus, lectionibus, ac disputationibus eam linguam exerceant.

Ad actus publicos Theologiae, vel Philosophiae nemo admittatur,

nisi diligente examine praevio aptus judicetur, ut ejus loci dignitatem tueri possit, atque iis moribus sit, ut non indignus eo honore videatur. Ad Doctoratum vero ii tantum promoveantur, qui et doctrina insignes et virtute conspicui sint.

Privatas domi repetitiones, et disputationes apud proprios suarum facultatum repetitores habeant; neque quisquam ante absoluta studia ab iis ordinarie eximantur, nisi gravissima de causa judicio Praepositi Generalis.

Studiis absolutis, non ultra triginta dies Alumni in Collegio detineantur: toto vero tempore, quo post absoluta studia in Collegio versabuntur, omnibus Collegii legibus teneantur, sicut ceteri, qui domi sunt. Habeant tamen Superiores de consensu Protectoris specialiter deputati facultatem aliquos egregia virtute, atque indole retinendi, quorum opera, vel ad Collegii administrationem, vel ad juvandos Graecos advenas aut alios si qui Romae fuerint, uti possint, aut similibus aliis de causis.

Quae Alumnis discedentibus praesertim pauperibus in discessu danda sint, ita a Protectore praescribantur, ut quaerelarum, et invidiae occasio praecidatur: qua in re praecipue eorum ratio habeatur, qui bene de Collegio meriti fuerint, et valde exemplariter in eo se gesserint; iis vero, quibus satis pecunia suppetit, quique ad juvandas animas non proficiscuntur, aut qui ob culpam dimissi fuerint, nihil detur.

Curet Rector, ut tam graecarum, quam latinarum litterarum Magistri, qui alumnos docere debent domi, ad munus suum idonei, atque iis moribus sint, qui aedificare, et promovere in pietatis studio possint; ob eamque rem, qui inquietos se, et parum studiosos disciplinae collegialis ostenderint, aut Superioribus parum morigeros, scholis nullo modo praeficiantur; id, quod cum tutius, ac majori cum consideratione fiat, postquam domi Rector consultationem habuerit, rem totam ad Praepositum Generalem deferat, ut si quid fuerit dubii ipse decidat.

Nisi necessitas cogat, nemo ad superiorem classem docendam promoveatur, nisi prius in inferiore operam suam, ac diligentiam Superioribus probaverit. Alumni, quandiu Protectori et Superioribus videbitur, docere alios teneantur, cui muneri quantum fieri poterit post absoluta studia, aut saltem post primum annum Theologiae admovendi sunt; ipsi vero memores se gratis in Collegio educatos, et institutos esse, neque mercedem, neque exemptionem ullam a communi Collegii disciplina expetent, sive graecas, sive etiam latinas litteras, cum id opportunum videbitur, docere jubeantur. Quos tamen tanquam bene de Collegio, ac toto Oriente promeritos Rector foveat peculiari affectu, et quibus in rebus sine dispendio disciplinae potest, iis gratificetur.

Librorum qui perlegendi in scholis sunt magnus delectus habeatur, ut neque moribus officiant, et addiscendae linguae utiles sint, atque ad auditorum captum accomodati. Eam ob rem curet Rector, ut a viris linguae graece admodum peritis, et piis cathalogus aliquis eorum librorum conficiatur, qui singulis gradibus magis accomodati sunt: neque, sine matura consideratione et re cum viris peritis communicata, alios perlegi patiatur.

Priusquam scholis quisquam praeficiatur per viros idoneos examinetur, quod examen subire omnes debebunt quos Rector judicaverit, non tantum, ut exploretur quis praestet litteris, quam ut constet, qui ad id muneris idonei sint, ut ex iis deinde eligatur is, cujus mores, virtus, et obedientia id Superiorum judicio merebitur.

Erga Alumnos, qui jam discesserunt, Rector Collegii paterna sollicitudine utatur, ut eorum labores cognoscat, et fructum, quem in Domino fecerint; deque iis Protectores, ac Sanctam Sedem certiorem faciat, litteris consoletur, et si qua re in Urbe indiguerint, aut si negotia habuerint ad aedificationem, et salutem animarum pertinentia, expedienda curet, iisque, quibus rebus potest, subveniat.

Curet denique Rector, ut neque inutiles, neque discoli in Collegio detineantur, atque Alumni in pietatis studio, atque erga Sanctam Romanam Ecclesiam amore, ac reverentia, atque animarum, et reductionis Graecorum zelo educentur.

Divina officia qua decet modestia, et gravitate peragantur; quamobrem Sacrarum ceremoniarum Magistri aut alii viri graves Choro praesint, qui non modo si quid erratum fuerit privatim corrigant, sed cum opus est publice etiam castigent, aut puniant. Si quis autem ex Alumnis indignum quid Orationis domo facto, dictu, nutu, vel aspectu minus honesto commiserit, confestim e Collegio dimittatur; quod si propter delicti levitatem, condonandum aliquid videretur, non fiat nisi de licentia Protectoris, et gravi alia poenitentia imposita.

Ritum Graecum per omnia diligenter servent dum sunt in Collegio, Latinum vero quantum scandali, et eorum cum quibus conversantur ratio postulabit.

Curet Praepositus Generalis, cui Collegium per se, ac per officiales suos, sicut cetera eidem Societati commissa Collegia, regendum Apostolica auctoritate tradidimus, ut secundum praesentes Constitutiones perpetuis futuris temporibus gubernetur; neque minorem diligentiam adhibeat vel in eo domi regendo, atque idoneis officialibus constituendis, vel in rebus ejus temporalibus administrandis per Vicarium Monasterii Sanctissimae Trinitatis, quem semper unum de Societate de consensu Protectoris ab eo constitutum, ejusque obedientiae per omnia subjectum, et cum jussum fuerit amovendum esse volumus, quam si unus esset e Societate ipsius Collegii. Si quid forte in his

Constitutionibus usus desiderari monstraverit, aut obscurum fuerit, vel ambiguum, id Protectores et Superiores, re mature coram Domino considerata, communi omnium, qui Romae fuerint, consensu suppleant, declarent, et extendant. Nullus autem Protector, aut Superior dispensandi super Constitutionibus potestatem habeat, illis casibus exceptis, qui expresse in institutione, et declaratione nostra numerantur; sed si qua in re praeterea dispensandum sit, id fiat de communi omnium Protectorum, qui Romae fuerint, et Superierum consensu, idque raro graves ob causas, atque ubi nulla sit privati commodi, aut gratiae suspicio. Quae omnia, et singula juxta instructionem, quam Protectores, et Rector a Nobis specialiter habebunt ab omnibus tam alumnis, quam aliis quibuscumque ad Collegium pertinentibus etiam Sacerdotibus et Religiosis, sub poenis et censuris Nostro, Protectorum, et Superiorum arbitrio pro culpae modo infligendis, mandamus inviolabiliter observari.

Quapropter ad summum Apostolatus apicem Divina favente Clementia subinde evecti, praecipuae ac paternae nostrae in Graecorum nationem charitati esse duximus, ne quid ad felicem ipsius Collegii, ejusque personarum statum desideraretur, Statuta et Constitutiones hujusmodi pro inviolabili illorum observatione Apostolicae Nostrae confirmationis robore communire. Motu itaque proprio, non ad alicujus Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, Statuta et Constitutiones hujusmodi tenore praesentium perpetuo approbamus, et confirmamus; illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes et singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Decernentes Statuta, et Constitutiones hujusmodi a modernis, et pro tempore existentibus dicti Collegii Rectore, Ministris et Alumnis, ceterisque, ad quos spectat, et in futurum spectabit, firmiter, et inviolabiliter observari, et adimpleri, sicque et non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, Privilegiis quoque, Indultis et Litteris Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis eorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter impressis habentes hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 23. Novembris 1624. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

V. Theatinus.

Collegium Hibernorum Lovanii instituit.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

In supereminenti Sedis Apostolicae specula meritis licet imparibus a Domino constituti, et intra mentis nostrae arcana revolventes quantum ex litterarum studiis Catholica fides augeatur, divini numinis cultus protendatur, veritas agnoscatur et justitia colatur, ad ea per quae litterarum studia hujusmodi ubilibet partim vero in regionibus ubi major necessitas urget excitentur, libenter intendimus, atque in his sollicitudinis nostrae partes propensius impertimur, prout locorum qualitate debite pensata conspicimus alias a bo. mem. Eugenio Archiepiscopo Dublinensi dum vixit ducentorum et quinque, a quibusdam vero aliis ducentorum et quadraginta florenorum annuorum monetae Brabantiae summae pro unius Collegii Hibernorum nuncupati in Oppido Lovanii Mechlinensis Dioecesis erectione, et institutione respective relictae, et assignatae fuerint. Nos considerantes erectionem, et institutionem Collegii hujusmodi tum Fidei Catholicae in illis partibus conservandi et propagandi, tum etiam ad adolescentium nationis Hibernicae in christiana pietate et fide sincera institutioni valde utiles maximique adjumenti fore; idcirco de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotio propagandae in universum mundum Fidei Praefectorum consilio, motu proprio, et ex certa scientia, maturaque deliberatione Nostris, in praedicto Oppido unum Collegium Hibernorum nuncupatum cum Cappella, seu Oratorio, et Refectorio communi, sigillo, Bibliotheca, Archivio, ceterisque collegialibus insignibus de membris et officinis necessariis, et opportunis pro perpetuis receptione, usu et habitatione unius Rectoris, ac competentis numeri ministrorum, et alumnorum sive scholarum dictae Nationis, qui inibi christianis moribus bonisque litteris, et ecclesiastica disciplina imbui debeant, tenore praesentium, sine tamen alicujus praejudicio, erigimus, et instituimus. Illique sic erecto et instituto pro ejus dote ac Rectoris et Ministrorum, alumnorum, quod sive scholarium sustentatione ac onerum eis incumbentium supportatione tam praedictas summas per dictum Eugenium Archiepiscopum et alios ut supra relictas, et assignatas, quam etiam alia scuta trecenta annua per Cardinales praefatos ad libitum eorum persolvenda, nec non alia omnia et singula bona per quoscumque Christi fideles eidem Collegio donanda, et assignanda ex nunc pro ut postquam donata et assignata fuerint ita, quod liceat Rectori, ac ministris, et alumnis sive scholaribus praedictis ipsorum bonorum omnium corporalem, realem et actualem possessionem suo et dicti

Collegii nominibus, propria auctoritate libere apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere: fructus quoque, redditus, proventus jura, obventiones, et emolumenta quaecumque ex eis provenientia percipere, exigere, levare, recuperare, locare, arrendare ac in communes dicti Collegii usus et utilitatem convertere, cujusvis licentia desuper minime requisita, perpetuo similiter appplicamus et appropriamus. Praeterea Cardinales praesentes onere solutionis trecentorum scutorum praefatorum aliqua ex parte levare volentes, Collegio per praesentes erecto hujusmodi summam mille scutorum auri per dilectum filium modernum Comitem de Sombrurg, occasione dispensationis matrimonii inter ipsum ac dilectam in Christo filiam Carolinam natam dilecti etiam filii nobilis juris moderni de Aremberg, Ducis Arescorani, contrahendi, per hos illi concessae in manibus venerabilis Fratris Petri Francisci Archiepiscopi Patracen. Nostri, et Apostolicae Sedis in Belgicis ditionibus Nuntii persolutam, auctoritate et tenore praesentis donamus, et elargimur: eademque mille scuta invertiri, ac pro rata redditus, qui ex eis a Collegio praefato percipietur de summa trecentorum scutorum per dictos Cardinales annuatim, et ad eorum beneplacitum eidem Collegio, ut supra persolvere, itaut non trecenta scuta integra, sed tanto minus quanta erit summa redditus ex scutis mille hujusmodi a dicto Collegio percipiendi solvantur, minui et detrahi volumus et mandamus. Decernentes praesentes litteras, validas, firmas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtiueri sicque per quoscumque Judices ordinarios et delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 14. Decembris 1624. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

V. Theatinus.

Chalcedonensem Archiepiscopum ad Angliae, et Scotiae Missiones gubernandas constituit.

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Ecclesia Romana sollicita de salute filiorum Mater in eos praecipue cordis sui affectum intendit, qui Pastoralis Providentiae auxilio magis indigent. Hinc est quod non sine viscerum Nostrorum commotione considerantes Catholicos Regnorum Angliae, et Scotiae haeresis violentia oppressos utilitatibus iis destitui, quas exteri Ecclesiae filii ab Episcoporum ministerio percipiunt, Episcopi solatio quantum cum Domino possumus eos sublevare decrevimus. Quapropter de tua fide, prudentia, integritatate, Catholicae Religionis zelo ac doctrina plurimum in Domino confisi, tibi ut postquam munus consecrationis susceperis, et ad eadem Regna te contuleris ad solatium animarum et spirituale bonum Christifidelium Catholicorum in Regnis Angliae, et Scotiae praedictis existentium, sive quos pro tempore ibi existere contigerit ad Nostrum, et Sedis Apostolicae beneplacitum omnibus et singulis facultatibus olim Archipresbyteris Angliae a Sede Apostolica deputatis per fel. record. Clementem VIII., et Paulum V. Romanos Pontifices Praedecessores Nostros concessis, nec non quibus ordinarii in suis Civitatibus, et Dioecesibus utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti frui, et gaudere possunt, similiter uti, frui, et gaudere libere, et licite possis, et valeas, Apostolica auctoritate tenore praesentium licentiam, et facultatem impertimur, teque ad praemissa omnia et singula auctoritate, et tenore praedictis delegamus.

Causarum tamen in secunda instantia cognitionem et terminationem, omnemque a quocumque gravamine recursum Nostrum apud charissimum filium Ludovicum Francorum Regem Christianissimum nunc, et pro tempore existenti Nuntio reservamus, et reservata esse volumus, cui non intendimus per praesentes ullatenus praejudicare; non obstantibus Apostolicis ac in universalibus Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 4. Februarii 1625. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

V. Theatinus.

Privilegia, et indulta, quae Gregorius XV. Collegio S. Jacobi urbis Pragensis ad Imperatoris Ferdinandi preces concesserat, renovat, et confirmat.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Alias a fel. rec. Gregorio Papa XV. praedecessore Nostro emanarunt litterae tenoris subsequentis videlicet = GREGORIUS PAPA XV. = *Ad perpetuam rei memoriam.* = In supereminenti Sedis Apostolicae specula meritis licet imparibus, disponente Domino, constituti, et intra mentis Nostrae arcana revolventes quantum ex litterarum studiis Catholica Fides augeatur, divini nominis cultus protendatur, veritas agnoscatur, ac justitia colatur, ad ea, quae litterarum studia hujusmodi ubilibet excitentur, libenter intendimus, et in his sollicitudinis Nostrae partes propensius impertimur, pro ut locorum qualitate pensata conspicimus in Domino salubriter expedire. Cum itaque sicut dilecti Filii Jacobi de Bagnacavallo Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Conventualium nuncupatorum Ministri Generalis nomine Nobis nuper expositum fuit, Charissimus in Christo Filius Noster Ferdinandus Romanorum Rex in Imperatorem electus mille et ducentos daleros annuos monetae illarum partium pro duodecim Baccalaureorum in domo regulari Sancti Jacobi Pragensis ejusdem Ordinis manutentione assignaverit, et propterea dictus Ferdinandus Rex in Imperatorem electus tam ad Fratrum dicti Ordinis in praedicta domo studentium commodum, et profecum, quam etiam ad militantis Ecclesiae exaltationem, ipsiusque Civitatis decorem in praedicta domo unum Collegium studii pro uno Regente nuncupando, ac duodecim Baccalaureis, seu Collegialibus eiusdem Ordinis professoribus per Nos erigi, et institui, aliasque ut infra indulgeri summopere desideret; Nos piis, et laudabilibus dicti Ferdinandi Regis in Imperatorem electi votis in praemissis annuere volentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati ad Omnipotentis Dei laudem, et gloriam, nec non militantis Ecclesiae exaltationem, divinique cultus, et orthodoxae Fidei augmentum, ac Religiosorum praedictorum commoditatem, et profectum in praedicta domo, unum Collegium sub invocatione Sancti Bonaventurae ejusdem Ordinis professoris cum omnibus et singulis privilegiis, praerogativis, et indultis Collegio Sancti Bonaventurae ejusdem de Urbe concessis, auctoritate Apostolica tenore praesentium perpetuo erigimus, et instituimus, illique sic erecto, et instituto pro ejus dote, ac unius Regentis, ac duodecim Baccalaureorum, seu Collegialium inibi pro tempore existentium sustentatione, et onerum eis incumbentium supportatione, mille et ducentos daleros hujusmodi, ita quod liceat eis

corporalem, realem, et actualem illorum possessionem suo, et dicti Collegii nominibus, propria auctoritate libere apprehendere, et retinere, ac in ipsius Collegii usus, et utilitatem convertere, auctoritate et tenore praedictis etiam perpetuo applicamus, et appropriamus. Decernentes praesentes litteras semper, et perpetuo validas, firmas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere; sicque per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos, et causarum Palatii Apostolici Auditores ubique judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, nec non dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 5. Aprilis 1622. Pontificatus Nostri Anno Secundo. = Cum autem sicut praedictus Ferdinandus Rex in Imperatorem electus Nobis nuper exponi fecit, quod ipse Collegium praedictum competenter dotaverit, pro firmiori vero illius erectionis subsistentia plurimum cupiat erectionem ipsam Nostrae quoque confirmationis patrocinio communiri, aliaque ut infra fieri; Nos ejusdem Ferdinandi Regis in Imperatorem electi votis in praemissis, quantum cum Domino possumus, annuere volentes, ejus hac in parte supplicationibus inclinati; de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negocio Propagandae Fidei praepositorum consilio, erectionem, et institutionem dicti Collegii, ac desuper confectas praeinsertas litteras hujusmodi cum omnibus, et singulis privilegiis, indultis, et praerogativis eidem Collegio tam per ipsum Ferdinandum Regem in Imperatorem electum, quam per eundem Gregorium Praedecessorem per praeinsertas litteras hujusmodi concessis, cum hoc tamen, ut Collegium ipsum sub nomine Sancti Antonii de Padua, non autem Sancti Bonaventurae hujusmodi deinceps appellari debeat, perinde ac si idem Collegium a primaeva illius erectione sub ejusdem S. Antonii de Padua, non autem ipsius Sancti Bonaventurae invocatione institutum fuisset, Apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus. Decernentes erectionem, et institutionem hujusmodi, nec non praedictas, et paesentes litteras semper, et perpetuo validas, firmas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, atque ita per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 2. Septembris 1625. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

V. Theatinus.

Amplissimas ad duodecim annos circa Sacramentorum administrationem, ecclesiarum reconciliationem, bonorum acceptationem, et retentionem facultates fratribus S. Francisci provinciae Bosnae Argentinae concedit.

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Cupientes pro Nostro pastorali officii debito Christifielium in istis partibus commorantium, aliarumque saluti paterna charitate prospicere, ac de vestra fide, pietate, et religionis zelo plurimum in Domino confisi, de Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotio Propagandae Fidei praepositis consilio vobis, ac vestrum cuilibet, ut quoscumque tam Christifidelium hujusmodi proles, quam etiam Turcas et alios infideles baptizare, et quaslibet utriusque sexus personas tam ecclesiasticas, quam saeculares cujuscumque status, ordinis, vel conditionis fuerint, confessionibus earum diligenter auditis, ab omnibus et singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus, et delictis quantumvis gravibus, et enormibus, ac etiam a quibusvis ecclesiasticis sententiis, censuris, poenis per eas propterea quomodolibet incursis, et in Bulla die Coenae Domini legi solita contentis, ac alias Nobis, et eidem Sedi quomodolibet reservatis, et reservandis, praeterquam homicidii, et mutilationis membrorum in Episcopo, vel in alia personâ ecclesiastica commissis, in foro conscientiae dumtaxat, et dummodo res in judicium deducta non sit, absolvere, injunctis inde eis, et eorum cuilibet poenitentia salutari, ac debita satisfactione, et aliis, quae de jure fuerint injungenda; nec non Eucharistiae omni tempore praeterquam in die Paschatis Resurrectionis Domini, ac etiam in die Paschatis hujusmodi tam Eucharistiae, quam omni tempore extremae unctionis, ubi tamen non adsit praedictorum saecularis Curatus, seu si ibi sit de ejus licentia; Sacramenta Ecclesiastica administrare, illaque ad infirmos deferre, et quoscumque matrimonium invicem contrahere volentes, nullo canonico obstante impedimento, matrimonialiter in faciem Ecclesiae copulare, nuptiasque benedicere, et solemnizare in iis tamen locis dumtaxat, in quibus proprius Parochus saecularis, vel alius Curatus non existit, ac alias sine alicujus praejudicio; nec non Ecclesias san-

guinis, vel seminis effusione, aut quavis alia de causa pollutas, aqua prius per catholicum Antistitem benedicta reperta, in Ordinarii loci absentia, reconciliare, ac loca quaecumque in dictis partibus infidelium pro divinis celebrandis pro tempore vobis concessa, et concedenda recipere. Ac illa, et quaecumque alia bona immobilia in dictis partibus consistentia retinere, et inhabitare absque conscientiae scrupulo, seu censurarum incursu, libere, et licite valeatis, liceatque vobis Altare portatile in debitis tamen honore, et reverentia habere, ac super eo in locis congruentibus, et honestis celebrare Apostolica auctoritate, tenore praesentium, licentiam, et facultatem ad duodecim annos proximos tantum concedimus, et impertimur. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 23. Septembris 1625. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

V. Theatinus.

Concordata inita inter Missionarios Cleri Saecularis, et Regularis foederati Belgii, auctoritate Apostolica confirmat.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Salvatoris et Domini Nostri, qui Charitas est, et Deus pacis, vices, licet immeriti, gerentes in terris, inter gravissimas, multiplicesque Apostolicae servitutis curas, illam peculiari sollicitudine amplectimur, ut personae Ecclesiasticae, et praesertim sub suavi religionis jugo, virtutum Domino famulantes, sublatis quibuslibet controversiis, in sanctitate et justitia reddant Domino abundantes fructus suos; et haec quae propterea facta fuisse dicuntur, ut ab omnibus inviolabiliter observentur, validioreque firmitate subsistant, Apostolicae confirmationis robore libenter communimus, prout, personarum rerumque, et temporum qualitatibus debite pensatis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt Venerabilis Frater Philippus Archiepiscopus Philippensis Vicarius Apostolicus in nonnullis Belgii Provinciis; nec non dilecti filii Clerus ibidem, ac Presbyteri Societatis Jesu, et alii Regulares in illis partibus Missionarii, quod alias a Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus negotio

Propagandae in universum mundum Fidei praepositis, emanavit decretum tonoris subsequentis, videlicet:

Resolutio dubiorum et difficultatum quae a Vicario Apostolico Hollandiae S. Congregationi de Propaganda Fide proposita sunt.

§. 1. Circa Regulares, et Patres Societatis Jesu definitum est, eos qui deinceps in illis partibus vice Pastorum cum reliquis Sacerdotibus saecularibus voluerint laborare: quoad Sacramentorum Pastoralium, nimirum, Baptismi, Matrimonii, et Extremae Unctionis administrationem, subesse debere Vicario Apostolico specialiter delegato Sedis Apostolicae, cujus ordinationi in functionibus Pastoralibus se accommodabunt praesenti modo et forma.

§. 2. In primis Vicarius illos Regulares et Patres Societatis Jesu, qui hoc tempore laborant in Hollandia, et Provinciis ipsi commissis, in eisdem locis relinquet; ita ut simul cum Sacerdotibus saecularibus Sacramenta Pastoralia administrare possint, sine aliqua restrictione ad casus necessitatis, vel dependentia ab illis, sed aequaliter, et cum sola facultate ipsius Vicarii; ita etiam ut Vicarius illis, qui nondum habent talem facultatem, eam quam primum impertiatur, et iis, qui soli sunt, permittat ad convenientiam status religiosi a Superioribus adiungi socium, cui et praesentato concedet similem facultatem administrandi Pastoralia, vel absolute et indeterminate, vel saltem casu quo alter aegrotaret, vel legitime impediatur, et libere in pagis vicinis, ubi major est necessitas.

Quod si circa haec contingat oriri difficultatem, Nuntius post habitam informationem, statuet qnidnam agendum, et omnes stabunt judicio ipsius.

§. 3. Adnotantur autem, pro explicatione hujus articuli, ipsa loca, in quibus jam sunt Regulares et Patres Societatis.

Ultraiecti duo Patres Societatis, et unus Ordinis S. Dominici, cui (si Superiores volent), cum approbatione Vicarii, adjungi potest socius.

Leidae duo Ordinis S. Francisci de observantia, duo Patres Societatis, et unus Ordinis S. Dominici, cui similiter adjungi potest unus.

Delphis duo Patres Societatis.

Goudae unus Pater Societatis, cui quoque adjungi potest socius.

Hagae Comitis unus Pater Societatis, cui similiter adjungi potest socius.

Roterodami unus Pater Societatis, cui similiter adjungi potest socius.

Schiedami unus Pater Ordinis S. Dominici, cui quoque adjungi potest socius.

Harlemi unus S. Dominici, unus S. Francisci de observantia, unus Societatis, quibus singulis possunt adjungi socii, ut superius dictum est.

Amsterodami duo Ordinis S. Francisci de observantia, unus Ordinis S. Dominici, et unus Societatis, et utrique istorum potest adjungi socius.

Hornae unus Pater Societatis, cui potest adjungi socius.

Alcmariae duo Patres Societatis.

Middelburgi unus Pater Societatis, cui potest adjungi socius.

Ziriczeae unus Societatis, cui potest adjungi socius.

Leovuardiae unus Societatis, unus S. Francisci de observantia, quibus possunt adjungi socii.

Bolsuerdiae unus Societatis, cui dari potest socius.

Groningae unus Pater Ordinis S. Dominici, et unus Pater Societatis, quibus possunt dari socii.

In Guorcum et locis vicinis unus Pater Ordinis S. Francisci de observantia, cui adjungi potest socius.

Campis unus Ordinis S. Dominici, etsi recesserit, cui adjungi potest socius.

Svuollae unus Pater Societatis, et unus S. Dominici, quibus adjungi possunt socii.

Zutphaniae unus Pater Societatis cum socio, etsi recesserit propter persecutionem.

§. 4. Quandocumque Superiores Regularium, vel Patrum Societatis voluerint mutare aliquem suorum, tenebuntur id indicare Vicario; et si voluerint submittere alium, illum quoque illi vel ejus Subdelegato praesentare, saltem per litteras, cum descriptione qualitatum, si minus commode se sistere possint; neque debent, sine evidenti necessitate, loca deserere, sed tum statim Vicario cum causis significare, ut illis locis alia ratione providere possit.

§. 5. Quod si Vicarius expedire judicaverit, aliquem ex Regularibus vel Patribus mutari, significabit hoc illorum Superioribus, ut avocetur, cum causis quae eum ad hoc movent; et Superiores in eo faciles se praebebunt. Quod si tamen inter eos conveniri non possit, penes Nuntium erit determinatio; qui simul curae habebit, et justitiae administrationem, et auctoritatem Vicarii.

§. 6. Quod si plures Regulares vel Patres Societatis ab ipsorum Superioribus in illas Provincias destinentur, illi se Vicario similiter, vel ejus Subdelegato prius sistent, si commode fieri possit; sin minus, saltem per litteras Superioris vel Provincialis, praesentabuntur Vicario, cum sufficienti descriptione qualitatum; qui ita constitutos vel praesentatos admittet, pro necessitate illarum partium, et destinabit ad loca quae sibi in Domino videbuntur spirituali auxilio maxime indigere, in quibus tamen possint habere necessaria alimenta, idque sine ullo humano respectu vel partialitate. Quod si tamen con-

tingat vel a Vicario negari, quod contendant Patres Societatis vel Regulares debere sibi concedi; vel e contra a Vicario mandetur, quo se Regulares, vel dicti Patres Societatis gravatos putent, neque inter ipsos conveniri possit; recursum habebunt ad Nuntium, qui determinabit, et statuet quid cuique faciendum.

§. 7. Permittet etiam Vicarius Regularibus et Patribus Societatis, si ipsorum Superiores petant, ut bini in singulis civitatibus, pagis, vel oppidis, ad quae ab ipso mittentur, vivere possint. Et si Vicario non videbitur expedire, ut ambo habeant facultatem administrandi Sacramenta pastoralia, saltem concedat alteri, casu quo prior sit legitime impeditus; neque impediet, quo minus ambo reliqua Sacramenta administrare, et alia consueta munia concionandi, confessiones audiendi, catechizandi, et alia similia obire possint.

§. 8. Omnes Regulares reverentiam et respectum debitum exhibeant Vicario Apostolico, qui illos e contra paterno amore complectatur.

§. 9. Sit vero, pro necessitate locorum, facilis Vicarius in admittendis praedictis Regularibus et Patribus Societatis Jesu, ad effectum excurrendi ad vicinos pagos; ideoque plures, uti in Domino videbitur, in illis civitatibus et oppidis admittat, ex quibus facile ad pagos excurrere possint, si in his commorandi non detur commoditas.

§. 10. Tenebuntur Regulares et Patres Societatis, singulis saltem annis docere Vicarium per Superiores suos, vel per litteras proprias, de statu et profectu Religionis illorum locorum, in quibus laborant, ut Vicario constet quid in provinciis sibi commissis agatur.

§. 11. Tenebuntur etiam Regulares et Patres Societatis Vicario per se, vel per Superiores suos, singulis saltem annis, mittere nomina baptizatorum, et patrinorum, uti etiam nomina illornm, quos Matrimonio conjunxerint.

§. 12. Sit autem inter Sacerdotes saeculares et Regulares, vel Patres Societatis, uti decet Dei ministros, mutua charitas, in aedificationem corporis Christi; ut non solum vitentur jurgia et scandala, sed caveantur etiam horum occasiones, uti esse solent mutui contemptus, publicae objurgationes, oblocutiones, odiosae comparationes, et horum similia.

§. 13. Nullus ex saecularibus Sacerdotibus aliquem Regularium, neque aliquis Regularium aliquem Sacerdotum saecularium, in obeundis muniis Ecclesiasticis, vel administrandis Sacramentis impediat, sed pariter mutuo amore concurrant in salutem animarum procurandam.

§. 14. Non abs re erit, ut Regulares et Patres Societatis cum Sacerdotibus saecularibus, et hi cum illis, quandoque conferant de occurrentibus necessitatibus circa administrationem Sacramentorum, et alia salutem animarum concernentia.

§. 15. Quod si nihilominus contingat inter Sacerdotes saeculares, et Regulares, et Patres Societatis oriri lites et dissidia, quoad muniorum pastoralium administrationem; prima instantia erit penes Vicarium: in reliquis, si Regulares sint actores, similiter penes Vicarium; si vero rei, penes Nuntium. Vicarius autem pro officio suo laborabit, quantum fieri poterit, ut lites et dissidia vitentur, vel omnia meliori modo componantur. Idemque etiam suos admonere teneantur Superiores Regulares, et Patres Societatis.

§. 16. Si Superiores Regularium, vel Patrum Societatis, velint aliquando mittere suos solummodo ad conciones faciendas, confessiones audiendas, catechizandum, et similia munia obeunda, praecipue si a Catholicis vocentur vel petantur, qui propriis expensi alere velint, videtur hoc miseris illis Catholicis consolationi dandum, cum scitu tamen Vicarii; eoque magis, si a talibus peterentur, qui ruri in castellis vel oppidis morantur.

§. 17. Quoad publicationem Indulgentiarum, poterunt Regulares, et Patres Societatis illas publicare, quas Ordines et Societas habet, et hactenus habuit ubique terrarum vel in partibus Germaniae et Belgii in universum, edocto semel Vicario de facultatibus; neque Vicarius impediet, vel interdicet: non autem poterunt publicare Indulgentias, quae suis Ordinibus specialiter non sunt concessae, nisi de expresso consensu Vicarii. Si tamen desuper oriatur difficultas, neque inter eos conveniri possit, Nuntius illam definiet. In universalibus autem Indulgentiis vel Jubilaeis, Vicarius mandabit illarum publicationem aeqne Regularibus et Patribus Societatis, atque Sacerdotibus saecularibus.

§. 18. Quoad institutionem Fraternitatum et Sodalitatum, permittet Vicarius Regularibus, et Patribus Societatis illarum, quae a Sede Apostolica approbatae, et ab Ordinibus et Patribus Societatis assignatae sunt; ita tamen ut nemo adstringatur, et teneatur ad particulares Confessarios, vel ad Sacramenta ab illo Ordine solum percipienda.

§. 19. Quoad eleemosynas, ne Catholici in illis partibus alias per adversarios satis gravati, per illarum nimis frequentes collectas adhuc magis graventur, admonentur omnes tam saeculares quam Regulares, ne lucro temporali (quod a Ministris mysteriorum Dei quam longissime abesse debet) inhient; sed competenti sustentatione contenti sint: ab exportatione etiam eleemosynarum, quantum fieri poterit, abstineant, nisi forte pro alendis Seminariis, quae omnibus etiam Regularibus et Patribus Societatis, pro charitate ipsorum, et fructu, qui ex illis hactenus provenit, et adhuc major speratur, maxime commendantur. Sub his autem collectis eleemosynarum non intelliguntur legata defunctorum, vel fundationes spontaneae.

§. 20. Quod si etiam contingat aliquando, ut in supradictis, in-

ter Vicarium, et Regularium, vel Patrum Societatis Superiores, conveniri non possit, erit similiter penes Nuntium judicium.

§. 21. Non licebit Regularibus vel Patribus Societatis exportare ornamenta, paramenta, indumenta, vasa, vel aliam quamcumque ecclesiasticam supellectilem Deo dicatam, et multo minus sacras reliquias.

§. 22. Quoad doctrinam, si quae diversae incidant opiniones, circa ea quae ab Ecclesia definita non sunt, jubet Congregatio, ut sepositis altercationibus, definitio ab hac Sancta Sede quam primum petatur. Interim tamen omnes tam saeculares, quam Regulares, et Patres Societatis accommodabunt se ordinationi Vicarii Apostolici.

§. 23. Per haec singularia et particularia, quae Nuntio committuntur, non limitatur, neque restringitur potestas ejusdem Nuntii, quam habet per facultates suas, in iisdem Provinciis commissis Vicario.

Haec autem omnia ex Sanctissimi Domini Nostri mandato ordinata sunt, pro statu praesenti illarum partium, et quousque placuerit Altissimo, Catholicis liberum exercitium religionis in illis partibus concedere, vel Sedi Apostolicae desuper aliter ordinare: non obstantibus litteris fel. rec. Pauli Papae V. eidem Vicario Apostolico Hollandiae concessis, quatenus praesenti decreto adversantur, aliisque Constitutionibus, Ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque, indultis, et litteris Apostolicis, etiam Marismagni, vel alias quomodolibet nuncupatis, quibuscumque personis Regularibus, cujusvis Ordinis, Congregationis, et Instituti, etiam Societatis Jesu, ac quarumcumque militiarum, et hospitalium, etiam S. Joannis Hierosolymitani, sub quibusvis tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis irritantibus, et aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu proprio, et consistorialiter, vel aliter qnomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, et saepius innovatis. Datum Romae ex Congregatione de Propaganda Fide, kal. Maii MDCXXIII.

Cum autem (sicut eadem expositio subjungebat) ortis postea, inter Philippum Archiepiscopum et Clerum ex una ac Presbyteros ejusdem Societatis, et alios Regulares Missionarios praefatos ex altera partibus, ex praeinserto decreto, nonnullis difficultatibus, Philippus et Clerus praefati, ac Presbyteri dictae Societatis, et alii Regulares Missonarii hujusmodi, auxilio atque opera Venerabilium Fratrum Joannis Francisci Archiepiscopi Patracensis, Nostri et Sedis Apostolicae in Belgicis ditionibus Nuntii, nec non Jacobi Archiepiscopi Mechliniensis, ac Jacobi Ruremundensis, Joannis Antuerpiensis, Antonii Iprensis, Nicolai Buscoducensis, Antonii Gandavensis, et Dionysii Brugensis Episcoporum, ad majorem Dei gloriam, ad infrascriptam devenerint concordiam, videlicet:

Cum Sacra Congregatio de Propaganda Fide septima die mensis

Julii hujus anni, concessisset, ut super difficultatibus, ex decreto ejusdem Congregationis emanato kalendis Maii anno MDCXXIII. exortis inter Reverendissimum D. Philippum Rovenium Archiepiscopum Philippensem Vicarium Apostolicum in Hollandia, et Provinciis quae se foederatas nominant, Clerumque ibidem ex una, et Patres Societatis aliosque Regulares Missionarios ex altera partibus, eaedem partes de suis juribus Illustrissimos et Reverendissimos Dominos Archiepiscopum Mechliniensem, atque Episcopos suffraganeos instruere possent; qui deinde consultatione inter se habita, sententias suas super praedictis difficultatibus, ad Sacram Congregationem mittere possent, posteaquam tam praefatus Vicarius Apostolicus, assistentibus sibi aliquibus ex dicto Clero, quam R. P. Florentius de Montmorancy, Provincialis Societatis Jesu per Flandro-Belgicam, ejusdem Societatis nomine, pluribus diebus coram praefatis Archiepiscopo Mechliniensi, et Coepiscopis, super difficultatibus in hoc Oppido Bruxellensi egissent, tandem eaedem partes, ad majorem Dei gloriam, hortatu Illustrissimi et Reverendissimi D. Nuntii Apostolici per Belgium, et intercedentibus praefatis Archiepiscopo Mechliniensi et Suffraganeis, sub beneplacito Sanctissimae Sedis concordarunt in articulos sequentes.

In primis quoad initium seu §. primum ejusdem Decreti incipientem: *Circa Regulares etc.* et §. xv. qui incipit: *Quod si nihilominus contingat etc.* Patres Societatis, qui deinceps in partibus Vicario Apostolico commissis, vice Pastorum cum reliquis Sacerdotibus saecularibus volent laborare, non tantum in administratione Sacramentorum, sed etiam in reliquis Vicario Apostolico, tanquam specialiter delegato Sedis Apostolicae, in prima instantia suberunt, sive actores sint, sive rei, et in causa appellationis Nuntio Apostolico.

Circa §. 2. dicti Decreti, qui incipit: *In primis Vicarius illos etc.* cautum est quoad potestatem solemnizandi Sacramentum Matrimonii, quod Pater Provincialis curabit, ut sui parcissime utantur ista facultate, et efficiet ut R. P. Generalis idem praestet.

Conventum est etiam quod Patres Societatis non administrabunt Sacramenta Pastoralia Harlemi, propter contrariam consuetudinem illius loci.

Declarat quoque Pater Provincialis, quod Religiosi Societatis Jesu in hac missione existentes tenebuntur indifferenter subvenire aegrotis omnibus, etiam laborantibus morbis contagiosis, ad instar saecularium Sacerdotum.

Quod attinet ad designationem locorum missionis factam §. III. dicti Decreti incipientis: *Adnotantur autem etc.* Pater Provincialis Societatis Jesu declarat, quod non utetur facultate sibi concessa per dictam Congregationem Cardinalium quoad missionem socii, in oppidis Gouda, Rotterodamo, Alcmaria, Zutphania, Bolswerdia, ne-

que in aliis locis non nominatis in Decreto S. Congregationis, nisi consultum judicet Reverendissimus D. Vicarius; qui si non rationabiliter hoc recusaret, consuletur Illustrissimus D. Nuntius, qui sufficienti informatione praevia, statuet quod sibi videbitur in Domino.

Circa §. IV. dicti Decreti qui incipit : *Quandocumque Superiores etc.* licebit Superiori missionis Societatis, sine recursu ad Vicarium, in loco ubi unicus e Societate residebit, eo aegrotante, vel ad tempus impedito, aut absente, ex vicino loco missionis alium substituere, donec aeger, vel absens ad functionem redierit.

Ad §. XI. Decreti qui incipit : *Tenebuntur etiam etc.* concordatum est, quod nomina eorum, quos Patres Societatis baptizabunt, una cum nominibus Patrinorum ac Parentum, quotannis, aut saepius, si videbitur expedire, tradent ei qui ordinariam Pastoralem curam gerit; similiter nomina eorum quos matrimonio jungent, et testium qui praesentes fuerint.

Ad §. XVI. qui incipit : *Si Superiores Regularium vel Societatis etc.* concordatum est, missiones hoc §. memoratas ad loca, ubi aliquis Sacerdos residet, non fieri, nisi de scitu et assensu ejusdem Sacerdotis, vel Vicarii.

Quoad eleemosynas attinet, de quibus agitur §. XIX. Decreti qui incipit : *Quoad eleemosynas etc.* omnes tam Regulares qnam Saeculares contenti sint honesta sustentatione; exportatione vero eleemosynarum abstinere tenebuntur absque licentia Illustrissimi D. Nuntii et Vicarii Apostolici, nisi pro alendis Seminariis. Sub his autem collectis eleemosynarum, non intelliguntur legata defunctorum, vel fundationes spontaneae.

Quidcquid in his articulis non comprehenditur, remanebit in terminis Decreti dictae Sacrae Congregationis. Actum Bruxellae die 15. Octobris anni 1624.

Nobis propterea tam Philippus Archiepiscopus et Clerus quam Presbyteri dictae Societatis, et alii Regulares Missionarii praefati humiliter supplicari fecerunt, ut Concordiam praedictam, pro inviolabili illius observatione, Apostolicae confirmationis patrocinio communire, de benignitate Apostolica, dignaremur.

Nos igitur Philippum Archiepiscopum, et Clerum, nec non Presbyteros ejusdem Societatis, et Regulares Missionarios, hujusmodi specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie, absolventes, et absolutos fore censentes; hujusmodi supplicationibus inclinati, de eorumdem Cardinalium consilio, Concordiam praedictam, cum omnibus et singulis in ea contentis, auctoritate Apostolica, tenore praesentium, approbamus, et con-

firmamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes et singulos, tam juris quam facti, et quosvis alios etiam quantumvis substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, aut intervenisse dici vel censeri possint, supplemus.

Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis et aliis arbitrii Nostri poenis, dilectis filiis, modernis et pro tempore existentibus, Fratrum Praedicatorum Magistro, ac Minorum Sancti Francisci de observantia nuncupatorum Ministro, nec non dictae Societatis Praeposito, Generalibus, ut Concordiam praedictam, cum omnibus et singulis in ea contentis, a suis respective Religiosis, quos in illis partibus habent, et pro tempore habuerint Missionarios, inviolabiliter observari curent et faciant. Ac decernentes praesentes litteras, omniaque et singula in eis contenta, valida, firma, et efficacia esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere: sicque et non aliter, per quoscumque Judices ordinarios et delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ubique judicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contingerit attentari.

Qnocirca eidem Joanni Francisco Archiepiscopo moderno et pro tempore existenti in dictis ditionibus Nuntio, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipse per se, vel alium, seu alios praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Philippi Archiepiscopi moderni, et similiter pro tempore existentis in dictis partibus Vicarii Apostolici, et Cleri, seu Presbyterorum, et aliorum Regularium hujusmodi, vel alicujus eorum fuerit requisitus solemniter publicans, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat auctoritate Nostra Concordiam praedictam, cum omnibus in ea contentis, in omnibus ad quos spectat, inviolabiliter observari: contradictores quoslibet et rebelles, per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas, etiam iteratis vicibus, aggravando, advocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Non obstantibus quatenus opus sit fel. rec. Bonifacii Papae VIII. praedecessoris Nostri de una, et in consilio generali edita, de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad judicium non trahatur, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, et Societatis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis eorum tenoribus praesentibus, pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias

in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo piscatoris die 5. Maii 1626. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

V. Theatinus.

Locus ✠ Sigilli.

Singulos Hiberniae Archiepiscopos Delegatos Apostolicos in eorum provinciis ad biennium constituit, ut lites inter Clerum et Episcopos vel motas vel movendas componant.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Volentes pro Nostri Pastoralis officii debito quantum cum Domino possumus providere, ut controversiae et lites omnes motae et movendae inter Episcopos, vel Vicarios Apostolicos et Regulares, vel inter Regulares et Clerum saecularem Regni Hiberniae quamprimum fieri poterit justitia mediante terminentur; de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotio Propagandae Fidei praepositorum consilio, singulos Archiepiscopos Hiberniae in singulis eorum Provinciis Delegatos Apostolicos cum solitis facultatibus ad biennium a die praesentationis praesertim inchoandum, auctoritate Apostolica earumdem tenore praesentium constituimus: qui controversias ac lites omnes inter Episcopos, vel Vicarios Apostolicos et Regulares vel inter dictos Regulares et Clerum saecularem suae Provinciae motas, et in futurum movendas componere studeant, aut si id fieri non poterit, cognoscant et decidant, ac prout juris fuerit, sine debito terminent, vel si de gravioribus agatur ad Nos referant et donec ab hac Sancta Sede responsum habeant, partibus inhibere possint, ne aliquid interim innovent, vel attentent. Quod si controversiae et lites pradictae fuerint inter ipsos Archiepiscopos, vel inter eos, vel alios de quibus supra, tunc ille Episcopus, in quem partes infra quindecim dies concordaverint, sit Apotolicus Delegatus cum eisdem facultatibus. Quod si partes infra dictum tempus concordare nequiverint, tunc Episcopus vicinior si in causa interesse non habeat, sit Delegatus Apostolicus. Non obstantibus quatenus opus sit fel. recor. Bonifacii Papae Octavi praedecessoris Nostri de una, et Concilii Generalis de duabus dietis, ac aliis Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 17. Maii 1626.

M. A. Maraldus.

Locus ✠ Annuli Piscatoris.

Specialibus privilegiis, et gratiis alumnos Hibernos, eorumque Collegia, quae sive in Galliis, sive in Hispaniis fundata sunt, prosequitur.

URBANUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Ad aeternam memoriam.

Piis Christifidelium quorumlibet praesertim ob eorum merita ad Ecclesiarum Metropolitanarum regimina electorum, et a suis Ecclesiis causa Fidei Catholicae exulantium, ac dictae Fidei conservationem, et propagationem procurantium votis libenter annuimus: illaque ut suum optatum consequantur effectum favoribus prosequimur opportunis. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti Filii Thomae electi Dublinensis petitio continebat: quod cum in Galliarum, et Hispaniarum Regnis, ac Provinciis Flandriae jam quamplurima Nationis Hibernicae Seminaria Deo coadjuvante erecta sint, et plura in dies erigi sperentur, in quibus adolescentes absolutis suis studiis presbyteri effecti ad suum talentum in Vinea Domini expendendum patriam desolatam repetunt, ac uberiores quos possunt in Vinea Domini fructus facere contendunt, ac propterea ut quantocitius suum pium hujusmodi propositum adimplere valeant, pro parte ejusdem Thomae electi Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus ipsis, ut infra, indulgere, et opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui Fidei Catholicae propagationem ubique, et maxime in partibus per haereticos dominatis vigere sinceris desideramus affectibus, ipsorum Seminariorum alumnos spiritualis gratiae favore prosequi volentes, eosque, ac eorumdem Seminariorum alumnorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, eorumdem Collegiorum dictae Nationis in praefatis Regnis,

et Provinciis, ac aliorum ubicumque locorum fundatorum alumnis, ut et absque litteris dimissorialibus suorum Ordinariorum, sed cum litteris testimonialibus tum Rectorum ipsorum Seminariorum, in quibus student, eorumdem alumnorum vitam, mores, et probitatem commendantibus, a quibuscumque maluerint catholicis Antistitibus gratiam, et comunionem Sedis Apostolicae habentibus, et in propria Dioecesi residentibus, vel in alienis de Dioecesanorum locorum licentia Pontificalia inibi exercentibus per eos eligendis, unica dumtaxat die, seu quatuor quibuscumque feriatis, vel non feriatis etiam continuis, vel interpolatis ad quatuor minores, et deinde tribus Dominicis, vel festivis diebus similiter continuis, vel etiam interpolatis, ad Sacros Subdiaconatus, Diaconatus, et Presbyteratus Ordines absque aliquo titulo beneficii ecclesiastici, vel patrimonii, sed ad tantum Missionis in Hiberniam titulum, etiam extra tempora ad id a jure statuta, ac intra annum, annique curriculo minime expectato, minusque servatis ad id a Concilio Tridentino designatis interstitiis; dummodo tamen dicti scholares alias ad id reperiantur idonei, et nullum eis obstet canonicum impedimentum, ac donec Regnum Hiberniae ad gremium S. R. E. redierit, dumtaxat promoveri, ac promoti in illis etiam in Altaris ministerio ministrare libere, et licite valeant Apostolica auctoritate tenore praesentium de speciali gratia indulgemus. Nec non Antistitibus, et Alumnis praefatis nunc, et pro tempore existentibus licentiam, et facultatem desuper impertimur. Non obstantibus, quod ipsi Alumni antequam de uno Ordine ad alium promoveantur se in aliis antea susceptis Ordinibus non exercuerint, ac quibusvis Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, indulti, et impartitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem haec attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, ac Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo vigesimo sexto, idus Julii: Pontificatus Nostri, Anno Tertio.

Ruthenarum Missionum Praefecto, et Missionariis omnia Sacramenta administrandi de Parochi licentia, si fieri possit, nec non indulgentias plenarias elargiendi, facultatem concedit.

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Ut tam Tu, qui alias a Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus negotio Propagandae Fidei praepositis Missionum Ruthenarum caput, et Praefectus deputatus fuisti, quam alii Missionum hujusmodi Missionarii a Te deputandi in commisso Vobis munere ad Dei gloriam, et honorem, animarumque Christifidelium illuc commorantium salutem Vos utilius exercere valeatis, supplicationibus Tuo nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de eorumdem Cardinalium consilio Tibi, ut in locis Missionum hujusmodi, ubi non sunt Parochi, vel ubi sunt de eorum licentia, et etiam sine hujusmodi licentia, ubi ob locorum distantiam recursus ad Parochos haberi non potest, et periculum est in mora, omnia, et quaecumque Sacramenta, quae ipsi Parochi administrare possunt, Christifidelibus potissimum administrandi: praeterea ad fidem Catholicam noviter conversis die, qua peccatorum suorum Sacramentalem Confessionem primo fuerint, si SS. Eucharistiae Sacramentum sumpserint, plenariam, nec non eisdem in cujuslibet eorum mortis articulo, si vere poenitentes, et confessi fuerint, ac sacra communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti, nomen Jesu ore si potuerint, sin autem corde devote invocaverint, etiam plenariam; ac insuper eisdem vere pariter poenitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis, qui aliquam domum alicujus Regularis Ord. Fratrum Praedicatorum Ecclesiam per Te in illis partibus designandam in SS. Dominici, et Hyacinthi festis diebus a primis vesperis usque ad occasum solis dierum hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, nec non haereticorum, et schismaticorum conversione pias ad Deum preces effuderint, plenariam similiter omnium peccatorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino auctoritate Nostra concedendi, et elargiendi facultatem, quam aliis Missionariis a Te deputandis communicare possis et valeas eadem auctoritate, tenore praesentium concedimus, et impartimur. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ceteris contrariis quibuscumque. Ceterum Te in Domino hortamur, ut in aliquo, seu in aliquibus dicti Ordinis Regularibus domibus in Russia existentibus studia linguae Armenae, Vallaschae, et Tartarae instituere cures: Nos enim hujusmodi linguarum lectores, et studentes iisdemet facultatibus,

et privilegiis , quae alias fel. record. Paulus PP. V. Praedecessor Noster lectoribus, et studentibus linguae Hebraicae, Grecae , Caldaicae, et Arabicae concessit , ornare , et communire non deerimus.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 30. Aprilis 1627. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

V. Theatinus.

Annuit , ut Fratres discalceati S. Francisci Provinciae Matris Dei in Indiis Orientalibus novas possint domos Regulares construere , et Ecclesias fundare.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Onerosa pastoralis officii cura meritis licet imparibus Nobis ex alto commissa postulat , ut votis illis quae ad Regularium locorum quorumlibet , ac personarum quae in eis debitas laudes Altissimo jugiter persolvunt , propagationem faciunt, libenter annuamus, eaque favoribus prosequamur opportunis , prout locorum et personarum in eis degentium qualitatibus debite pensatis conspicimus in Domino salubriter expedire. Sane dilecti filii Minister Provincialis , et Fratres Ordinis Minorum Sancti Francisci Discalceatorum nuncupatorum Provinciae Matris Dei in Indiis Orientalibus Nobis nuper exponi fecerunt quod ipsi , quo facilius , ac commodius conversioni Gentilium illarum partium incumbere possint , novas ejusdem Ordinis Regulares domos construere posse summopere desiderant. Ideoque Nobis humiliter supplicari fecerunt ut eis de opportuna in praemissis licentia providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos, qui divini cultus ac Catholicae Religionis augumentum , animarumque Christifidelium salutem sinceris desideramus affectibus, Ministrum et Fratres praedictos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes , eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis , suspensionis , et interdicti , aliisque Ecclesiasticis sententiis , censuris , et poenis a jure vel ab homine quavis occasione , vel causa latis , si quibus quomodolibet innodatae existunt , ad effectum praesentium dumtaxat consequendum , harum serie absolventes , et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotio Propagandae Fidei praepositorum consilio , Ministro , et Fratribus praedictis , quatenus in partibus Indiarum hujusmodi ac locis decentibus et honestis , novas ejusdem Ordinis Regulares domos cum Ecclesia , sacristia , dormitorio , hortis , hortalitiis , ceterisque membris , et officinis neces-

sariis, et opportunis pro usu, et habitatione perpetuis unius Ministri, seu Guardiani et duodecim saltem Fratrum, qui inibi sub habitu, et regulari observantia dicti Ordinis Altissimo perpetuo famulentur, divinisque laudibus insistant, ac alias in omnibus, et per omnia ad instar aliarum domorum Regularium ipsius Ordinis sine alicujus praejudicio, ac de consensu Ordinariorum locorum erigere, et fundare libere et licite possint et valeant, Apostolica auctoritate tenore praesentium licentiam et facultatem concedimus, et impartimur. Nec non domibus praedictis postquam sic erectae, et fundatae fuerint, illarumque Ministris seu Guardianis et Fratribus, ac eorum rebus, et bonis quod omnibus, et singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, indultis, indulgentiis, et gratiis, tam spiritualibus quam temporalibus, quibus aliae dicti Ordinis Regulares domos de jure, usu, consuetudine, privilegio, aut alias quomodolibet utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt, et poterunt quomodolibet in futurum, pari modo, et absque ulla prorsus differentia uti, frui, et gaudere libere similiter, et licite valeant auctoritate, et tenore praedictis concedimus, et indulgemus. Non obstantibus constitutionibus, et ordibationibus Apostolicis, nec non quorumvis Ordinum etiam Mendicantium etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro expressis habentes illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 28. Decembris 1629. Pontificatus Nostri Anno Septimo.

V. Theatinus.

Angliae et Scotiae Regnorum spirituali bono prospicere cupiens, Protectori amplas facultates attribuit.

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili Noster, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Inter gravissimas Pastoralis Nostrae sollicitudinis curas, quibus assidue urgemur, in ea cogitatione diu noctuque versamur, qua scilicet ratione Catholica Fides in iis regnis, et locis quae Satanae fraudibus decepta ab illa misere destituerunt, restitui valeat: sed erga

nobilissima Angliae, et Scotiae Regna, eorumque Populos quadam commiseratione commoti, eorum saluti, quibus possumus modis, omnino consulendum censemus. De Tua igitur circumspectione erga dicta Regna, quorum apud Nos et Apostolicam Sedem Protector a Nobis deputatus existis, illiusque Populos praecipua charitate, vigilantia, ardentique Catholicae Fidei restituendae, et Propagandae studio plurimam in Domino fiduciam habentes, infra dictas Tibi facultates, quibus provide et circumspecte ad restituendum in eisdem Regnis Catholicam Fidem, et Anglorum, et Scotorum salutem procurandam uti possis, concedendas duximus. Motu itaque proprio, non ad tuam vel alterius pro se Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia ac matura deliberatione Nostra, Tibi quotcumque Anglos, et Scotos Catholicos doctrina ac moribus idoneos cuicumque Catholico Antistiti gratiam, et communionem Apostolicae Sedis habenti, per suas litteras commendandi, ac etiam sine suorum ordinariorum litteris dimissoriis, ac sine titulo ad primam tonsuram, ac omnes etiam Sacros, et Presbyteratus Ordines praesentandi, omnesque pariter Anglos, et Scotos, qui agnitis erroribus poenituerint, et ad Sanctae Ecclesiae Catholicae gremium redire voluerint ab omni haeresis, et schismatis labe, ac quibuscumque peccatis et excessibus quantumvis enormibus, ac censuris et poenis Ecclesiasticis, etiam Apostolicae Sedis absolutioni reservatis, etiam contentis in litteris die Coenae Domini legi solitis, per eos propterea incursis (ipsis tamen Clericis, qui haeretici Calvinistae, seu Sacramentarii fuerint ab Altaris ministerio perpetuo, vel ad tempus arbitrio Tuo suspensis), dummodo non sint relapsi, in foro conscientiae absolvendi ac cum eis super irregularitate praemissorum occasione quomodocumque, vel etiam ob communicationem cum haereticis contracta in eodem foro dispensandi, atque Sacerdotibus in praefatis Regnis Angliae et Scotiae degentibus, vel illuc pro tempore mittendis, vel aliquibus eorum similem, vel limitatam absolvendi et dispensandi personarum, ac temporum qualitate pensatam facultatem, secundum prudentiam Tuam, communicandi, eosque ad praefata subdelegandi; nec non eisdem in carceribus, cameris, cryptis, et aliis locis, ubi tutius vel melius, atque cum majori qui licuerit cultu, et ornatu sacrosanctum Missae Sacrificium super Altari portatili etiam ante lucem celebrare possint, licentiam Apostolica auctoritate concedendi, nonnullis etiam eorumdem Sacerdotum, quos magis idoneos judicaveris paramenta, et indumenta, aliaque utensilia ecclesiastica, non tamen Calices, Patenas, et Corporalia, aut alia in quibus Sacrum Chrisma adhiberi solet, pro earum partium usu benedicendi facultatem tribuendi, atque etiam cum personis catholicis, aut haeresim relinquentibus dictorum Regnorum durantem eis schismate hujusmodi, si salutem animarum, bonum Religionis, aut evidentem rei utilitatem exigere cognoveris, quas secundo in linea aequali, ac se-

cundo et tertio, ac tertio et quarto simplicibus vel ... guinitatis, seu affinitatis gradibus conjunctas matrimonio jungi, an in jam contractis matrimoniis remanere utile futurum sit, ut non obstantibus gradibus hujusmodi matrimonium, servata forma Concili Tridentini qnantum in illis locis fieri potest, contrahere, et solemnizare, ac in eis et seu jam contractis remanere, et super cognatione spirituali similiter, non tamen inter levantem et levatum, tam de contracto, quam de contrahendo, in foro conscientiae tantum dispensandi, easque a censuris, et poenis Ecclesiasticis propterea incursis et incestus reatu absolvendi, prolesque susceptas, et suscipiendas exinde legitimas nunciandi, et decernendi, et ad praemissa quoque pios aliquos Sacerdotes in eisdem partibus subdelegandi, dummodo tunc cum Fides Catholica ibidem restituta fuerit, vel alias commode potuerit, dispensationes et legitimationes hujusmodi ab Apostolica Sede in foro exteriori impetrentur: vota pariter quaecumque castitatis et Religionis dumtaxat, exceptis in alia pia opera illis locis, personis, et temporibus magis convenientia, commutandi vel super eis cum personis illarum partium quae illa emiserint dispensandi, et ad haec quoque Sacerdotes Tibi bene visos subdelegandi: ad haec libros Catholicorum contra haereticos Anglo et Scoto idiomatibus scriptos, ac Sacras Scripturas in eadem idiomata fideliter versas approbandi, catholicisque ut eas legere possint licentiam concedendi: certis etiam rersonis doctrina et pietate ac Catholicae Religionis zelo praestantibus, ut libros haereticorum, ad effectum illos confutandi, legere et contra illos scribere valeant licentiam concedendi, plenam, amplam, et universam facultatem, auctoritatem, et potestatem concedimus, et impartimur. Mandantes propterea omnibus, et singulis ad quos spectat, aut in futurum spectabit ut in praemissis omnibus sponte pareant, Tuaquae monita et jussa fideliter exequantur, ac omnes ad Te inter ipsos catholicos, aut alias controversias, dubia et difficultates referant, non obstantibus quibusvis Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 18. Maii 1630. Pontificatus Nostri Anno Septimo.

M. A. Maraldus.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ecclesia Catholica, cui, divina favente clementia, nullo meritorum Nostrorum suffragio praesidemus, sicuti una est, ita requirit Nostrae pastoralis vigilantiae sollicitudo, ut Christifideles id ipsum non solum sapiant, sed etiam quantum possibile est, omnes etiam unanimes uno ore in orationibus, et sacrificiis honorificent Deum. Cum itaque, sicut accepimus, Missale idiomate Slavonico olim a fel. rec. Joanne Papa VIII. Praedecessore Nostro concessum a centum circiter annis typis editum non fuerit, atque inde acciderit, ut Slavonum Ecclesiae Missalium inopia adeo laboraverint, ut plerisque in locis nec Sacerdotes Sacrosanctum Missae Sacrificium celebrare, nec populi Ecclesiae praecepto de illo audiendo, satisfacere commode potuerint; Nos Missalium inopiae hujusmodi ad Divini nominis laudem et gloriam, animarumque Christifidelium illarum partium salutem occurrere volentes, Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus negotio Fidei Propagandae praepositis injunximus, ut quamplura Missalia Slavonico conscripta idiomate, e Provincia Dalmatiae Romam jussu Nostro afferri, iisque per nonnullos linguae Slavonicae peritos, juxta emendationes a fel. etiam record. Pio V. et Clemente VIII. Romanis Pontificibus similiter Praedecessoribus Nostris factas, et eorum litteris Apostolicis approbatas correctionis Missale, quod Romano prorsus conforme esset, componi, illudque praefato idiomate Slavonico ad usum et commodum eorumdem Christifidelium Ecclesiarum, locorum, et Provinciarum, ubi hactenus praedicto idiomate celebratum fuit, imprimi curarent. Quae omnia cum praefati Cardinales diligenter praestiterint, eadem per praefatos Cardinales et pie, et accurate in praemissis ordinata et gesta approbantes, ac praefatum Missale antiquum abrogantes, motu proprio et ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, antiquorum Missalium Slavonici idiomatis, tam impressorum, quam manuscriptorum usum tenore praesentium sub indignationis Nostrae, ac aliis arbitrii nostri, imo iis etiam poenis, quae eorumdem Pii et Clementis Praedecessorum Nostrorum litteris continentur, tenore praesentium penitus et omnino interdicimus. Praeterea sub iisdem poenis eo ipso absque aliqua declaratione incurrendis, Apostolica auctoritate earumdem tenore praesentium prohibemus omnibus et singulis presbyteris et clericis tam saecularibus, quam cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, et Instituti, etiam

speciali nota dignis Regularibus earumdem Ecclesiarum, locorum, et Provinciarum, ubi hactenus ut praefertur praefato idiomate Slavonico celebratum fuit, ne elapsis octo mensibus a die publicationis praesentium in Urbe, alio quam hujusmodi novo Missali, nisi maluerint latino, utantur. Decernentes praesentes litteras validas, firmas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis ad quos spectat, et pro tempore quorumlibet spectabit, inviolabiliter observari debere, irritumque, et inane si quid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quatenus opus sit praedicta Joannis Praedecessoris concessione, ac Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 29. Aprilis 1631. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

URBANUS PAPA VIII.

In memoriam revocat, et confirmat Decretum S. Congregationis, quo statutum erat, ut Rutheni monachi uniti in Congregationem redigerentur, ne quid detrimenti regularis disciplina pateretur.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecit Ven. Frater Josephus totius Russiae Metropolita, quod alias a Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus negotio Propagandae in Universum mundum Fidei praepopositis emanavit decretum tenoris subsequentis. = Decretum S. Congr. de Propaganda Fide habitae etc. die 6. Octob. MDCXXIV. coram Sanctissimo. S. Congregatio convenientissimum censuit, ut monachi Rutheni uniti in Congregationem redigantur, quod si fecerint eisdem facultatem concessit eligendi sibi perpetuis temporibus futuris unum Generalem seu Proto-Archimandritam totius Russiae et singulis quadriennis Capitula generalia congregandi, in eisque constitutiones rationabiles tamen, et sacris canonibus, Decretis conciliorum, ac Summorum Pontificum Constitutionibus non repugnantes conficiendi a Romano Pontifice pro tempore confirmandas, quae interim tamen ne disciplina regularis patiatur detrimentum, a praefatis monachis observanda erunt, donec aliter per Sedem Apostolicam fuerit definitum=. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat praedictus Josephus plurimum cupiat Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, Apostolicae Nostrae confirmationis robore communiri, Nos eundem Josephum specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sen-

tentiis, censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc porrectis humiliter inclinati, de eorumdem Cardinalium consilio Decretum praeinsertum hujusmodi Apostolica auctoritate tenore praesentium approbamus, et cofirmamus illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes et singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus: nec non Decretum, ac praesentes litteras valida forma et efficaci existere, et fore, dictisque monachis in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ita per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, et causarum Palatii Apostolici Auditores judicari et definiri debere, ac irritum et inane si quid secus a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus: non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die vigesima Augusti anno MDCXXXI. Pontificatus Nostri Anno Nono.

Motus Proprius Sanctissimi Domini Nostri Urbani Papae VIII. super Dominio, et Gubernatione Conventus S. Mariae de Victoria Fratrum Carmelitarum Discalceatorum Provinciae Romanae sub titulo S. Mariae nuncupatae

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex, in quo dispositione incommutabili Christus Dominus Salvator noster Universalis Ecclesiae constituit Principatum, provide considerans, humana sic ferre quandoque consilia, ut quae ab initio matura deliberatione praehabita statuuntur, novis supervenientibus causis, opere pretium sit postmodum immutare, ea interdum, quae per Romanos Pontifices Praedecessores suos sancita sunt, ipsa subinde rerum experientia suadente, et majoribus ex causis revocat, alterat, et immutat, ac in hoc Pastoralis officii sui partes sollicite interponit, ut religiosi viri, qui obliti populum suum, et domum patris sui, Divini Numinis obsequiis se manciparunt, sublatis quibuslibet controversiis, seu differentiis reddant Domino abundanter fructus suos in sanctitate, et justitia coram ipso, prout rerum temporumque, ac personarum qualitatibus debite pensatis conspicit in Domino salubriter expedire. Cum itaque alias postquam sub die 10. Septembris 1604. quondam Constantia Sfortia Ducissa Sorae, pio erga

dilectos filios Priorem, et Fratres Domus Beatae Mariae de Scala nuncupatos de Urbe, Congregationis Fratrum Discalceatorum Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo, devotionis affectu ducta summam quatuor millium scutorum monetae romanae eisdem Priori, et Fratribus ad effectum dictam eorum Domum regularem construendi, seu perficiendi, et ampliandi, sive inibi vel alibi Novitiatum erigendi, donaverat, quamvis postea de anno 1610. eadem Constantia consenserit, ut Prior, et Fratres praefati possent ad eorum libitum de praefatis scutis quatuor millibus disponere, a felicis recordationis Paulo Papa V. Praedecessore Nostro emanaverint litetrae, tenoris subsequentis, videlicet. = Paulus Papa V. ad perpetuam rei memoriam. Totius terrarum orbis cura Nobis (licet insufficientibus ad tantum onus viribus) divina providentia commissa, ac praecipuus, quo flagramus Christianae Fidei per universam terram propagandae zelus Nos impellunt, ut nihil ardentius desideremus, ut juxta Dominicum praeceptum enixius obsecremus Dominum messis, quam, ut mittat operarios in messem suam. Quamobrem magnopere pergavisi sumus, cum pium zelum dilectorum filiorum Religiosorum Ordinis Carmelitarum Discalceatorum Congregationis Italicae ejusdem Christianae Fidei incrementum summo studio affectare perspeximus. Quandoquidem (ut eorum nomine Nobis super expositum fuit) ipsi Religiosi non solum, ut jam coeperunt, ad conversionem infidelium, quocumque opus fuerit, se alacriter profecturos profitentur, sed etiam in Generali Capitulo nuper ab ipsis celebrato, ut coepto operi validioribus viribus, ac majori cum fructu incumbere possint, decreverunt Domos, et Monasteria erigere, in quibus ii Religiosi, qui ad hujusmodi messem aptiores videbuntur, diversarum linguarum scientiam, et controversiarum peritiam, ad evertendos errores haereticorum, Saracenorum, schismaticorum, Gentilium, et Judaeorum necessariam addiscere, et majoribus vigiliis, abstinentiis, orationibus, aliisque virtutum exercitiis assuescere possint, ac melius tanto se operi disponant. Quod Decretum, ut Nos Apostolica auctoritate confirmare, et illos Ecclesiae thesauro spirituali alere, fidelesque suis opibus temporalibus pie illis subvenientes, ne eorum eleemosynae in alios usus distrahantur, impositis censuris securos redolere dignaremur, humili postulatione supplicarunt.

Nos igitur pium hujusmodi eorumdem Religiosorum institutum plurimum in Domino commendantes, ac illos specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Decretum praedictum Auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus, ac eidem Congregationi Italicae Fratrum Carmelitarum Discalceatorum, ut Domos, seu Monasteria ad hujusmodi effectum in Urbe, aut prope illam, et nunc apud S. Sylvestrum in Tusculano, et in quibusvis aliis Provinciis et locis, ubi

Praeposito, et Diffinitoribus visum fuerit, fundare libere, et licite possint, et valeant, licentiam, et facultatem concedimus.

Et ut alacriores tanto operi se accingant, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, eisdem Religiosis, ut iis diebus, quibus a Superioribus destinati Monasteriis missionum incorporati fuerint, et post annum, aut aliud tempus a Praeposito definiendum, pro majori stabilitate professionem renovaverint, et votum ad infideles (juxta Superioris praescriptum) pergendi emiserint, et cum inde ad missiones discesserint, et Provinciam aliquam, ad quam pergunt, convertendam ingressi, ad opus se accinxerint, Sacramenta confessionis, et Eucharistiae (si possibile fuerit) in praedictis diebus perceperint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus, et elargimur.

Insuper, ut pii fideles, qui, ut tanti operis mercedem in aeternum percipiant, suis facultatibus illud juvare decreverint, securi reddantur quod eleemosynae, quas ad hunc ipsi finem erogaverint, in hunc et non in alios usus convertentur, in virtute sanctae obedientiae Superioribus omnibus, et aliis quibusvis Religiosis praedictae Congregationis praecipimus, ut ea quae fideles pro Missionibus faciendis, et conversione infidelium procuranda erogaverint, in hoc opere, scilicet in alendis ministris, procurandis libris, ac magistris, et aliis necessariis tam pro Conventibus praedictis, quam pro missionibus, et Domibus, ac Ecclesiis in terris, ad quas mittentur, colendis, instruendis, ac alendis converti curent, et in alios usus praeter praedictos non distrahant; quod si secus fecerint, excommunicationis majoris latae sententiae poenam, a qua non ab alio, quam a Romano Pontifice (praeterquam in mortis articulo) absolvi possint, incurrant eo ipso; et nihilominus teneantur, quae consumpserunt ad praedictum opus restituere, et ex bonis aliorum Conventuum redintegrare. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 15. Decemb. 1605. Pontificatus Nostri Anno Primo =.

Subinde sicut accepimus Prior, et Fratres praefati quemdam situm, sive hortum, aut viridarium cum nemore sive illius parte in Monte Quirinali prope Ecclesiam, et Monasterium Monialium Sanctae Susannae de Urbe emerint ad effectum inibi aedificandi Domum Novitiatus juxta pium dictae Donatricis propositum; die vero 24. Decembris 1607. dilectus Filius Dominicus Ambrosius a Jesu, Ambrosius Spinola in saeculo nuncupatus, dictae Congregationis No-

vitius ante instantem, quam postmodum emisit professionem, suum ultimum condens testamentum summam viginti millium scutorum similium dictae Domui Beatae Mariae de Scala legaverit, volens ut ex dicta summa viginti millium scutorum hujusmodi, sexdecim millia pro absolvenda solutione pretii dicti situs, sive horti, aut viridarii empti pro dicto Monasterio Beatae Mariae de Scala, et nova Domo regulari in eo situ, vel alio in loco ejusdem Urbis fundenda erogarentur, et tam ex praefatis eorumdem Constantiae Ducissae, ac Dominici Ambrosii, quam aliorum Christifidelium pecuniis, et eleemosynis praetium dicti situs, sive horti, aut viridarii hujusmodi, necnon majoris partis fabricae novae Domus regularis praefatae inibi extructae et olim S. Pauli, nunc vero S. Mariae de Victoria nuncupatae persolutum fuerit. Praeterea quondam Franciscus Ciminus Baro Terrae Cacurri Acheruntinensis Dioecesis suum ultimum de anno 1608. die 20. Septembris condens testamentum, sub cujus dispositione ab humanis decessit, inter quamplurima legata pia per eum tunc facta, redditum annuum trium millium ducatorum monetae Regni Neapolitani Domui missionum Fratruum dictae Congregationis in dicta Urbe erectae, seu erigendae reliquerit; cumque subinde praedicto Francisco vita functo, dilectus filius Paulus Ciminus dicti Francisci nepos, et haeres haereditatem hujusmodi ultra illius vires diversis legatis gravatam, et voluntatem dicti Francisci diversis nominibus infringi, quondam autem Ferdinandus a Sancta Maria, tunc dictae Congregationis Vicarius Generalis, eandem voluntatem defendi jure posse respective praetenderent, et propterea lites magno cum utriusque partis dispendio imminerent, ad iisque obviandum, Ferdinandus nomine dictae Congregationis, et Paulus praefati ad certam super praemissis, reservato Sedis Apostolicae beneplacito, devenissent transactionem, dictus Paulus Praedecessor per suas in simili forma Brevis sub die 10. Februarii 1609. expeditas litteras transactionem hujusmodi, omniaque, et singula in illa contenta approbaverit et confirmaverit: postmodum autem eidem Paulo Praedecessori pro parte tunc existentis Praepositi Generalis dictae Congregationis exposito, quod fabrica Domus regularis missionum hujusmodi ad finem debitum nondum perducta erat, sed Domus ipsa construebatur cum mille, et octingentis ducatis ex legato dicti Francisci provenientibus et aliis piorum Christifidelium eleemosynis, nec ante lapsum aliquot annorum redditus annuus trium millium ducatorum per eundem Franciscum, ut praeferebatur, relictus integre percipi poterat, et Congregatio ipsa eo in statu minime reperiebatur, ut tot Religiosos in dicta missionum regulari Domo constituere posset, qui obeundis missionibus sufficerent, nisi ceteras ipsius Congregationis regulares Domos Religiosis necessariis viduaret, et propterea eidem Paulo Praedecessori humiliter supplicato, ut quandoquidem ipsa Congregatio, nulla Domorum suarum regularium habita differentia, Missionibus hu-

jusmodi quoad poterat jugiter vacabat, fabrica dictae Domus regularis missionum hujusmodi nondum, ut praeferebatur, perfecta ad instar aliarum dictae Congregationis Domorum regularium haberetur, ad sex, vel octo dumtaxat annos, donec fabrica praefata finiretur, et in dicta Domo tot Religiosorum numerus constitueretur, qui missionibus praefatis obeundis sufficerent, nec aliae propterea regulares Domus praefatae suis Religiosis viduarentur: idem Paulus Praedecessor supplicationibus dicti Praepositi Generalis sub die 9. Augusti 1612. vivae vocis oraculo manu bonae memoriae Joannis Garziae Cardinalis Millini nuncupati subscripto annuerit, donec scilicet, et quousque adesset facultas formandi Conventum personarum ad hujusmodi missiones destinandarum. Ad haec dictus Paulus Praedecessor cum pro missione ad conversionem infidelium instituenda, per alias suas in simili forma Brevis sub die 22. Julii 1608. expeditas litteras, ex eisdem Fratribus tam Congregationis Hispaniarum, quam Italiae unam Congregationem sub invocatione S. Pauli ab uno Commissario Generali cum Diffinitorum interventu regendam perpetuo erexisset ipsamque Congregationem, et ejus Commissarium Generalem, ac Fratres, illorumque Monasteria, Domos, et bona ab omni jurisdictione ordinariorum locorum quorumcumque, necnon ab omni obedientia Praepositorum Generalium utriusque Congregationis hujusmodi, praeterquam in nonnullis tunc expressis exemisset et liberasset, in Domino autem justas de causis eidem Paulo Praedecessori cognitis expediret, ut novae Congregationis hujusmodi erectio, et alia praemissa effectum non sortirentur, dictus Paulus Praedecessor erectionem Congregationis Sancti Pauli litterasque desuper, ut praeferebatur, expeditas perpetuo revocaverit, et in nova Domo regulari praedicta unum Seminarium Missionum erexerit per alias similes suas litteras in forma Brevis, ut sequitur, videlicet. = Paulus Papa V. ad perpetuam rei memoriam. Romani Pontificis providentia circumspecta animarum saluti assidue invigilans, quae antea provide facta fuisse videntur, si rerum, et temporum ratio postulaverit, nonnumquam in melius commutat, prout in Domino conspicit salubriter expedire. Alias siquidem pro missione ad conversionem infidelium instituenda per Nostras in simili forma Brevis expeditas litteras, sub datum 22. Julii 1608. Pontificatus Nostri anno quarto, motu Nostro proprio ex Ordine Beatae Mariae Virginis de Monte Carmeli novae reformationis tam Hispaniarum, quam Italiae unam Congregationem sub invocatione S. Pauli ab uno Commissario Generali cum diffinitorum interventu regendam perpetuo ereximus, ipsamque Congregationem, et ejus Commissarium Generalem, ac Fratres, illorumque Monasteria, Domos et bona, ab omni jurisdictione Ordinariorum locorum quorumcumque, necnon ab omni obedientia Praepositorum Generalium tam Congregationis Hispaniae, quam Italiae, praeterquam in nonnullis tunc expressis etiam perpetuo exemimus, et liberavimus, ac sub Nostra, et Sedis Apostolicae

protectione subjecimus, aliaque fecimus, prout in dictis litteris plenius continetur. Quoniam autem sicut Nobis innotuit novae Congregationis hujusmodi erectio, et alia praemissa, justis de causis, ut effectum sortiantur non expedire in Domino dignoscitur, idcirco Nos dictarum litterarum tenorem praesentibus pro plene, et sufficienter expressis habentes motu proprio, et ex certa scientia Nostra, ac de Apostolicae potestatis plenitudine erectionem Congregationis S. Pauli, et litteras praedictas, ac in eis contenta, et si quae sint inde secuta quaecumque tenore praesentium perpetuo cassamus, irritamus, et annullamus, viribusque, et effectu evacuamus. Cupientes autem dicti Ordinis Fratres in pio eorum propagandae religionis zelo confovere, nihilque quod convertendis ad fidem infidelibus, et reducendis haereticis opportunum in Domino judicamus, praetermittere, in aedibus per dictos Fratres in Monte Quirinali prope Ecclesiam Monasterii Monialium Sanctae Susannae de Urbe noviter extructis unum Seminarium dicti Ordinis Congregationis Italiae, sub invocatione S. Pauli, in quo praedicti Ordinis Fratres, qui ad messem Dominicam aptiores videbuntur, diversarum linguarum, et controversiarum scientiam ad evertendos errores haereticorum, schismaticorum, Saracenorum, Gentilium, et Judaeorum, aliorumque universorum Infidelium necessariam addiscere, et majoribus vigiliis, abstinentiis, aliisque virtutum exercitiis assuescere possint; indeque edocti pro arbitrio Superiorum ad infidelium partes pro conversione animarum preficisci debeant, motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus etiam perpetuo erigimus. Necnon Seminario hujusmodi, illiusque Rectori et Fratribus, quod omnibus privilegiis, immunitatibus, exemptionibus libertatibus, facultatibus, concessionibus, gratiis tam spiritualibus, quam temporalibus et indultis, quibus alii Fratres tam mendicantes quam non mendicantes utuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, potiri, et gaudere possunt, et poterunt quomodolibet in futurum similiter uti, potiri, et gaudere possint, et debeant concedimus, et indulgemus. Decernentes presentes litteras, et in eis contenta quaecumque perpetuo valida, et efficacia fore, ac suos plenarios effectus sortiri, et obtinere, sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, necnon praedicti, et quorumcumque aliorum Ordinum statutis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, et litteris Apostolicis eisdem Ordinibus, illorumque Superioribus, et personis, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis ac irritantibus, et aliis decretis in contrarium praemissorum

quomodolibet concessis, confirmatis, et approbatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa ac individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 7. Martii 1613. Pontificatus Nostri Anno Octavo =.

Post erectionem vero Seminarii missionum hujusmodi in dicta Domo regulari, cum in illa non modo ad missiones hujusmodi destinati, sed etiam alii ipsius Congregationis Religiosi degerent, Venerabiles Fratres nostri Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales negotio Propagandae in universo mundo Fidei praepositi, in visitatione dictae Domus regularis missionum inter alia dictam Domum regularem S. Pauli esse in vim posteriorum dicti Pauli Praedecessoris litterarum Seminarium Missionum, nec alio transferri posse, sine speciali licentia manu Romani Pontificis pro tempore existentis signata, nullique ipsius Congregationis Provinciali, sed immediate Praeposito, et Diffinitorio Generali dumtaxat, et deinde instante ipsius Congregationis Capitulo Generali, eandem Domum regularem S. Pauli seu missionum Provinciali Provinciae Romanae subjectam fore decreverint, et lapsis nonnullis annis, cum idem Provincialis nonnullos suae Provinciae Religiosos studentes in eandem regularem Domum transtulisset; ab aliis vero praetenderetur in eadem regulari Domo non posse alios studentes dictae Congregationis Religiosos commorari, nisi solummodo ad missiones obeundas destinatos, idque in maximum suae Provinciae detrimentum vergere assereret Provincialis praedictus, dilecti filii Noster Robertus S. Alexii Ubaldinus, Aloysius S. Pudentianae Caetanus, Joannes Baptista S. Eusebii Pamphilius titulorum Presbyteri, et Martius S. Mariae Novae Ginettus Diaconus Cardinales respective nuncupati, necnon dilectus pariter filius magister Antonius Tornellius in utraque Signatura nostra Referendarius super hoc negotio a Nobis specialiter novissime deputati, visitato prius praefato Seminario missionum in dicta S. Pauli, seu S. Mariae de Victoria regulari Domo, et consideratis, quae in Congregatione Generali de Propaganda Fide coram Nobis habita per Nos ordinata fuerant, et mature discussis omnibus, et aliis hinc inde etiam de novo deductis, infrascripta decreta sub die 11. Septembris proxime praeteriti edide-

rint tenoris subsequentis, videlicet = *Die* 11. *Septembris* 1631. *fuit Congregatio Particularis super visitatione Collegii S. Pauli Carmelitarum Discalceatorum in Palatio Eminentissimi D. Cardinalis Ubaldini, cui interfuerunt quatuor Cardinales*, *videlicet*, *ipsemet D. Cardinalis Ubaldinus*, *Cajetanus Pamphilius*, *et Ginettus*, *et Reverendissimus D. Tornellius a Sanctissimo Domino Nostro specialiter deputati. In ea consideratis*, *quae in praecedenti Congregatione Generali de Propaganda Fide coram Sanctissimo habita*, *et a Sanctitate Sua ordinata*, *et aliis de novo deductis*, *praedicti Domini Cardinales censuerunt*, *si Sanctitate Suae placuerit decerni posse ut infra.* Primo: quod Conventus S. Mariae de Victoria sit, et esse debeat Provinciae Romanae, Provincialique Romano subjectus in omnibus, et per omnia, prout alii Conventus ejusdem Provinciae; exceptis tamen electione, et remotione seminaristarum, seu Alumnorum missionibus destinatorum, et in futurum destinandorum, ac eorum lectorum pro studiis linguarum, et controversiarum, quae electio, et remotio ad Generalem spectabunt. Secundo: Alumnis praedictis, ac eorum lectoribus, si tamen hi fuerint ex eadem Religione, habitatio sufficiens separata, scholaeque separatae in dicto Conventu assignentur, donec alio modo per eandem Sacram Congregationem fuerit provisum, nec istud impedit, quominus in eodem Conventu studium Provinciae cum Seminario retineri possit. Tertio: pro alimentis, vestitu Alumnorum, aliisque eisdem Alumnis necessariis solvantur praedicto Conventui de redditibus pro Missionibus relictis annua scuta quadraginta monetae romanae pro quolibet Alumno, et pro tempore, quo quilibet Alumnus in eodem Conventu resederit. Idem pro lectoribus fiat, si fuerint ipsius Religionis Fratres, si vero (quod facile continget) pro studiis linguarum lectorem secularem, vel regularem alterius Religionis conducere necesse fuerit, stipendium competens arbitrio ejusdem Sacrae Congregationis illi assignetur. *Quarto*: *duo Fratres auctoritate Sacrae Congregationis praedictae ad exigendos redditus*, *et relicta*, *ac donata pro missionibus cum titulo Syndici deputentur*, *quorum altér Neapoli et sit Frater illius Conventus S. Mariae de Victoria istique Syndici rationem de exactis eidem S. Congregationi reddere teneantur.* Non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus, et praesertim litteris Apostolicis circa hujusmodi Collegium seu Seminarium sub felicis memoriae Paulo Papa V. in forma brevis expeditis, quatenus tamen suprapositis decretis aliquo modo adversantur, et aliis in breve expediendo nominandis. Nos illius vices gerentes in terris, qui pacem super pacem tribuit dilectis suis, inviolabili eorumdem decretorum validitati, et observationi quantum cum Domino possumus consulere, et ulterioribus controversiis, seu differentiis hujusmodi obviam ire volentes, necnon dicti Pauli praedecessoris litterarum, ac donationis, testamen orum, oraculi, et aliarum quarumcumque scripturarum tenores, dictarumque

controversiarum, seu differentiarum, statum et merita, aliaque etiam quantumvis necessaria praesentibus pro expressis habentes; motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris deque Apostolicae potestatis plenitudine omnes, et singulas dicti Pauli Praedecessoris litteras, decreta, oracula, concessiones, indulta, ordinationes, et statuta, ac disposita quaecumque in quantum decretis praedictis et praesentibus litteris adversantur, tenore praesentium revocamus, cassamus, et annullamus, viribusque et effectu omnino evacuamus, et tam Constantiae Ducissae quam Dominici Ambrosii, et Francisci praefatorum voluntates, seu consensus, et quoscumque dispositiones in et quo ad praemissa sufficienter commutamus. Nec non praeinserta decreta hujusmodi cum omnibus in eis quomodolibet contentis tenore praesentium perpetuo approbamus, et confirmamus, illisque perpetuae, et inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes et singulas tam juris, quam facti, et quosvis alias etiam quantumvis substantiales defectus, etiamsi tales sint, vel fuerint, de quibus ad hoc ut suppleri possint, specialis, specifica, et expressa mentio habenda foret, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, illosque sanamus, tollimus, et abrogamus, ac quascumque controversias, sive differentias, seu quaestionis materiam in et super praemissis sive eorum occasione inter quoscumque coram quibuscumque Congregationibus, et aliis quomodolibet hactenus motos, et pendentes ad Nos harum serie avocamus, illasque penitus, et omnino supprimimus, et extinguimus, ac jus et interesse desuper non modo ex praemissis, sed ex quacumque alia causa, etiam quantumvis privilegiata, ac juridica, et iusta habentibus, vel habere praetendentibus perpetuum desuper silentium imponimus. Decernentes praesentes litteras omniaque et singula in eis contenta etiam ex eo, quod praedicti, et alii quicumque interesse in praemissis seu eorum aliquo habentes seu habere quomodolibet praetendentes eis nullatenus consenserint, nec ad ea vocati, et auditi, minusque causae propter quas eaedem praesentes emanarint, adductae, verificatae, seu alias justificatae fuerint nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel alio quocumque defectu etiam quantumvis magno, inexcogitato, substantiali, sive etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, aut quocumque alio colore, etiam in corpore juris clauso, seu occasione, vel causa etiam quantumvis justa, rationabili, privilegiata, etiam tali, qnae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate Nostra hujusmodi et aliis superius expressis, seu relatis, nihilominus ullibi appareret, seu aliter probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos juris, aut aliud quodcumque juris, facti, gratiae, vel

justitiae remedium impetrari, seu etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus concedi, aut sic impetrato, vel concesso, quempiam uti, seu se juvare in judicio vel extra posse, neque ipsos praesentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet faciendis compraehendi, sed semper ab illis exceptas, perpetuoque validas formas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac per omnes, et singulos, ad quos spectat, et quomodolibet spectabit in futurum inviolabiliter observari, sicque, et non alias in praemissis omnibus, et singulis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, et Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales in quavis causa, et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et intepretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si quid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus singulis dicti Pauli Praedecessoris litteris, aliisque praemissis, ac regula Nostra de jure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis Congregationis, et Domus hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus ac quibusvis decretis, etiam in Generalibus, vel aliis Capitulis, vel Definitoriis etiam requirentibus quorumcumque Superiorum ejusdem Ordinis consensum ad litteras Apostolicas in Romana Curia expediendas quomodolibet editis, privilegiis quoque, indultis, et litteris Apostolicis, sub quibusvis tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, ac alias in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et saepius innovatis, praesertim vero Constitutionibus dicti Ordinis, seu Congregationis, parte secunda, capite primo, paragrapho tertio, et capite decimosexto paragrapho primo, ac decretis, regulis, seu constitutionibus alias emanatis a praefata Congregatione de Propaganda Fide, et in Capitulis Generalibus praedicti Ordinis, vel alias acceptatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas Generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenore hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, motu, scientia, ac potestatis plenitudine similibus derogamus,

et derogatum esse volumus, et decernimus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Dignitate Ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 14 Januarii 1632. Pontificatus Nostri Anno Nono.

M. A. Maraldus.

Custodi Hierosolymitano pro tempore, ejusque Fratribus contrectandi pecunias dat facultatem, si syndaci fideles deficiant, ususque recenset, in quos eleemosynae sint erogandae.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Ut dilecti Filii Guardiani pro tempore existentes Guardianiae Hierosolymitanae Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum commissi sibi munus eo liberius, ac melius ad Dei laudem ac pauperum subventionem exercitio valeant, quod amplioribus fuerint ab hac S. Sede facultatibus suffulti, supplicationibus dilecti Filii Moderni Guardiani Guardianiae hujusmodi Nobis humiliter porrectis inclinati; de Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, eisdem Guardianis pro tempore existentibus, quod in locis Guardianiae hujusmodi subjectis, et in itinere pecunias eleemosynarum Sanctorum Locorum et earum, quas illis, ejusque Fratribus, seu eorum Domibus, Conventibus, et Ecclesiis in praedicta Guardiania constitutis pii fideles elargiuntur contrectantur, et ad hunc cum Fratribus eorum jurisdictioni subjectis dispensentur, si tamen fideles Syndaci copiam habere nequeant, qui illas recipere, custodire et erogare possit, super quo, tam ipsorum Guardianorum, quam Fratrum dispensandorum conscientiam oneramus. Et insuper quod de praedictis eleemosynis in sanctuariis, quae devotionis causa tam ab ipsis Guardianis, quam ab eorum Fratribus donantur, emendis, necnon peregrinis, conversisque ad Fidem Catholicam juvandis, ac pauperum, et miserabilium personarum necessitatibus subveniendis; et denique in Missionibus ad eandem Fidem Catholicam propagandam factis, vel faciendis, aut sustentandis seu manutenendis erogandi libere, et licito valeant: ita tamen, ut quoad eleemosynas pro conservatione, restauratione, et subsidio Sanctorum Locorum divinique cultus in illis augmento relictas non excedatur in supradictis rebus quarta pars

ejus: quod, adimpletis omnibus oneribus pro quibus destinatae fuerunt, supererit, de quo prout, nec de aliis quibusvis eleemosynis supradictis Guardiani hujusmodi disponere nequeant, nisi cum illorum, de quorum consilio de praedictis eleemosynis pro ipsorum necessitatibus, utilitate, usu, et manutentione relictis, disponere consueverunt, super quibus eorumdem Guardianorum et Fratrum conscientias pariter oneramus, Apostolica auctoritate, tenore praesentium facultatem concedimus, et impartimur. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis ac dicti Ordinis, et juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, ac fel. rec. Pauli Papae V. Praedecessoris Nostri sub datum die 22. Januarii 1608. circa praedictas eleemosynas editis, quatenus praemissis adversantur, et non alias, et quibusvis aliis litteris Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis eorum tenore praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 21. Aprilis 1632. Pontificatus Nostri Anno Nono.

Locus ✠ Sigilli

M. A. Maraldus.

Reginae Francorum Scotiae catholicos ab haereticis indigne vexatos maximo studio commendat.

URBANUS PAPA VIII.

Charissima in Christo Filia Nostra Salutem.

Multa sunt, quibus inchoandis perficiendisque opinioni, quae, de Tuo erga Religionem studio, per omnium animos adhuc pervasit abunde satisfecisti, nihil inest cujus causa majorem a bonis laudem consequi possis, quam si Catholicorum adversus Haereticos patrocinium ac defensionem susceperis: id ut pietati Tuae ac veteribus Regiae Francorum domus institutis optime respondet, ita illius procuratio Pontificii muneris, ac paternae Nostrae sollicitudinis maxime propria est. Quamobrem Catholicos, quos ab Haereticis in Scotia indigne vexari cognovimus, Majestati Tuae sic commendamus, ut neque majore studio quidquam neque justioribus de causis commendare possimus. Quae ab iis quotidie patiuntur, acerbiora sunt, quam ut a clementia et pietate Tua diutius tollerari debeant, neque non de

rei familiaris jactura, aut de corporis incommodis, quae tamen durissima sunt, sed de animae interitu praecipue agitur, quo omnia ab illis per summam impietatem diriguntur. Tuum est infestos hosce conatus infringere, atque in eo omnem diligentiam et operam ponere, ne humani generis hostis tanto cum Ecclesia detrimento iniquam Nobisque luctuosam de Catholicis victoriam se reportasse glorietur. Nos quidem in tanta bonorum calamitate de Tui patrócinii certitudine, atque efficacitate nequaquam dubitamus, ac pro certo habemus fore, ut tempestas, quae summum adversariorum in veram Religionem odio excitata est, quamprimum Tua prudentia atque auctoritate sedetur; Deum rogamus, ut Te ad istius Regni utilitatem diutissime servet incolumem, ac Majestati Tuae amantissime benedicimus.

Datum Romae die 12. Februarii 1633. Anno Decimo.

Transactio inter Commissarios Pontificios, et Regios in Regno Bohemiae pro bonorum ecclesiasticorum compensatione confirmatur.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Sancta Mater Ecclesia supra fundamentum Apostolorum, et Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Jesu aedificata, non modo aeterni Sacerdotii dignitate ab ipso Christo insignita est, verum etiam in vestitu deaurato circumdata varietate, temporalium bonorum possessione exornata, ut nec pulchritudini deessent ornamenta, nec majestati praesidia. Quapropter Apostolica Romanorum Pontificum sollicitudo, non in iis tantum prospiciendis versatur, quae spiritualis traditae Sibi coelitus potestatis munia respiciunt, verum etiam ad ea pastoralis vigilantiae Suae partes sedulo intendit, per quae bonorum temporalium earumdem Ecclesiarum conservationi, quantum cum Domino fieri potest, opportuna ratione provideatur. Alias siquidem, cum concitata retroactis temporibus in Regno Bohemiae per Principes, et Potestates tenebrarum rebellione, furentibusque etiam armata haeresi seditionibus, bellisque intestinis, multa bona, et jura ecclesiastica partim direpta, partim occupata, et usurpata fuissent, et tunc temporis detinerentur; charissimus in Christo Filius Noster Ferdinandus Romanorum Rex in Imperatorem electus, pro suo avito, et spectato Religionis, et Fidei Catholicae zelo, profligatis auxiliante Domino Deo exercituum rebellibus haereticis, sedatisque armorum motibus, fidei praefatae in dicto Regno,

et illi adjacentibus Provinciis, bonorumque ecclesiasticorum restitutioni totis viribus incumberet; Nos ex causis tunc expressis, dilectis Filiis Nostris Ernesto Adalberto ab Harrach Ecclesiae Pragensis ex concessione, et dispensatione Apostolica Praesuli, nec non tunc Nostro, et Apostolicae Sedis apud eumdem Ferdinandum Regem in Imperatorem electum Nuncio Johanni Baptistae S. R. E. Presbyteris Cardinalibus Pallotto respective nuncupatis, super bonis, decimis, primitiis, rebus, juribus, et actionibus quibuscumque ecclesiasticis Regni Bohemiae praefati, non tamen ad Hospitale S. Joannis Hierosolymitani quomodolibet spectantibus, cujuscumque qualitatis, quantitatis, et valoris fuissent, ac quocumque praetextu, vel causa occupata, et usurpata essent, ac detinerentur, tam Nostro, et ejusdem Sanctae Sedis, quam Cleri Saecularis, et Regularis ejusdem Regni nominibus, cum praedicto Ferdinando Romanorum Rege in Imperatorem electo conveniendi, concordandi, et transigendi, ac de eisdem bonis disponendi, prout ad Fidei Catholicae in eodem Regno propagationem, ac manutentionem eisdem expedire visum fuisset: reservata tamen Nobis, et eidom Sedi de bonis, juribus, et redditibus vigore litterarum Nostrarum desuper confectarum assignandis Nostro, et dictae Sedis arbitrio ad Dei servitium, et Ecclesiarum dicti Regni utilitatem disponendi omnimoda facultate, et potestate; plenam, et liberam potestatem, et auctoritatem Apostolica auctoritate concessimus, et impartiti sumus, et alias, prout in Nostris desuper in simili forma Brevis expeditis, et infrascripto instrumento insertis litteris plenius continetur. Cum autem, sicut accepimus, Ernestus, ac Joannes Baptista Cardinales praefati in vim litterarum Nostrarum hujusmodi una cum dilectis Filiis Maximiliano Comite de Thautmansdorff, Guilielmo Comite Slavata, et Othone Libero Barone de Hostitz ab eodem Ferdinando Rege in Imperatorem electo ad hoc specialiter deputatis, ad certam inter se conventionem super bonis, decimis, primitiis, rebus, juribus, et actionibus ecclesiasticis Regni praefati devenerint, prout plenius continetur in instrumento publico desuper confecto, tenoris sequentis, videlicet =

In Nomine Domini. Amen. Cum recuperato Regno Bohemiae ex singulari Dei beneficio per sacram Caesaream Majestatem serenissimum, et invictissimum Principem D. D. Ferdinandum hujus nominis Secundum Romanorum Regem in Imperatorem electum, eumdemque dictae Bohemiae Regem, ac omnibus haeresum ministris inde ejectis, catholicaequae religionis cultu, et exercitio inibi restituto, pro parte Ecclesiasticorum dicti Regni multae quidem, ut asseritur, praetensiones, et controversiae contra et adversus Reges, et Cameram dicti Regni, et quamplures dicti Regni Duces, Principes, Comites, Barones, Equites, Nobiles, Civitates, Communitates, et alios quoscumque subditos Regni bona ecclesiastica in dicto Regno

possidentes (Possessionatos vulgo nuncupatos) de et super eorumdem bonorum ecclesiasticorum ad Ecclesias , Monasteria tam virorum , quam mulierum, aliaque beneficia ecclesiastica tam saecularia , quam regularia spectanctium , et grassante haeresi in dicto Regno diversimode alienatorum recuperatione , ac illorum , et fructuum perceptorum restitutione , rebusque aliis motae , et deductae fuerint , et in dies moveantur , et deducantur ; illae autem ob temporis antiquitatem , et praetensas praescriptiones , aliasque exceptiones , quae pro eorumdem possidentium parte objiciuntur , difficiles ad in judicio prosequendum detegantur, itaut non sine diuturnis inextricabilibusque , et dispendiosis litibus, ac magno catholicae religionis in eo regno restituendae , stabiliendaeve detrimento terminari posse videantur: proinde negotio ad Sanctissimum Dominum Nostrum Urbanum divina providentia Papam Octavum delato , jussuque Sanctitatis Suae desuper communicato consilio , primo mediantibus Illustrissimo , et Reverendissimo Domino Ernesto Presbytero Cardinale ab Harrach Archiepiscopo Pragensi , et Reverendissimo Domino Carolo Caraffa Episcopo Aversano , tunc apud Sacram Caesaream Majestatem praefatam Suae Sanctitatis , et Sanctae Sedis Apostolicae Nuncio cum eadem Sacra Caesarea Majestate Ferdinando Imperatore , et Rege praefato in Ecclesias , ecclesiasticasque personas beneficentissimo , et in haeresibus extirpandis , catholicaque religione in dicto Regno restituenda stabiliendaque studiosissimo ; et deinde etiam in Sacra Congregatione Illustrissimorum , et Reverendissimorum Dominorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium super Fide propaganda deputatorum ; tandem post plures tractatus , et maturas consultationes desuper habitas , in eam deliberationem communi voto deventum fuit , ut ad longas , dispendiosas , et inextricabiles lites , quae desuper verisimiliter exoriri possent , praecidendas , simulque Ecclesiarum, Monasteriorum , ac beneficiorum ecclesiasticorum dicti Regni indemnitati , ac praefati Imperatoris , uti Regis dicti Regni , Ducum , Principum , Comitum , Baronum , Equitum , Nobilium , Civitatum, Communitatum , et aliorum quorumcumque subditorum Regni bona ecclesiastica , ut praefertur , possidentium conscientiis consulendum , Catholicam Fidem, et Religionem in ipso Regno confirmandam , augendam , et conservandam , ac pro bono publico quietis , et pacis inter Ecclesiasticos , et Laicos Regni praedicti mutua conventio fiat, per quam idem Serenissimus Dominus Ferdinandus Imperator electus , uti Bohemiae Rex , nomine suo , suorumque in eodem Regno Bohemiae haeredum , et successorum quorumcumque in perpetuum Sanctissimo Domino Nostro Papae Urbano Octavo , et Sanctae Sedi Apostolicae , et pro illis Illustrissimo , et Reverendissimo Domino Ernesto Sanctae Romanae Ecclesiae Presbytero Cardinale ab Harrach Archiepiscopo Pragensi , et Illustrissimo, ac Reverendissimo Domino Joanne Baptista Sanctae Romanae Ecclesiae Presbytero Cardinale Pal-

lotto Archiepiscopo Thessalonicensi Nuncio Apostolico, Plenipotentiariis a Sua Sanctitate deputatis, in beneficium Ecclesiae, et Catholicae Religionis, universique Cleri in supradicto Bohemiae Regno perpetuum annuum redditum quindecim cruciferorum, quartam partem unius floreni rhenensis constituentium super quolibet modio salis, quem vulgo *grosskeffen* vocant, quod in praefatum Regnum Bohemiae undequaque introducetur, vel in ipso Bohemiae Regno effodietur, seu excoquetur, vel alias quomodolibet conficietur, si quando salis fons, seu salina in dicto Bohemiae Regno in usum veniat, in favorem eorumdem ecclesiasticorum, ac per Ministros, et Officiales eorum nomine deputandos a kalend. praesentis mensis Martii, et abinde in posterum in perpetuum exigendum, realiter, et cum effectu tradet, atque assignet. Vicissim vero pro parte praefatorum ecclesiasticorum jura, quae ipsi habent, et eis competunt supra, et pro infradicendis bonis ecclesiasticis, ut infra, alienatis, aut oppignoratis, et possessis, in favorem praefati Serenissimi D. Ferdinandi Imperatoris electi, uti Bohemiae Regis, suorumque in eodem Bohemiae Regno haeredum, et successorum quorumcumque in perpetuum catholicorum legitime intrantium, et quibus ipse Serenissimus Dominus Ferdinandus, et praefati ejus haeredes, et successores Bohemiae Reges dederint, simpliciter perpetuo, ex causa assignationis, ac mutuae conventionis praefatae cedantur, et concedantur; modo tamen, et forma, ac sub reservationibus, declarationibus, conditionibus, et pactis infra latius descriptis, contentis, et adnotatis. Quam quidem conventionem Sanctissimus Dominus Noster ex causis supradictis, ac de ejusdem Sacrae Congregationis sententia probavit. Hinc est, quod anno a Nativitate ejusdem Domini millesimo sexcentesimo trigesimo, Indictione decimatertia, die vero octava mensis Martii, Pontificatus praedicti Sanctissimi Domini Nostri Domini Urbani divina providentia Papae Octavi anno septimo, Regnorum autem Serenissimi Domini Ferdinandi Imperatoris electi Romani undecimo, Hungarici duodecimo, et Bohemici decimotertio, in nostrum Notariorum in solidum rogatorum, testiumque ad haec specialiter vocatorum, et adhibitorum praesentia, praesentes, et personaliter constituti Illm̃us, et Rm̃us Dominus Ernestus S.R.E. Presbyter Cardinalis ab Harrach Archiepiscopus Pragensis, ac Illm̃us, et Rm̃us Dominus Joannes Baptista S. R. E. Presbyter Cardinalis Pallottus Archiepiscopus Thessalonicensis ejusdem Sanctissimi Domini Nostri, et Sanctae Sedis Apostolicae apud Sacram Caesaream Majestatem praedictam cum facultate de latere Legati Nuncius ex una ad haec, et infrascripta a praelibato Sanctissimo Domino Nostro Papa per ejus Litteras Apostolicas in forma Brevis sub Dat. Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die septima mensis Julii anni millesimi sexcentesimi vigesimi noni, Pontificatus sui anno sexto, cum amplissima facultate deputati, prout do-

cuerunt per litteras praedictas, quas originaliter Nobis Notariis in solidum rogatis tradiderunt, et consignarunt ad effectum praesenti Instrumento inserendi, et registrandi, infrascripti tenoris, videlicet:

Urbanus Papa VIII. Ad futuram rei memoriam. Inter gravissimas, multiplicesque apostolicae servitutis curas, quibus pro Nostri pastoralis officii debito jugiter angimur, illa Nos praecipue sollicitos habet, ut Sacrosancta Fides Catholica dispersis, atque conculcatis inimici hominis zizaniis, ubique gentium inviolata vigeat, et propagetur: haeresesque, et alii damnati errores e mentibus Christifidelium, ubi peccatis hominum facientibus irrepserunt, per immensam Dei bonitatem penitus evellantur. Quapropter Nos, qui militantis Ecclesiae regimen, omnimodamque universi dominici gregis a Christo Domino curam in Beatissimo Petro Apostolorum Principe accepimus, etsi Nos ad omnium salutem procurandam debitores agnoscamus, iis tamen Provinciis peculiari vigilantia studium impendimus, quae dextera Dei faciente virtutem e manibus haereticorum non ita pridem ereptae, opem, et operam Nostras magis implorare dignoscuntur, piosque catholicorum Principum conatus, atque desideria ad id tendentia favoribus, et gratiis prosequimur opportunis. Cum itaque concitata retroactis temporibus in Regno Bohemiae per principes, et potestates tenebrarum rebellione, furentibusque etiam armata haeresi seditionibus, bellisque intestinis, multa bona, et jura ecclesiastica partim direpta, et partim occupata, et usurpata fuerint, et ad praesens detineantur; Charissimus vero in Christo Filius Noster Ferdinandus Romanorum Rex in Imperatorem electus pro suo avito, et spectato religionis, ac Fidei Catholicae zelo, profligatis, auxiliante Domino Deo exercituum, rebellibus Haereticis, sedatisque armorum motibus, Fidei praefatae in dicto Regno, et illi adjacentibus Provinciis, bonorumque ecclesiasticorum restitutioni totis viribus incubuerit, et eorumdem haereticorum conversioni, haeresumque praefatarum extirpationi pia sollicitudine jugiter invigilet; Nos sperantes negotium restitutionis, extirpationis, et conversionis praefatarum eo faciliores progressus habiturum fore, quo major in Ecclesiarum, bonorum, et jurium possessionibus in dictis Regno, et Provinciis praeteritorum temporum hujusmodi confusione, ut praefertur, occupatis, usurpatis, et detentis, ne dum benignitas, et indulgentia ab hac Sancta Sede ostendatur, sed etiam indemnitati Ecclesiarum praefatarum, quantum in Domino possumus, consulatur; Nobisque persuadentes praefatum Ferdinandum Romanorum Regem in Imperatorem electum ob praeclaram ejus in Nos, et Sanctam Sedem observantiam, atque in reductione Regni, et Provinciarum hujusmodi ad ejusdem Ecclesiae gremium, et verae Fidei praefatae confessionem, Nostramque, et pro tempore existentis Romani Pontificis obedientiam, singulare studium, infrascripta facultate, tanquam materia suae pietatis exercendo usurum, eamque ostensurum tam in

Ecclesiis, Monasteriis, et locis piis, quae adhuc extant, conservandis, et manutenendis, quam dirutis, et eversis in dies instaurandis, occupatisque recuperandis, hisque sufficienter dotandis, ac reliquis denique vulneribus, quae eorumdem temporum confusione Ecclesiae ipsae maxima acceperunt, medendis, et sanandis, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotio Propagandae in universo mundo Fidei praepositorum consilio, dilecto Filio Nostro Ernesto Adalberto S. R. E. Presbytero Cardinali ab Harrach nuncupato Ecclesiae Pragensis ex concessione, et dispensatione Apostolica Praesuli, nec non Venerabili Fratri Joanni Baptistae Archiepiscopo Thessalonicensi Nostro, et Sedis praefatae apud eumdem Ferdinandum Regem in Imperatorem electum Nuncio, super bonis, decimis, primitiis, rebus, juribus, et actionibus quibuscumque ecclesiasticis Regni Bohemiae praefati, non tamen ad Hospitale S. Joannis Hierosolymitani quomodolibet spectantibus, cujuscumque qualitatis, quantitatis, et valoris fuerint, ac quocumque praetextu vel causa occupata, et usurpata sint, ac detineantur; tam Nostro, et ejusdem Sanctae Sedis, quam Cleri Saecularis, et Regularis ejusdem Regni nominibus, cum praefato Ferdinando Romanorum Rege in Imperatorem electo conveniendi, concordandi, et transigendi, ac de ejusdem bonis disponendi, prout ad Fidei Catholicae in eodem Regno propagationem, et manutentionem eisdem expedire visum fuerit: reservata tamen Nobis, et eidem Sedi de bonis, juribus, et redditibus vigore praesentium assignandis Nostro, et dictae Sedis arbitrio ad Dei servitium, ac Ecclesiarum dicti Regni utilitatem disponendi omnimoda facultate, et potestate; plenam, et liberam potestatem, et auctoritatem Apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus, et impartimur. Non obstantibus Nostris de unionibus committendis ad partes vocatis, quorum interest, et exprimendo valore beneficiorum, ac de non tollendo jure quaesito aliis Cancellariae Apostolicae regulis, nec non piae memoriae Symmachi, quae incipit = *Non liceat* = ac Pauli Secundi Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, ac quibusvis aliis Apostolicis, nec non in Universalibus, Provincialibus, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et ordinationibus, ac quarumcumque Ecclesiarum, Monasteriorum, et locorum piorum fundationibus, ac etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, et indultis, et litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die septima mensis Julii 1629. Ponti-

ficatus Nostri Anno Sexto. M. A. Maraldus = Et Illmi Domini D. Maximilianus Comes de Thautmansdorff Baro de Ghleichemberg, Negass, Burgass, et Totzenbach in Bischoffteimitz, Mischass, et Tschietzoossitz Sacrae Caesareae Majestatis Consiliarius Arcanus actualis, et Camerarius; Guilielmus quoque Comes Slavata Gubernator Domus Novodomensis de Klum, et Kosclemberg, Dominus in Heuhaus, Platz, Koschsemberg etiam, Teltsch, Hypothecarius possessor Dominii Melnicensis, praefatae Caesareae Majestatis Consiliarius Arcanus actualis, et Camerarius, ejusdemque uti Regis in haereditario Regno Bohemiae supremus Cancellarius, nec non supremus in eodem Regno haereditarius Pincerna, et Otho Liber Baro de Hostitz in Falchenass Heinrisgrin, et Schocha, et Linass supradictae Caesareae Majestatis Consiliarius Imperialis, Aulicus Camerarius, nec non Germanicus in haereditario Regno Bohemiae Vicecancellarius, ex altera partibus ad haec, et infrascripta ab eadem Sacra Caesarea Majestate Serenissimi Ferdinandi Imperatoris, et Regis per publicum mandatum, seu patentes Litteras Imperiales sub Dat. Viennae die 16. Februarii anno 1630. Regnorum ejusdem Romani undecimo, Hungarici duodecimo, et Bohemici decimotertio, cum amplissima facultate pariter deputati, prout similiter docuerunt per publicum mandatum, seu Litteras Imperiales antedictas, quod, seu quas Nobis etc. ad effectum praesenti Instrumento inserendi, et registrandi tradiderunt, et consignarunt, tenoris infrascripti, videlicet:

Nos Ferdinandus Secundus divina favente clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, et Sclavoniae Rex, Archidux Austriae, Dux Bugundiae, Marchio Moraviae, Dux Luxemburgi, ac inferioris, et superioris Silesiae, Brabantiae, Styriae, Carinthiae, Carniolae, Wirtembergae, et Theckae, Princeps Sveviae, Marchio inferioris, et superioris Lusatiae, Comes Habspurgi, Tyrolis, Ferrettis, Kyburgi, et Goritiae, Lantgravius Alsatiae, Marchiae Sclavonicae, Portus Naonis, et Salinarum, recognoscimus, et notum facimus tenore praesentium omnibus, et singulis, inter mala, quae plurima secum vehit haeresis, hoc ei in primis adesse solere compertum, quod ubi ea invaluit, ibi pleraque quidem alia agi omnia fierique praepostere, ea vero, quae Deo, et Ecclesiis, earumque Ministris ad veri cultus consecrationem data, et consecrata sunt, in omnes alios usus rapi, ferrique, et profanari solent. Veluti superiore, et proximo, eoque, quod illud antecessit, saeculo in haereditario nostro Bohemiae Regno accidit, in quo cum partim aliunde illati, partim in ejus ipsius gremio nati, altique perniciosi quidem in Fide errores inolevissent, ea cum ipsis fere omnium rerum confusio, Ecclesiarum vero quam maxime, et rerum ad eas pertinentium direptio, alienatio, et distractio insequuta est, cui plures An-

tecessorum nostrorum Romanorum Imperatorum, eorumdemque Bohemiae Regum, tametsi pro sua in Deum pietate remederi voluisse, admodum sit credibile, non potuisse tamen, ex eo fit verisimile, quia quod voluisse credimus, non perfecisse videmus, iniquitate nimirum hominum temporumque, nec non bellorum necessitatibus impeditos; immo forte similibus interdum alienationis actibus, quae perperam ab aliis facta, approbare coactos. Nos igitur, quibus gloriosa a Deo concessa victoria, praedictum haereditarium Regnum nostrum ab haeresibus purgare, et in meliorem statum vindicare datum est, tametsi eodem favente, et auxiliante Deo ea gesserimus, quibus sancta, solaque salvifica Catholica Religio nostra tuta in hoc Regno esse possit, tametsi etiam, ut in alios ejusdem Regni ordines, ita in ecclesiasticum praecipue statum eximia tum beneficia, tum ornamenta liberali, et larga manu contulerimus, quibus Ille si non contentus esset, certe suum per injuriam temporum amissorum dolorem abunde solari possit; nihilominus, cum nihil nobis antiquius sit, quam ea procurare, et agere, quibus non ipsi tantum Nos, nostrique in haereditario nostro Bohemiae Regno haeredes, et successores quicumque in perpetuum liberiores in conscientia, verum in foro etiam externo contra lites, et querelas super bonis, et juribus hujusmodi per injuriam temporom, ut praefertur, ab Ecclesia abstractis, et avulsis motas, vel movendas, quietiores esse possimus, possessorum quoque, qui ea nunc tenent, omnimodae securitati contra quorumcumque possidentium actiones consulere volentes, tum et culpam, siqua hac in re contracta est, omnimode abolere cupientes; in primis vero, ac praecipue ad majus incrementum praefatae Sanctae Catholicae Fidei, et Religionis nostrae transactionem firmam, securam, et perpetuam super bonis, et juribus ejusmodi faciendam, et consulendam duximus. Ac proinde communicata cum Sanctissimo Domino Nostro Urbano hujus nominis Octavo, divina providentia Sanctae Romanae, et universalis Ecclesiae Summo Pontifice hac super re, et intentione nostra, consilio, intellectaque propensa ad hoc ipsum, et pia Suae Sanctitatis voluntate, sicut eadem Sua Sanctitas ad hoc negotii tractandum, et transigendum ex sua parte Plenipotentiarios, Mandatarios, et Commissarios suos jam tum sub Dat. Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die septima Julii Anno millesimo sexcentesimo vigesimo nono constituit; ita Nos quoque, matura prius habita cum Proceribus, et Nobilibus Consiliariis nostris hac super re deliberatione, ex nostra parte, tamquam haereditarius Bohemiae Rex nostro, et haeredum, ac successorum nostrorum quorumcumque in perpetuum in eodem Regno Bohemiae nomine Plenipotentiarios nostros illustres, ac generosos, fideles, nobis dilectos, videlicet Consiliarium Arcanum actualem, ac Camerarium nostrum Maximilianum Comitem de Thautmansdorff Baronem de Gleichemberg Negass, Burgass, et Totzenbac in Bis-

coffteimitz, Mirschass, et Tschcetziossitz, Guilielmum quoque Comitem Slavata, Gubernatorem Domus Novodumensis de Klum, et Koscheberg, Dominum Neuhaus, Platz, Koschemberg, et Teltsech, Hypothecarium possessorem Dominii Melnicensis Consiliarium Arcanum, actualem Camerarium, nostrumque ut Regis in haereditario Regno nostro Bohemiae supremum Cancellarium, nec non supremum quoque in eodem Regno haereditarium Pincernam, tum et Othonem Liberum Baronem de Hostiz in Falkenaw, Heinrisgrin, et Schocha, et Linaw Consiliarium Imperialem, nostrum Aulicum Camerarium, nec non Germanicum in haereditario nostro Regno Bohemiae Vicecancellarium deputare, et constituere voluimus, prout ideo praesentium tenore eosdem Plenipotentiarios, Mandatarios, et Commissarios nostros deputamus, atque constituimus, plenam, atque liberam potestatem iisdem dantes, atque concedentes, nostro tamquam Bohemiae Regis, nostrorumque haeredum, et successorum quorumcumque in perpetuum nomine, cum praefatis Suae Sanctitatis Plenipotentiariis conveniendi, concordandi, et transigendi, de et super juribus, actionibus, et praetensionibus, quae, et quas Clerus tam Saecularis, quam Regularis praedicti nostri Regni Bohemiae habet, seu habere praetendit super bonis stabilibus, decimis, primitiis, aliisque rebus ecclesiasticis in eodem Regno usurpatis, occupatis, seu alienatis, nec non pro cessione jurium, actionum, et praetensionum vigore conventionis, concordiae, seu transactionis, ut praefertur, ab iisdem Plenipotentiariis nomine Sanctissimi Domini Nostri, et Sanctae Sedis Apostolicae, universique dicti Regni Cleri recipiendae, et in illorum compensationem bona quaecumque etiam stabilia, jura, actiones, redditus, ac proventus, cujuscumque naturae, valoris, quantitatis, et qualitatis fuerint, quocumque nomine nuncupentur, etiamsi ex regalibus, ac quantumvis privilegiata, et necessario declaranda, seu hic, vel alibi exprimenda forent, pleno jure etiam irrevocabiliter, et in perpetnum Sanctissimo Domino Nostro Papae Urbano Octavo, et Sanctae Sedi Apostolicae, ac pro illis Plenipotentiariis a Sua Sanctitate, ut praefertur, nominatis, et deputatis in beneficium Ecclesiae, et solius salvificae Catholicae Religionis, universique Cleri in supradicto haereditario nostro Regno Bohemiae cedendi, consignandi, atque tradendi realiter, et cum effectu in ampliori, et validiori forma, ratum, gratumque, et firmum habituri, quidquid hi praenominati Plenipotentiarii nostri nostro, et haeredum, ac successorum nostrorum quorumcumque in perpetuum in eodem Regno, nomine, cum praememoratis Suae Sanctitatis Plenipotentiariis hoc in negotio, et dicta transactionis causa egerint, fecerint, concordaverint, transegerint in toto, et in parte, nunc pro tunc, et tunc prout tunc, non secus, quam si id totum ipsimet Nos per nosmetipsos egissemus, fecissemus, accordassemus, et transegissemus, quibuscumque salutaribus exceptionibus juris, ac

legum auxilio Nobis hac de causa competentibus expresse renunciantes, Fide Imperatoria, Regiaque, harum vigore, et testimonio litterarum manus nostrae subscriptione, et sigilli Caesarei Regiique appensione roboratarum, quae dabuntur in Civitate nostra Viennae die 16. Februarii Anno 1630. Regnorum Nostrorum Romani XI. Hungarici XII. et Bohemici XIII. Ferdinandus etc. Guilielmus Comes Slavata Regni Bohemiae supremus Cancellarius (L. S.), Otho Liber Baro de Hostitz. Ad mandatum Sacrae Caesareae Majestatis proprium, Johannes Valderode. =

Volentes ad infrascriptam conventionem devenire, et prout ad unumquemque ipsorum dictis nominibus, et uti deputatos spectat, et pertinet in praemissis tractata exequi, et adimplere, et desuper publicum, et solemne instrumentum ad perpetuam rei memoriam conficere, et celebrare: in primis dicti Illustrissimi Domini D. Maximilianus Comes de Thautmansdorff etc. D. Guilielmus Comes Slavata etc., et D. Otho Liber Baro de Hostitz etc. deputati Serenissimi Domini Ferdinandi Imperatoris, et Regis praefati in vim facultatis sibi ut supra concessae, et attributae, nomine dicti Serenissimi Domini Ferdinandi Imperatoris, et Regis Bohemiae, et praefatorum suorum in Regno Bohemiae haeredum, et successorum quorumcumque in perpetuum ex causa pariter dictae conventionis, ut supra, tractatae, initae, atque firmatae sponte, et ex eorum certa scientia, liberaque, et spontanea voluntate, et omni meliori modo etc. jure proprio, et in perpetuum realiter, et cum effectu assignarunt, dederunt, tradiderunt, cesserunt, atque concesserunt Sanctissimo Domino Nostro Urbano Papaè Octavo, ac Sanctae Sedi Apostolicae in beneficium Ecclesiae, ac solius salvificae Religionis Catholicae, universique Cleri in saepedicto haereditario Regno Bohemiae, et pro eodem Sanctissimo Domino Nostro, ac Sancta Sede Apostolica dictis Illm̃o, ac Rm̃o Domino D. Ernesto S. R. E. Cardinali ab Harrach Archiepiscopo Pragensi, ac Illm̃o, et Rm̃o Domino D. Joanni Baptistae S. R. E. Cardinali Pallotto, Archiepiscopo Thessalonicensi, et Nuncio Apostolico apud Sacram Caesaream Majestatem Plenipotentiariis a Sanctitate Sua, ut supra nominatis, et deputatis praesentibus, ut una nobiscum Notariis in solidum rogatis uti publicis, et authenticis personis solemniter, et legitime stipulantibus, et acceptantibus pro omnibus, quorum interest, vel in futurum quomodolibet interesse poterit, annuum perpetuum redditum quindecim Cruciferorum, qui quartam partem floreni rhenensis constituant, super quolibet modio salis, quem vulgo *grosskueffen* vocant, in dictum Bohemiae Regnum ex quacumque parte introducendi, vel in ipso Bohemiae Regno effodiendi, vel excoquendi, aut quomodolibet conficiendi, si quando salis fons, seu salina in dicto Bohemiae Regno in usum veniat, in favorem Ecclesiasticorum praefatorum, ac per Ministros, et Officiales eorum nomine deputandos a praedictis

Kalendis praesentis mensis Martii, et abinde in posterum perpetuo, et libere exigendum. Item cesserunt eidem Sanctissimo Domino Nostro Papae, ac Sanctae Sedi Apostolicae, ac pro illis praedictis Dominis Plenipotentiariis, ut praefertur, qua supra stipulatione interveniente, omnia jura etc. ad habendum etc. ponentes etc. constituentes etc. dantes licentiam etc. et donec etc. constituerunt etc. Promittentes iidem Illmi Domini Deputati nomine dicti Serenissimi Domini Ferdinandi Imperatoris, et Regis nomine suo, suorumque in dicto haerditario Bohemiae Regno haeredum, et successorum quorumcumque in perpetuum assignationem, et concessionem praefatam hujusmodi fore semper bonam, validam, atque firmam, et non revocare, retractare, moderari, minuere, impugnare, vel impedire per se, vel alium, seu alios in toto, vel quavis parte, quovis quaesito colore, praetextu, causa, vel ingenio, directe, vel indirecte, quinimo semper, et omni tempore eosdem Ecclesiasticos, Ministros, et Officiales, ut praefertur, deputandos in libera, pacifica, et quieta possessione, exactione, et perceptione dicti annui redditus manutenere, defendere, et conservare, ac ab omni, et quacumque lite, molestia, et impedimento, et qualibet molestante, et impediente persona, Communi, Collegio, et Universitate, defendere, eximere, et liberare, ac de omni, et quacumque evictione, et defensione generali, et particulari dicti annui redditus in amplissima juris forma. Vicissim vero praedictus Illmus, et Rmus Dominus Ernestus Presbyter Cardinalis de Harrach Archiepiscopus Pragensis, et Illmus, ac Rmus Dominus Joannes Baptista Presbyter Cardinalis Pallottus Archiepiscopus Thessalonicensis Nuntius Apostolicus a Sanctissimo Domino Nostro Papa antedicto, ut praefertur, deputati, in vim facultatis eis, et eorum cuilibet, ut praefertur, concessae, et attributae, ac ex causa praesentis conventionis inter partes contractae, initae, atque firmatae, sponte, et ex eorum certa scientia, liberaque, atque spontanea voluntate, ac omni meliori modo etc. nomine, ac vice SSmi Domini Nostri Papae praedicti, Sanctaeque Sedis Apostolicae, nec non Ecclesiasticorum tam Saecularium, quam Regularium dicti Regni Bohemiae quorumcumque, non tamen Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, cum infrascriptis tamen observationibus, declarationibus, conditionibus, et pactis, et non alias, aliter, nec alio modo cesserunt, concesserunt, et transtulerunt praedicto Serenissimo Ferdinando Secundo Regi Romanorum in Imperatorem electo uti Regi Bohemiae, et illius in eodem Regno haereditario Bohemiae haeredibus, et successoribus Catholicis legitime intrantibus, et quibus dederint, dictis Illmis Dominis D. Maximiliano Comiti Thautmansdorff etc., Domino Guilielmo Comiti Slavata etc., et Domino Othoni Libero Baroni de Hostitz etc. a Serenissimo Domino Ferdinando Imperatore uti Rege Bohemiae, suisque in eodem Regno Bohemiae haeredibus, et successoribus, ut praefertur, una

nobiscum Notariis in solidum rogatis, uti publicis, et authenticis personis solemniter, et legitime stipulantibus, et acceptantibus, omnia, et singula jura, et actiones etc. quae et quas Ecclesiastici praefati Regni Bohemiae tam Saeculares, quam Regulares habent, et eis competunt, et competere possunt super bonis ecclesiasticis ejusdem Regni quocumque tempore alienatis, quae ad praesens possidentur, vel ab eodem Imperatore, et Bohemiae Rege, vel ab aliquo alio, sive Bohemo, sive alterius Provinciae, cui Rex, aut Regia Camera Bohemiae de evictione tenentur, talia tamen qualia sunt, actiones, et jura praefata, ita ut contra cedentes, et ecclesiasticos praefatos, et seu Apostolicam Sedem numquam retorqueri possint, nec dicta Sedes, aut ipsi Ecclesiastici pro illis de aliqua evictione, aut defensione, vel ad aliquod aliud teneantur. Item simili modo etc. cesserunt etc. omnia, et singula jura, et actiones, quae, et quas Ecclesiastici praefati habent, et eis competunt, et competere possunt contra quamcumque personam, Commune, Collegium, et Universitatem respectu bonorum ecclesiasticorum dicti Regni ante regimen in eodem Regno gloriosae memoriae Rodulphi Secundi Imperatoris, et ejusdem Bohemiae Regis alienatorum, quorum possessoribus Rex Bohemiae, vel Regia Camera dicti Regni de evictione non tenentur, talia tamen qualia sunt, actiones, et jura praefata, ita ut contra cedentes, et Ecclesiasticos praefatos, et seu Apostolicam Sedem numquam retorqueri possint, nec dicta Sedes, aut ipsi Ecclesiastici pro illis de aliqua evictione, et defensione, aut ad aliquod aliud teneantur, ac ita etiam, ut ipse Serenissimus Dominus Ferdinandus Imperator, et Bohemiae Rex, ejusque in dicto Bohemiae Regno haereditario haeredes, et successores dictorum bonorum possessoribus, si Catholici fuerint, super dictis bonis ab eis possessis non possint aliquas inferre molestias vigore hujusmodi cessionum, et in reliquis ad habendum etc. ponentes etc. nullo jure etc. constituentes etc. dantes licentiam etc. et donec etc. constituerunt etc. Praedicta autem omnia, et singula ambae partes contrahentes, quibus supra nominibus, fecerunt, et facere dixerunt, et declararunt etiam sub modo, et forma, et sub reservationibus, conditionibus, declarationibus, et pactis infrascriptis mutua, et qua supra hinc inde stipulatione vallatis, et non alias, neque alio modo, nimirum, et cum hujusmodi cessionibus, in posterum idem Imperator uti Bohemiae Rex, ejusque in eodem Regno Bohemiae haeredes, et successores praedicti, et ab eis jus, et causam habentes, seu habituri similiter Catholici a bonorum in supradicta cessione, seu cessionibus compraehensorum, et fructuum ex eis perceptorum quorumcumque restitutione in utroque foro tuti, et securi reddantur. Ut hujusmodi cessiones intelligantur de juribus, et actionibus, quae praedictis Ecclesiasticis competunt respectu bonorum ecclesiasticorum immobilium, annuarum praestationum, decimarum, censuum, livellorum, emphy-

teoseum, et aliarum rerum similium, ut supra, alienatarum, non autem aliorum quorumcumque jurium, privilegiorum, immunitatum, et praerogativarum praefatis Ecclesiasticis quomodolibet competentium, nam ista intacta, salvaque, et illaesa ipsis Ecclesiasticis reservantur, ita ut illis per hujusmodi cessiones nullum fiat, seu factum censeatur quocumque modo aliquod praejudicium. Ut ad favorem Ecclesiasticorum praefatorum intelligantur etiam reservata omnia, et singula jura, et actiones quae, et quas Ecclesiastici habent, et quae ipsis competunt super bonis ecclesiasticis post praefatum Rodulphi Secundi regimen alienatis, dummodo eorum possessores actionem non habeant de evictione contra Cameram Regiam, seu Bohemiae Reges. Ut similiter Ecclesiasticis praefatis reservata intelligantur omnia jura, et actiones eis super bonis ecclesiasticis quocumque tempore etiam ante ejusdem Rodulphi regimen oppignoratis quomodolibet competentia, et quae competere possunt, et poterunt; dummodo possessores non habeant contra eosdem Reges Bohemiae, vel Cameram Regiam praefatam actionem de evictione, vel si illam habuerint, Ecclesiastici ipsi soluta pecunia, ob quam fuerunt oppignorata, susceptisque in se molestiis, possint illa libere recuperare. Ut assignatio praefati annui redditus salis mutari, seu revocari non possit, neque per eumdem Imperatorem, neque per ejus in Regno Bohemiae haeredes, et successores quosvis in perpetuum, nec per ejusdem Regni Status, quovis praetextu, vel causa, nisi prius cum Sanctae Sedis, ac Romani Pontificis pro tempore existentis auctoritate, et approbatione, eorumdemque Ecclesiasticorum consensu assignatis tot aliis bonis immobilibus, frugiferis, liberis, quae annuatim tantum reddant, quantum praefata assignatio quindecim Cruciferorum super quolibet modio salis, ut supra, in Regnum introducendi, aut alias quomodolibet effodiendi, excoquendi, aut conficiendi redderet florente Regno. Ut redditus annuus praefatus ex sale habendus in favorem dictorum Ecclesiasticorum, ut praefertur, assignatus ad manus Officialium nomine eorumdem Ecclesiasticorum deputandorum, modo eis bene viso, non autem ad manus Officialium regiorum, aut aliorum deveniat, et devenire debeat, illisque jus sit inquirendi, et providendi, ne quid in fraudem dicti annui redditus unquam fiat. Ut praedictus redditus salis in favorem Ecclesiasticorum, ut praefertur, assignatus intelligatur esse, et sit merus ecclesiasticus, et iis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, praerogativis potiatur et gaudeat, quibus de jure, et consuetudine, vel alias quomodolibet bona mere ecclesiastica potiuntur, et gaudent. Ut conventio, assignatio, aliaque omnia in praesenti instrumento contenta quaecumque in tabulis, ut vocant, dicti Regni inserantur, juxta ejusdem Regni stylum, et usum. Utque hujusmodi conventio pro non facta habeatur, casu quo Imperator, vel ejus in Regno Bohemiae haeredes, et successores, vel quilibet eo-

rum, vel etiam ejusdem Regni status in totum, vel in parte, eidem conventioni, vel aliquibus in praesenti instrumento contentis contrafecerint, aut contra illam, vel illa venerint: sit nihilominus in eo casu in Sanctae Sedis Apostolicae electione, vel eamdem conventionem, et in ea, praesentique instrumento contenta nulla declarare, vel ut ad illius, et illarum implementum agant, Ecclesiasticis jubere. Quae omnia, et singula supradicta contrahentes praefati, quibus supra nominibus, promiserunt invicem, et vicissim solemni, et qua supra stipulatione interveniente, semper, et omni tempore, et etiam in omnibus, et singulis articulis, modoque, et forma praemissis habere grata, valida, et firma, attendereque, et inviolabiliter observare, et contra quidquam non facere, dicere, vel venire de jure, vel de facto per se, vel per alium, seu alio quovis praetextu, jure, ratione, vel causa, seu quaesito colore, directe, vel indirecte, alias ultra praecisam promissorum, et conventorum omnium, et singulorum observationem, ad quam quaelibet pars contraveniens, seu contrafaciens praecise cogi possit, teneri etiam voluit una pars ad alteram, et altera ad alteram, ad omnia, et singula damna, expensas, et interesse per partem observantem quomodolibet patienda, et incurrenda, de quibus stetur etiam ejus simplici assertioni, absque onere alterius probationis. Pro quibus omnibus, et singulis firmiter, et inviolabiliter observandis, tenendis, et adimplendis praefati Illmus, et Rmus Dominus Ernestus Cardinalis ab Harrach Archiepiscopus Pragensis, et Illmus, ac Rmus Dominus Johannes Baptista Cardinalis Pallottus Archiepiscopus Tessalonicensis, ac Nuncius Apostolicus a Sanctissimo Domino Nostro Papa, ut praefertur, deputati Ecclesiasticos omnes, et singulos Regni Bohemiae, ac bona omnia, et singula, introitus, et jura quaecumque ecclesiastica dicti Regni; praefati vero Illmi Domini D. Maximilianus Comes de Thautmansdorff etc., Dominus Guillelmus Comes Slavata etc. et D. Otho Liber Baro de Hostitz etc. a Serenissimo D. Ferdinando Imperatore, et Bohemiae Rege praefato deputati, eumdem Serenissimum D. Ferdinandum Imperatorem, et Bohemiae Regem, ejusque in dicto Bohemiae Regno haeredes, et successores quoscumque in perpetuum, ac Regiam ejusdem Bohemiae Cameram, et omnia, et singula ejusdem Camerae bona, introitus, et jura quaecumque etiam in forma quarantigiae, et quavis alia etiam strictiori, et etiam sub verbo Principum, aliis clausulis, renunciationibus, et cautelis solitis, et consuetis efficaciter, et validissime obligarunt, et hypothecarunt, et quilibet eorum, prout ad unumquemque ipsorum dictis nominibus spectat, et pertinet, obligavit, et hypothecavit etiam omni meliori modo etc., et ita per dictos Illmum, et Rmum Dominum Ernestum Cardinalem ab Harrach Archiepiscopum Pragensem, et Illustrissimum, et Rmum D. Johannem Baptistam Cardinalem Pallottum Archiepiscopum Tessalonicensem, et Nuncium Apostolicum me-

re Cardinalium tactis pectoribus, et per dictos Illmos Dominos D. Maximilianum Comitem de Thautmansdorff etc., D. Guillelmum Comitem Slavata etc. et D. Othonem Liberum Baronem de Hostitz etc. tactis Scripturis ad Sacrosancta Dei Evangelia jurarunt, super quibus etc. Act. Viennae Austriae in Aedibus praefati Illmi, et Rmi D. Cardinalis ab Harrach, praesentibus itidem Perillustribus, ac admodum Reverendis Dominis D. Josepho Curtio Cremonen. Dioecesis, et Octavio Ridolfucio Camerinen., testibus ad praemissa specialiter habitis, adhibitis, vocatis, et rogatis. Et quia Ego Julius Picca U. J. D. apostolica auctoritate Notarius, ac Illmi, et Rmi Domini Cardinalis Pallotti Nuncii Apostolici antedicti Cancellarius de praefatis in solidum una cum infrascripto Domino Ascanio de Strasoldo Notario etc. rogatus extiti, ideo in omnium, et singulorum fidem me subscripsi, ac solitum meum signum apposui requisitus etc. Et quia ego Ascanius de Strasoldo Notarius publicus Apostolicus, et Imperialis, ac Judex ordinarius, de praefatis in solidum una cum supradicto D. Julio Picca U. J. D. ac Notario, et Cancellario, ut supra rogatus extiti; Ideo in omnium, et singulorum fidem me subscripsi, ac solito meo tabellionatus signo munivi requisitus.

Nos inviolabili praeinserti Instrumenti hujusmodi, ac in eo contentorum quorumcumque validitati perpetuae, subsistentiae, et observationi, quantum Nobis ex alto conceditur, consulere volentes, de eorumdem Cardinalium negotio Propagandae in universo Mundo Fidei praepositorum consilio, conventionem, sive transactionem, ac desuper confectum praeinsertum Instrumentum hujusmodi, omniaque, et singula in eo contenta apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus, et confirmamus, illisque perpetuae, et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos tam juris, quam facti, ac solemnitatum quarumcumque de jure, usu, stylo, et consuetudine requisitarum, et necessariarum, ac omissarum, et quosvis alios, et quantumvis substantiales defectus, si qui principaliter, vel accessorie in praemissis, aut eorum aliquo, quomodolibet intervenerint, aut intervenisse dici, vel praetendi possent, supplemus, tollimus, et abrogamus. Decernentes praemissa omnia, et singula, ac praesentes literas valida, firma, et efficacia existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac omnibus, quos concernunt, et concernent quomodolibet in futurum, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab omnibus, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, et adimpleri: sicque ab omnibus censeri, et ita per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, dictaeque Sedis Nuncios judicari, et definiri debere: ac irritum, et inane, quidquid secus super his a quoquam scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis,

nec non quorumvis Ecclesiarum, Monasteriorum, Conventuum, et locorum piorum, illorumque Ordinum, et quibusvis aliis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et Literis Apostolicis illis, eorumque Praesulibus, Superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, et expressa mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorumque omnium, et singulorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 5. mensis Martii 1633. Pontificatus Nostri Anno decimo.

M. A. Maraldus.

Praecipit ut nulli Religioso cujuscumque Ordinis, praeter Carmelitas, in Montem Carmelum se recipere, habitare etc. liceat.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Circumspecta Sedis Apostolicae providentia Religiosorum, qui obliti populum suum, et domum patris sui divini numinis obsequiis se manciparunt, votis Catholicae fidei propagationem, et divini cultus augmentum concernentibus libenter annuit, eaque favoribus prosequitur opportunis. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii Praepositus Generalis, et Fratres Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo Discalceati nuncupati Congregationis Sancti Eliae, quod dicti Fratres in legitima possessione Montis Carmeli praedicti existunt. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, Praepositus Generalis, et Fratres praedicti possessionem hujusmodi suae Religioni, ita ut sine speciali nostra, seu hujus Sanctae Sedis licentia nulli alterius Religionis Religioso in eodem Monte habitare, vel locum habere liceat, apostolica auctoritate confirmari summopere desiderent; Nobis propterea iidem Praepositus Generalis, et Fratres humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dictos Praepositum Gene-

ralem, et Fratres specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Propagandae in universum Mundum fidei Catholicae praepositorum, possessionem praedictam eisdem Praeposito, et Fratribus apostolica auctoritate tenore praesentium, ita quod nulli Religioso cujuscumque alterius Religionis, aut Congregationis, seu Instituti liceat in dictum Montem se recipere, ibique habitare, vel locum habere sine speciali Sedis praedictae licentia, apostolica auctoritate tenore praesentium confirmamus. Decernentes, praesentes literas validas, firmas, et efficaces existere, et fore, primodictaeque Religioni plenissime suffragari, sicque per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et diffiniri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 3. Decembris 1633. Pontificatus Nostri Anno undecimo.

M. A. Maraldus.

Approbat erectionem scholarum, introductionem Monachorum S. Basilii in easdem scholas, necnon reddituum, et aedificiorum assignationem per Methodium Episcopum Chelmen. et Belzen. in civitate Chelmensi factas.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex in Supremo Ecclesiae militantis solio divina dispositione constitutus etc. Exponi siquidem nobis nuper fecit Ven. Fr. Methodius Episcopus Chelmen., et Belzen. cum Sancta Romana Ecclesia unitus, quod alias ipse pro gentis Royolanae in sacris, et humanioribus litteris instructione, de consensu Ven. Fr. Raphaelis Achiepiscopi Kyovien. etc. scholas latinarum humaniorum, et his Superiorum litterarum in civitate, et sui Diaecesi Chelmensi erexit, et fundavit, ac dotavit, et pro dictae gentis institutione aliquot personas Ordinis S. Basilii, doctrina, ac vitae, et morum honestate conspicuas, cum eorum Superiorum licentia, et permissu in easdem

scholas introduxit, nec non aedificia illarum usui, et commodae mansioni, ac alia aedificia pro scholis, et studiis apta penes Ecclesiam Cathedralem Chelmen. sub titulo Nativitatis Beatissimae Virginis Mariae assignavit, certis ad id per eumdem Methodium Episcopum attributis redditibus suae Mensae Episcopalis, et alias prout in scripturis desuper confectis plenius dicitur contineri. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, demtis redditibus ad praemissa ex praedicta Mensa Episcopali applicatis remaneant ad minus mille scutata monetae Romanae annua pro Episcopo libera, et propterea idem *Methodius Episcopus praemissaque firmius subsistant et Apostolicae nostrae Confirmationis patrocinio communiri summopere desideret.* Idcirco nos eumdem Methodium Episcopum specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes etc. supplicationibus illius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, erectionem, et fundationem scholarum suarum, *et introductionem Monachorum dicti Ordinis* in easdem scholas, nec non reddituum, et aedificiorum assignationem, ut praefertur, respective per eumdem Methodium Episcopum factas, et desuper confectas scripturas, quatenus praemissa concernunt, Apostolica auctoritate tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiicimus etc. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 16. Januarii 1634. Pontificatus Nostri anno duodecimo.

M. A. Maraldus.

Concedit Italo-Graecis Casalis S. Martini Bisignanen. facultatem transeundi ad ritum latinum.

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater salutem et Apostolicam Benedictionem.

Nuper pro parte dilectorum Filiorum Italo-Graecorum Casalis Sancti Martini Bisignanen. Diaecesis nobis expositum fuit, quod ipsi qui, ut asserunt, ritu-graeco vivunt ab hujusmodi ritu graeco ad ritum latinum transire summopere desiderant. Quare Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut ipsis in praemissis de opportuna licentia de benignitate Apostolica providere dignaremur. Nos igitur dictorum Italo-graecorum votis quantum cum Deo possumus annuere, ipsosque specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad

effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutos fore censentes eorum supplicationibus inclinati; de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei Catholicae praepositorum consilio sibi Italo-graecos Casalis hujusmodi praedicti, si praevia matura deliberatione, et sponte omnes praedicti hoc a te petierint, vel quilibet ipsorum postulaverit, quod a ritu graeco ad latinum ritum libere et licite transire possit, et valeat, auctoritate Apostolica concedendi, et indulgendi eosdemque, et quemlibet ipsorum ad ritum latinum hujusmodi accipiendi, et admittendi dicta auctoritate tenore praesentium facultatem concedimus et impertimur, non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 14. . . . . 1634. Pontificatus Nostri Anno duodecimo.

M. A. Maraldus.

Tabellionibus a Metropolita Russiae ejusque Suffraganeis Episcopis creatis concedit, quod ipsi eamdem, quam Tabelliones auctoritate Apostolica creati, facultatem habeant.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Ut penuriae Tabellionum Apostolica auctoritate creatorum, in partibus Russiae facilius subveniri valeat, supplicationibus Venerab. Fratris moderni Metropolitae Russiae, suo et suorum Episcoporum Suffraganeorum nominibus, nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotio Propagandae Fidei Catholicae per universum orbem praepositorum consilio, omnibus et singulis Tabellionibus, a dicto Metropolitano ejusque suffraganeis Episcopis creatis, et in futurum creandis, quod ipsi eamdem quam Tabelliones auctoritate Apostolica creati, pro necessitate tamen, et usu Metropolitanae et Cathedralium Ecclesiarum dictae Metropoliae subjectarum tantum, facultatem habeant. Ita et in authenticandis instrumentis, et scripturis per eos conficiendis vel approbandis sese uti Tabelliones Apostolica auctoritate facti, subscribere, libere et licite possint, et valeant, Apostolica auctoritate concedimus, et indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die vigesima Augusti 1635. Pontificatus Nostri Anno decimotertio.

Praefecto Missionis Regnorum Marochii facultatem impertitur recipiendi etc. Testamenta, Codicillos, Contractus Christianorum Captivorum.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Ex debito pastoralis officii Nobis ex alto commisso Christianorum Captivorum Missionis Regnorum Marochii, et Jesse indemnitatibus quantum cum Domino possumus providere volentes, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotio propagandae Fidei praepositorum consilio, Praefecto Missionum in Regnis praedictis nunc, et pro tempore existenti, contractus, Testamenta, et Codicillos Christianorum Captivorum hujusmodi nunc, et pro tempore existentium, in praesentia saltem duorum Testium Christianorum et Captivorum recipiendi et de illis se rogandi, ac denique attestationes necessarias, et opportunas, quibus attestationibus manu ejusdem Praefecti subscriptis plena fides tam in judicio quam extra judicium adhibeatur, et adhiberi debeat, non obstante quod non sint in eis servatae solemnitates loci in quo contractus, Testamenta, et Codicilla hujusmodi facta fuerint, faciendi, Apostolica auctoritate tenore praesentium facultatem concedimus et impertimur, cum eodem Praefecto nunc, et pro tempore existenti, ut licet cujusvis ordinis Regularis Professor existat, nihilominus contractus, Testamenta, et Codicillos hujusmodi in dictis Regnis dumtaxat, ac modo, et forma praescriptis recipere, ac de illis se rogare, attestationesque praescriptas facere libere, et licite possint, et valeant, eisdem auctoritate et tenore dispensamus. Non obstantibus Constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, legibus quoque et municipalibus, nec non quorumvis Ordinum Regularium et juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis, statutis, et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 3. Novembris 1637. Pontificatus Nostri Anno decimoquinto.

Sex millia duplarum Hispanicarum a quadem muliere natione Gallia relicta, Ecclesiae Bagdatensi adsignat, ac praeterea decernit dictae Ecclesiae praesulem in Gallia natum esse debere.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Super universas Orbis Ecclesias, Eo disponente qui cunctis imperat, et cui obediunt omnia, meritis licet imparibus constituti, ad ea per quae Ecclesiae praefatae praesertim Cathedrales sub Infidelium potestate existentes competentibus redditibus pro illarum oneribus supportandis, et congrua earum Praesulum sustentatione communiri valeant, ut illis praeficiendi eo alacrius jugum Domini, et Ecclesiarum hujusmodi curam ac regimen suscipiant, cum se etiam temporibus ad id auxiliis suffultos senserint libenter intendimus, et Christifidelium facultati sua ad hoc benigne erogantium vota pii Patris affectu promovemus, specialibus favoribus et gratiis confovemus. Cum itaque, sicut accepimus, quaedam mulier natione Gallia pro Catholicae Fidei propagandae zelo ducta e bonis sibi ab Altissimo elargitis, sex millia duplarum Hyspanicarum ad Urbem transmissa alicui ex Ecclesiis sub Infidelium potestati existentibus arbitrio nostro designandae pro Ecclesiae hujusmodi doti, et congrua illius praesulis sustentatione per nos perpetuo applicari desideret. Nos pium ejusdem mulieris desiderium plurimum in Domino commendantes, ipsamque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis etc. de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotio propagandae fidei praepositorum consilio dicta sex duplarum Hyspanicarum millia in tot locis montium Urbis praefatae non vacabilium, ut infra investienda, Ecclesiae Bagdatensi seu Babilonensi in Persia, ad praesens, Pastoris solatio ut pariter accepimus destituta, pro illius dote et pro tempore futuri Episcopi Bagdatensis seu Babilonensis in Persia, qui quidem in Gallia natus semper esse debeat, et apud Ecclesiam hujusmodi personaliter residere sub poenis contra Episcopos non residentes inflictis et comminatis omnino teneatur sustentatione. Ita ut liceat ipsi Episcopo dictarum sex millium duplarum, sive locorum montium inde emendorum fructus, redditus, et proventus aliaque emolumenta quaecumque inde quomodolibet provenientia percipere, exigere, levare, ac in suos usus et utilitatem convertere nullius licentia desuper requisita, Apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo applicamus et appropriamus etc. Insuper eidem mulieri, pro hac vice dumtaxat; deinceps autem perpetuis futuris temporibus quoties quandocumque et quomodocumque dictam Ecclesiam Bagdatensem sive Babilonensem vacare contigerit, Venerabilibus fratribus

Nostris praefatis jus nominandi ad dictam Ecclesiam personam idoneam quae tamen in Gallia, et non alibi nata semper esse debeat, ut praefertur per Nos et pro tempore existentem Romanum Pontificem in Episcopum dictae Ecclesiae ad nominationem hujusmodi instituendam auctoritate et tenore praesentium reservamus et concedimus, decernentes irritum et inane quicquid secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis etc.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 4. Junii 1638. Pontificatus Nostri Anno decimoquinto.

M. A. Maraldus.

Prohibet sub excommunicationis latae sententiae poena, Indos tam Occidentales, quam Meridionales, quomodolibet in servitutem redigere, aut eos bonis suis spoliare.

Dilecto Filio Jurium, et Spoliorum Camerae Nostrae Apostolicae in Portugalliae et Algarbiorum Regnis debitorum Collectori Generali.

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili Noster, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Commissum Nobis a Domino Supremi Apostolatus officii ministerium postulat, ut nullius hominis salutem a cura nostra alienam ducentes non solum in Christifideles, sed etiam in eos, qui adhuc in ethnicae superstitionis tenebris ex gremio Ecclesiae versantur paternae nostrae charitatis affectus diffundamus, et quae eis, quominus ad Christianae veritatis, et fidei agnitionem perducantur, quoquomodo obstaculo esse possunt, quantum cum Domino possumus amovere studeamus. Alias siquidem fel. rec. Paulus PP. III. Praedecessor Noster Statui Indorum occidentalium, et meridionalium, quos in servitutem redigi, suisque bonis privari, eaque de causa ab amplectenda Christi fide averti, acceperat, consulere cupiens; universis, et singulis cujuscumque dignitatis, status, conditionis, gradus, et dignitatis existentibus sub excommunicationis latae sententiae poena eo ipsa incurrenda, a qua nonnisi ab eo vel Romano Pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo, et satisfactione praevia absolvi possent, prohibuit seu prohiberi mandavit, ne praedictos Indos quomodolibet in servitutem redigere, aut eos bonis suis spoliare quoquomodo praesumerent, et alias prout in ejusdem

Pauli Praedecessoris in simili forma Brevis die 29. Maii 1537. desuper expeditis litteris, quarum tenor plenius continetur. Cum autem, sicut accepimus, causae, propter quas Litterae Pauli Praedecessoris praedicti emanarunt, etiam de praesenti vigeant; idcirco Nos ipsius Pauli Praedecessoris vestigiis inhaerendo, ac impiorum hominum ausus, qui Indos praedictos, quos omnibus christianae charitatis, et mansuetudinis officiis ad suscipiendam Christi fidem inducere oportet, inhumanitatis actibus ab illa deterrent, reprimere volentes, Tibi per praesentes committimus, et mandamus, ut per Te vel alium seu alios omnibus Indis tam in Paraquariae et Brasiliae Provinciis, ac ad flumen de la Plata nuncupatae, quam in quibusvis aliis regionibus, et locis, in Indiis occidentalibus, et meridionalibus existentibus, in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, universis et singulis personis tam saecularibus etiam ecclesiasticis, cujuscumque status, sexus, gradus, conditionis, et dignitatis etiam speciali nota et mentione dignis existentibus, quam cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, Religionis, et instituti, mendicantibus et non mendicantibus, ac Monachal. Regular. sub excommunicationis latae sententiae per contravenientes eo ipso incurrenda poena, a qua nonnisi a Nobis vel pro tempore existente Romano Pontifice, praeterquam in mortis articulo constituti, et satisfactione praevia absolvi possint, districtius inhibeas, ne de cetero praedictos Indos in servitutem redigere, vendere, emere, commutare, vel donare, ab uxoribus, et filiis suis separare, rebus et bonis suis spoliare, ad alia loca deducere, et transmittere aut quoquomodo libertate privare, in servitute retinere, nec non praedicta agentibus consilium, auxilium, favorem, et operam quocumque praetextu, et quaesito colore praestare, aut id licitum praedicare seu docere, ac alios quomodolibet praemissis cooperari audeant seu praesumant. Contradictores quoslibet, et rebelles, ac Tibi in praemissis non parentes in poenam excommunicationis hujusmodi incidisse declarando, ac per alias etiam censuras, et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris et facti remedia appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravanda, invocato etc. saecularis etc. Nos enim Tibi desuper plenam, amplam, et liberam facultatem tribuimus et potestatem. Non obstantibus similis mem. Bonifacii PP. VIII. etiam Praedecessoris Nostri de una, ac Concilii generalis de duabus dietis, ac aliis Apostolicis, et in Conciliis universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et ordinationibus, legibus quoque etiam municipalibus ac quorumcumque locorum piorum, et non piorum, et generaliter quibusvis etiam etc. statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis etc. innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus etc. derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 22. Aprilis 1639. Pontificatus Nostri Anno decimosexto.

Gratulatur de sua ad Romanae Ecclesiae communionem conversione, ac hortatur ut suum Patriarcham ad Apostolicam unitatem revocare contendat.

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Exultet in Domino spiritus noster, quoties ovem aliquam ex leonis rugientis faucibus ereptam summa Dei benignitate in loco pascuae, et super aquas refectionis collocatam esse audimus. Proinde majorem in modum gavisi sumus, cum ex Fraternitatis tuae litteris jam pridem cognovimus, te ad Romanae Ecclesiae communionem, extra quam non est salus, animum convertisse. Nuper autem cumulata est laetitia nostra, cum tu variis detentus impedimentis, quin Romam proficiscereris, Dilectos Filios Bessarionem Archidiaconum una cum alio Hieromonaco tuumque nepotem huc allegasti, ut nobis tuo nomine obedientiam praestarent. Itaque datas eis ad nos litteras libenter legimus, quibus eximiam animi pietatem ostendis, ac Sanctam Romanam Ecclesiam fidei Magistram, et tuam omniumque Fidelium Matrem, pio affectu veneraris. Homines a te missos benevole atque humaniter accepimus, qui tuum erga Nos, et Apostolicam Sedem obsequium, et praeclaram voluntatem fuse testati sunt. Proinde te longissimo licet regionum intervallo disjunctum peramanter complectimur in visceribus Jesu Christi; charitas enim, quae est vinculum perfectionis omnia conjungit. Nos sane communis Parentis munere fungentes, quaecumque ad aeternam salutem comparandam praesidia istis populis subministrari possunt, ea a nostra sedulitate desiderari nunquam passuri sumus. Tu autem, Venerabilis Frater, summo Dei beneficio illustratus, in posterum dare operam debes, ut qui in tenebris, et umbra mortis sedent, ad lucem Catholicae veritatis emergant; latus tibi proponitur campus ad virtutem, et pastorale munus exercendum; ingens est vinea, quam tibi excolendam commisit Altissimus, urge plantationem, irrigationem adhibe, et incrementum dabit ipse bonorum omnium Auctor Deus. Praesertim vero cupimus, ut Patriarcham tuum ad Apostolicam unitatem revocare contendas, ac sedulo cures, ut veritatem, quam Sacrosancta Generalia Concilia docuerunt, amplectatur. Quod haud difficile tibi futurum esse arbitramur, cum apud illum gratia, atque auctoritate plurimum valeas. Prosequere igitur opus Dei, et

consilia, quae divino afflante Spiritu aggressus es, constanter perfice, laxa retia in capturam, ut animas Christo lucrifacias, qui eas praetioso Sanguine redemit. Id a te postulat officii tui ratio, id de te Nobis indubitanter pollicemur. Et quamquam te sponte currentem, alieno admonitu excitari nihil necesse existimemus; tamen pro nostra Pastorali sollicitudine, et quia te valde diligimus, et de tua virtute egregie sentimus, te efficacius hortamur. Denique ab Eo, qui est pax nostra, caelestis gratiae praesidium, et diuturnam felicitatem postulamus fraternitati tuae, cui Apostolicam Benedictionem ex animo impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 18. Maii 1640. Pontificatus Nostri Anno Decimoseptimo.

Ei commendat Paulum Pyromallum Ord. Praedicatorum ad Patriarcham Armenorum missum.

URBANUS PAPA VIII.

Charissimo in Christo Filio Nostro Salutem.

Quae ad Catholicae Fidei tutelam, et propagationem pertinent, prae ceteris omnibus cordi esse Majestati Tuae, assidua, eaque eximia pietatis documenta non sine praecipua tui nominis gloria declararunt. Hujusmodi autem zelus, quo Dei gloriam, et animarum salutem promovere nunquam desistis, luculenter enituit, dum auctoritatem, atque operam sedulo adhibuisti, ut Armeni Leopolienses Apostolicae Sedi cohaereant, et in Romanae Ecclesiae sinum, extra quam non est salus, veluti in tutissimum portum se recipiant. Nos qui Catholicae Religionis incrementum proprium Pontificiae sollicitudinis munus esse arbitramur, ubi hac in re diligentiam tuam cognovimus, uberem percipimus consolationis materiam, atque ingentem gravissimi negotii, ad felicem exitum perducendi fiduciam in Majestatis Tuae ope, atque officiis constituimus. Exploratum habemus, nihil a tua virtute ulla ex parte desideratum iri, quod e re futurum esse existimaveris, ut ejus Nationis bono consultum sit. Verum pro ea, quam cunctis gentibus debemus, charitate, et pro eo studio, quo veram illius felicitatem cupimus, facere non possumus, quin id ipsum a te maximopere postulemus, quod jam sponte praestiturum esse nobis pollicemur. Dilectum Filium Paulum Pyromallum ex Ordine S. Dominici, quem ut ad Patriarcham Armenorum opportune proficiscatur, isthuc mittimus, Tuo patrocinio summopere commendamus; sperantes fore, ut qui prudentiae artes cum pietatis laudibus conjungit, dignus a te habeatur, in quem Re-

giae benignitatis documenta conferantur. Ceterum mentem nostram tibi fusius significabit Venerabilis Fr. Archiepiscopus Avenionensis Nuntius Apostolicus. Illius verbis integram haberi fidem optamus a Majestate Tua, cui ab Altissimo bonorum omnium cumulum ex animo precantes, Pontificiam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae die 16. Julii 1640.

Mittit Paulum Pyromallum Ord. Praed., hortaturque ut fidem Catholicam amplectatur.

Philippo Patriarchae Armenorum.

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Nulla in orbe terrarum Nationes sejungere potest a Pontificia sollicitudine locorum longinquitas; idcirco ea consilia assidue meditatur, quibus cunctarum gentium felicitati, et animarum saluti consulat. Praecipua autem Armenorum Nationem benevolentia prosequimur atque erga eamdem non exiguas Pontificiae charitatis significationes exhibere optamus, cum illa retroactis jam saeculis, Romanae Ecclesiae consensisse, et Beatum Petrum in suis successoribus pie venerata esse, veteribus historiae monumentis compertum sit. Etenim praeter ea quae de Sanctorum Silvestri Papae, et Gregorii Armeniae Archiepiscopi mutuo affectu minime vos latent, illustris extat memoria Florentini Concilii, in quo maxima cum pietate, ac zelo, Eugenio IV. Pontifice, Armeni concordiam cum Romana Ecclesia inierunt, et, summa populorum omnium approbatione, sese ad Apostolicae Sedis unitatem aggregarunt. Quod quidem ex ejusdem Concilii Volumine, atque ex praedicti Pontificis Diplomate, quod non ita pridem Sacrae Congregationis auctoritate vestro idiomate conscriptum et in luce editum fuit, Fraternitas Tua luculenter percipiet. Hujusmodi documenta tibi exhibebit Dilectus Filius Paulus Pyromallus Ordinis Praedicatorum Sacrae Theologiae Doctor, et Lector, cujus integritatem, ac prudentiam ideo recensere supersedemus, quod peculiares ejus dotes jamdudum noveris. Eum istuc allegamus, ut scientiam, quae a Deo est, nationi vestrae patefaciens, illam ostendat semitam qua homines ad beatam verae felicitatis spem ab Altissimo advocantur. Quare sic illum tibi commendamus, ut majori studio ac diligentia commendari nequaquam possit. Ex eodem fusius percipias, quo affectu complectamur, et quo studio curaturi

semper sumus ut nihil, quod a nobis in tuum et universae Armeniae commodum proficisci possit, unquam desideratur. Is etiam tibi fuse significabit, quam enixe cupiamus, ut hujus Sanctae Sedis unionem amplectaris, et Catholicam fidem, sine qua impossibile est placere Deo, corde credas ad justitiam, ore autem confitearis ad salutem. Hanc porro fidem Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum magistra integram, atque illibatam tuetur, hanc Apostolorum Principes Petrus, et Paulus, vel ipso sanguinis testimonio docuerunt, et hanc Sancti Pontifex Silvester et Gregorius vester Archiepiscopus praedicatione propagarunt. Nos pro fraternitatis tuae immortali felicitate bonorum omnium largitori vota nuncupantes, ejus Clementiam assidue orabimus, ut tua dirigat consilia, tibique Divinae suae gratiae lumine praesto sit.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 16. Julii 1640. Pontificatus Nostri Anno decimoseptimo.

Confirmat donationem Collegii Gregoriani de Urbe a Constantino Cajetano, Abbate Monasterii nuncupati S. Barontii, S. Congregationi de Propaganda Fide factam.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Licet ea, quae, mediante publicorum Instrumentorum celebratione, et interveniente solemni stipulatione, gesta sunt, subsistere humanis sanctionibus caveatur, illa tamen eo majori stabilitate, atque robore duratura censenda sunt, quae speciali Romani Pontificis auctoritate, et approbatione fulcita, et communita dignoscuntur. Sane dilectus filius Marcus Romanus Praesbyter Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum, Nuncius, et agens Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. Ecclesiae Cardinalium Negotiis Propagandae Fidei Praepositorum, Nobis nuper exponi fecit, quod dilectus etiam filius Constantinus Cajetanus Abbas Monasterii Abbatiae nuncupati S. Barontii Pistoriensis Dioecesis, Congregationis Casinensis Ordinis S. Benedicti, suum Collegium Gregorianum nuncupatum de Urbe cum Bibliotheca, aliisque ejus pertinentiis cum pactis, et conditionibus a praefata Congregatione dictorum Fratrum Nostrorum approbatis, eidem Congregationi Fratrum Nostrorum hujusmodi donavit, prout in publico per acta dilecti pariter filii Dominici Fonochiae Curiae causarum Camerae Apostolicae, et ipsius Congregationis Notarii desuper die 26. Martii proxime praeteriti celebrato instrumento uberius dicitur contineri. Quapropter Marcus praedictus Congregationis eorumdem Fratrum nostrorum nomine Nobis humi-

liter supplicari fecit, ut donationi hujusmodi Apostolicae Nostrae confirmationis robur adjicere de benignitate apostolica dignaremur, Nos igitur hujusmodi Marci votis favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusve excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati de eorumdem Fratrum Nostrorum consilio donationem praefatam, ac prout illam concernit instrumentum publicum desuper, ut praefatur, celebratum Apostolica auctoritate tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis vim et robur adjicimus, ac insinuationis quatenus ob excessum summae quingentorum aureorum esset necessaria defectum, ita ut praesens confirmatio absque insinuatione hujusmodi sufficiat, omnesque, et singulos alios defectus, si qui in praemissis quomodolibet intervenerint, seu intervenisse dici, vel censeri posset, plenissime supplemus; decernentes praesentes literas validas, firmas, et efficaces existere et fore, dictaeque Congregationi Fratrum Nostrorum plenarie suffragari; sicque, et non aliter in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos judicari et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus fuerit, fundatione, institutione et erectione dicti Collegii, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus, Apostolicis legibus quoque, etiam imperialibus, nec non Collegii Congregationum Ordinis et Urbis praedictorum etiam juramento confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Pscatoris die 22. Maii 1643. Pontificatus Nostri Anno vigesimo.

Constitutiones pro reformatione Religionis S. Pauli Primi Eremitae confirmat.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecerunt Dilecti Filii Modernus Prior Generalis et Fratres Religionis Sancti Pauli Primi Eremitae, quod alias pro dictae Religionis reformatione nonnullae Constitutiones editae

fuerunt, quae postea triginta tribus Congregationibus particularibus a deputatis a Nobis emendatae, et correctae fuerunt. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, exponentes praedicti, quo Constitutiones praedictae firmiores subsistant, et exactius ab omnibus observentur, illas Apostolicae Nostrae confirmationis robore communiri summopere desiderent; Nos igitur illos specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutos fore censentes. De Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negociis Congregationis de Propaganda Fide Praepositorum consilio, Constitutiones praedictas, dummodo tamen licitae sint, et honestae, Sacrisque Canonibus, ac Concilii Tridentini Decretis, et Constitutionibus Apostolicis dictae Religionis Regularibus institutis non adversentur, Apostolica auctoritate tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes, et singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus. Decernentes illas nec non praesentes literas semper, et perpetuo validas, firmas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, et singulis, ad quos spectat, et in futurum quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari; sicque per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et diffiniri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac dictae Religionis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod praesentium transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo dicti Prioris Generalis munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 7. Augusti 1643. Pontificatus Nostri Anno Vigesimoprimo.

Approbat erectionem Collegii a Norberto Horichem Abbate Monasterii Steinfeldensis Coloniae factam.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Nuper pro parte Dilecti Filii Norberti Horichem Abbatis Monasterii Steinfeldensis, ac per Provinciam Rheni inferioris Vicarii Generalis, et Commissarii Apostolici Praemonstratensis Ordinis Nobis expositum fuit, quod ipse provide considerans onus, et amplitudinem curae animarum saeculiarum Ordini praefato in dicta Provincia incumbentis, ac perpendens idoneorum Parochorum, qui in tanta Haereticorum, Fidem Orthodoxam in illis partibus impugnantium, colluvie, exemplo vitae, et verbo doctrinae salutaris, gregem Dominicum pascant, raritatem et penuriam, illique nulla salubriori ratione succurri, administrationemque curae animarum hujusmodi nulla re felicius exerceri, et efficacius promoveri posse, quam per erectionem Collegii, seu Seminarii Canonicorum Regularium dicti Ordinis in Civitate Coloniensi, quae etiam Universitas studii generalis Apostolica auctoritate comprobata existit: in quo Collegio seu Seminario Canonici Regulares hujusmodi e diversis Monasteriis illuc mittendi, praeter pietatis et disciplinae Regularis exercitia, Philosophiae, ac Theologiae, Sacrarumque Litterarum studiis, graviter incumbant, ut ex eorum coetu, velut perpetuo virorum pietate et doctrina insignium Seminario, Parochi, Capellani, Confessarii, ac Catechistae, Philosophiae quoque, et Theologiae Professores, per diversas Parochias, et Conventus dicti Ordinis distribuendi, seligerentur, qui vitae morumque probitate, ac doctrina praestantes, veram Catholicam Fidem, voce, et calamo propugnare, luposque ab ovili Dominico arcere, et animas, pretioso Jesu Christi Domini Nostri Sanguine redemptas, pulsis procul ignorantiae errorumque tenebris, verbo doctrinae salutaris instruere, et in semitam veritatis, et mandatorum Dei dirigere possint: idcirco his, et aliis justis ex causis, animum suum moventibus, unum eorumdem Canonicorum Regularium Seminarium, in domo ad Monasterium Steinfeldense praefatum spectante, in dicta civitate Coloniensi, cum oratorio publico sub invocatione S. Norberti, ac officinis, cellis, et supellectile vitae Regulari congruentibus, sub certis modo, et forma tunc expressis instituit, erexit, et de fructibus Ecclesiae de Dunwalat, Colonien. Diaecesis ad idem Monasterium Steinfeldense pariter spectantis, de consensu Conventus Monasterii hujusmodi dotavit, ac institutionem, erectionem, et dotationem hujusmodi per Ven. Fratrem Fabium, Episcopum Neritonensem No-

strum, et Apostolicae Sedis ad tractum Rheni et partes inferioris Germaniae cum potestate Legati de Latere Nuntium confirmari, et approbari obtinuit, et alias, prout in scripturis, et patentibus ejusdem Fabii Episcopi et Nuntii Litteris desuper confectis uberius dicitur contineri. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Norbertus Abbas Seminarium praefatum sub nostra, et Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotio Propagandae Fidei praepositorum, protectione suscipi summopere desideret, Nos attendentes, quod Canonici Regulares dicti Ordinis sub directione Episcoporum curam suscipiunt animarum, quodque Alumni in dicto Seminario instructi poterunt ad Missiones in diversis locis Germaniae, haeresi infectis, ab eadem Congregatione destinari sine ejus dispendio, cum dictus ordo multa habeat Monasteria in locis haereticorum, ac dictum Norbertum Abbatem specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, a jure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Seminarium S. Norberti hujusmodi ut praefertur erectum, et approbatum, sub Nostra, et S. Sedis Apostolicae dictaeque Congregationis protectione recipimus, ac praefato Abbati, seu illius Conventui, sive Congregationi Praemonstratensi, omnia, et singula, in erectione dicti Seminarii, et illius confirmatione contenta, absque expresso consensu Nostro, ac praefatae Cardinalium Congregationis, retractandi, immutandi, et alterandi, seu circa ea aliter disponendi, et dispensandi, omnem facultatem, potestatem, et auctoritatem, non tamen ampliandi, et augendi, prorsus adimimus. Quocirca Dilecto Filio Nostro S. R. E. Cardinali Judici nunc, et pro tempore a dictis Fratribus Nostris pro negotiis praefatae Congregationis deputato, per easdem praesentes conjungimus quatenus ipse per se vel per alium seu alios, de consensu eorumdem Fratrum Nostrorum deputatos, seu deputandos, easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi, et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Norberti Abbatis, ac Rectoris Alumnorum scholarium ac officialium Seminarii praefati fuerit requisitus, solemniter publicans, illisque efficacis defensionis praesidio assistens, faciat auctoritate Nostra, easdem praesentes, et in eis contenta hujusmodi, ab omnibus, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, firmiter, et inviolabiliter observari, ac praefatos illis pacifice frui, et gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque indebite molestari, contradictores quoslibet et rebelles, per sententias, censuras, et poenas ecclesiasticas, aliaque praemissa juris, et facti remedia, appellatione postposita, compe-

scendo, ac censuras et poenas ipsas, servata forma Concilii Tridentini, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ac Monasterii, Ordinis, et Civitatis praefatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris Apostolicis quibusvis etiam sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine, ac alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorum totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma, ad hoc servanda foret tenoris hujusmodi, ac si de verbo ad verbum inserti forent, eisdem praesentibus, pro plene et sufficienter expressis habendis, illis alias in suo robore permansuris, ad effectum praemissum specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem, quod earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo communi dicti Collegii seu Seminarii S. Norberti, aut alicujus Curiae Ecclesiasticae, seu personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 22. Decembris 1643. Pontificatus Nostri Anno vigesimoprimo.

M. A. Maraldus.

Illyricae linguae Sacerdotibus vel Clericis in Sacris Ordinibus constitutis praecipit, ut debeant uti Breviario ac Missali Illyrico ad formam et ritum Missalis ac Breviarii Ecclesiae Romanae reformatis.

URBANUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex eo tempore quo, Spiritu Domini replente terrarum orbem, Apostoli loquentes magnalia Dei, a solis ortu usque ad occasum propagatum nomen Domini laudabile reddidere, postquam scissum velum unius Hierosolymitani templi, abolitamque distinctionem inter Hebraeum et Graecum, Deus qui notus in Judaea tantummodo erat et in Israel magnum nomen ejus habebatur, Dominus omnium est agnitus, et dives in omnes qui invocant illum est effectus, non solum tribus linguis titulo Crucis consecratis gentes jubilare Deo in voce exultationis inceperunt, sed omnibus gentibus laudantibus Dominum et magnificantibus eum omnibus populis omnis spiritus laudavit Deum, et omnis lingua confessa est ei. Hinc quae inter omnes alias terrarum orbis amplissima semper extitit Illyricana lingua, ab ipsa sua in Ecclesiae Catholicae sinu primogenitura sacrosanctorum ministeriorum usum canendo, exultando, psallendoque pio vernaculo sono retinuit, et ne in tanto Catholicae Religionis negotio alia quam Apostolica auctoritate inniti videretur, variis temporibus, Romanorum Pontificum praedecessorum Nostrorum, praesertim fel. recor. Joannis Octavi, Eugenii Quarti favorabilibus approbationibus et confirmationibus, eodem pio usu ad hanc usque diem sine ulla erroris labe gavisa est, et gaudet. Verum cum longa varietate temporum, et praecipue post reformationem Missalis ac Breviarii Romani ex decreto Sacrosancti Concilii Tridentini, auctoritate Pii Quinti fel. record. reformatorum, et Clementis Octavi recognitorum Missalia, et Breviaria dictae linguae Illyricae a nostris reformatis et recognitis discrepare dignoscantur, Nos qui corporis unius membrorum sub uno Christo capite unionem in omnibus, praesertim in iis quae ad divinum cultum et congruum Ecclesiasticarum precum ordinem spectant, diversitatem licet resonent linguarum, quibus linguis Ecclesiam aedificari docuit Apostolus, omni studio curaque pro Nostro pastorali munere satagimus, ut Ecclesia per totum orbem terrarum diffusa, sicuti habet unam fidem mentium ita eamdem teneat pietatem actionum, omnesque simul ex diversitate gentium licet in Divini nominis confessione adunati uno ore honorificemus Deum, unoque et eodem orandi psallendique ordine ac ritu, fideles ejus-

dem capitis membra cognoscantur ; hinc de consilio Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationi de Propaganda Fide praepositorum , advocatis ad Urbem aliquibus piis et doctis ejusdem Illyricae linguae viris , ejusdem Missalis ac Breviarii praefatae linguae, ad formam et ritum Missalis et Breviarii Romanae Ecclesiae per antelatos Praedecessores Nostros reformatorum et recognitorum , reducendi negotium demandavimus; cumque juvante Deo res ad optatum finem fuerit perducta , jamque Missale Illyricum reformatum ut praefertur , in Typographia Congregationis de Propaganda Fide de mandato Nostro sit impressum , et Breviarium proxime et successive reformatum itidem sit imprimendum ; idcirco Constitutiones et Bullas Praedecessorum Nostrorum Pii et Clementis praenominatorum Romanorum Pontificum super Missalibus reformatis et recognitis editas, praesenti Nostro perpetuis futuris temporibus valituro statuto innovantes , et hic pro expressis habentes , ac si de verbo ad verbum essent relatae et praesentibus insertae ; non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus etc. omnibus et singulis Illyricae linguae Sacerdotibus , vel Clericis in Sacris Ordinibus constitutis , aut alias Missalibus in divinis utentibus , cujuscumque status , conditionis et dignitatis existant , auctoritate Apostolica jubemus , atque districte praecipimus , quatenus intra terminum sex mensium a notitia praesentium litterarum sub poena suspensionis a divinis ipso facto incurrenda , ceterisque poenis in praefatis Bullis Missalibus latinis praefixis , contentis et statutis, debeant, relictis antiquis Missalibus , non reformatis et recognitis , ut praefertur , hisce reformatis ac recognitis uti in divinis officiis recitandis sacroque sancto Missae Sacrificio offerendo. Mandantes ac districte omnibus et singulis Ecclesiarum Illyricae gentis Patriarchis , Archiepiscopis, Episcopis, Administratoribus aliisque personis etc. prout in Missali.

Compositionem a Patribus Ord. B. Mariae V. de Monte Carmelo Capitulum componentibus statutam circa regimen Sedis Apostolicae Seminarii per modum provisionis , nonnullis adhibitus declarationibus , confirmat.

INNOCENTIUS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

His quae pro felici directione locorum piorum quorumlibet praesertim instruendis viris Religiosis , ut portent nomen Jesu Christi coram gentibus et praedicent illis Evangelium destinatorum, ac pro sedandis aliquibus controversiis desuper inter ipsos Religiosos ortis concorditer facta fuerunt , quo firmius subsistant libenter Apostolici

muniminis adiicimus firmitatem, aliasque desuper Pastoralis officii Nostri partes interponimus, pro ut conspicimus in Domino salubriter expedire. Cum itaque, sicut accepimus, circa Seminarium in Domo Regulari Sanctae Mariae de Victoria nuncupato de Urbe Congregationis Italiae Fratrum discalceatorum Ordinis ejusdem Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo existens, inita fuerit in Capitulo Generali ejusdem Congregationis novissime celebrato concordia tenoris sequentis, videlicet = Cum occasione Seminarii Nostri Romani, ejusque regiminis, ac jurisdictionis multae, et graves hactenus exortae fuerint difficultates, et dissentiones, non sine dispendio boni nominis Religionis apud extraneos, et mutuae charitatis inter Religiosos; et verendum sit, ne deinceps similia, aut etiam graviora mala contingant, nisi causae disceptationum radicitus evellantur, et dissidia amicabili compositione sopiantur consultis, et consentientibus partibus interesse habentibus, Patres Capitulum componentes omnium suffragiis decreverunt praedictam amicabilem compositionem, si Sanctissimo placuerit instituendam esse, ut sequitur. 1. In praefato nostro Seminario praeter Seminaristas, qui computatis etiam lectoribus quindenarium numerum ordinarie conficient, simul esse possit studium Provinciae Romanae Philosophiae, vel Theologiae, itaut studentium numerus, inclusis pariter lectoribus, quindenarium numerum non excedat. 2. Praedicti Religiosi studentes a Definitorio Provinciali, ut moris est, designentur, quibus adm. Rev. Pater Noster Generalis teneatur dare conventualitatem, ita tamen, ut auctoritas Generalis non intelligatur restricta, quin possit alicui, vel aliquibus eam conventualitatem propter causas sibi bene visas denegare. 3. Praedicti Religiosi studentes, quandiu in dicto studio versantur, non ordinabuntur Sacerdotes. 4. Reliqui Religiosi tam Patres quam Fratres, qui praeter Seminaristas, et studiosos Provinciae domestico obsequio, aut Ecclesiae ministerio (excepto Priore et Superiore) fuerint necessarii a Rev. adm. Patre Nostro Generale deputentur, suamque conventualitatem accipiant. Numerus vero omnium Religiosorum in dicto Seminario commorantium, quinquagenarium numerum non excedat. 5. Singulis Seminaristis tam studentibus, quam lectoribus 25. scuta monetae Romane quotannis ex redditibus Missionum assignabuntur = idcirco Nos, ut preinserta concordia exacte servetur, quantum cum Domino possumus providere volentes, illam Apostolica auctoritate tenore praesentium confirmamus, et approbamus juxta tamen tenorem, et formam infrascripti nostri decreti tenoris sequentis, videlicet. Sanctissimus Dominus Noster per modum provisionis, et donec aliter a Sanctitate Sua, vel Sacra Congregatione de Propaganda fuerit ordinatum, mandavit quod supradicta concordia servetur, adhibita tamen moderatione, et declaratione infrascripta, videlicet. In numero Religiosorum qui in Seminario commorari debent sint duo Seminaristae pro singulis Provinciis ordinis, seu Congrega-

tionis (secundum jus, quod dictae Provinciae hactenus habuerunt) ita ut cum hodie reperiantur in Congregatione duodecim Provinciae, Seminaristae debeant esse viginti quatuor, et deinceps pari ratione duo pro qualibet Provincia, etiam de novo erigenda, juxta numerum Provinciarum, quae pro tempore extabunt: ultra Seminaristas adsint duo lectores ad minus pro servitio ipsorum Seminaristarum dumtaxat, et sic secundum statum praesentem omnes Seminaristae computatis lectoribus erunt viginti sex. Provinciae vero Romanae (ultra duos Seminaristas, quos ad instar aliarum Provinciarum in dicto Seminario tenebit) poterit indulgeri, ut quindecim studentes ad summum computatis lectoribus ibidem habeat, dummodo tamen prius fuerint assignata loca, et cellae, pro viginti sex Seminaristis, computatis lectoribus, ut supra, vel etiam pro alio numero ad proportionem numeri Provinciarum, ut dictum est et dummodo post assignationem locorum et cellarum pro dictis Seminaristis faciendam similiter sint assignata loca et cellae pro Religiosis domestico obsequio, et Ecclesiae ministerio necessariis, ita ut his omnibus antea provisis, tunc demum etiam studiosis Provinciae provideri possit, et non alias; quam quidem locorum, et cellarum assignationem, ac distributionem Sanctissimus Dominus Noster per Praepositum Generalem, consulta Sacra Congregatione de Propaganda Fide, fieri mandavit, cum declaratione, quod in locis, et cellis pro servitio Seminaristarum semel destinatis, nullus alius sub poena excommunicationis ipso facto incurrenda habitare possit, etiam si aliqua dictarum cellarum vel etiam plures ob eorumdem Seminaristarum absentiam aut ob quamcumque aliam causam reperirentur vacuae, quae omnia, locum habere voluit per modum provisionis, ut supra, et firmo interim manente decreto, facto sub tertia die Julii 1640. per Sanctitatem Suam tunc in dignitate Cardinalitia constitutum, et per alios duos Reverendissimos Cardinales ad visitandum supradictum Seminarium a praedicta Sacra Congregatione de illo tempore deputatos, nec non firmo manente mandato fel. rec. Urbani Papae VIII. mensis Octobris dato pro executione supradicti Decreti. Ac denique firmis manentibus regulis, et ordinationibus factis per Sacram Congregationem praedictam anno 1625. pro gubernio dicti Seminarii, et illa ordinatione in specie, per quam jussit quod administratio omnium reddituum ad Generalem Praepositum et Definitores Generales pro tempore pertineret, qui peculiarem Syndicum constituere deberent, ad dictos redditus recipiendos, et expendendos et quod idem Syndicus teneretur reddere rationem dati, et accepti Definitorio Generali, nec non ipsi Congregationi de Propaganda Fide. Quam quidem administrationis rationem Sanctissimus mandavit eidem Congregationi reddi saltem singulis annis, nedum per Syndicum praefatum, sed etiam per ipsum Definitorium Generale, tum respectu reddituum eleemosynarum, et proventuum quorumcumque, sed etiam re-

spectu omnium, et singulorum aliorum ejusdem Conventus bonorum et jurium. Volens insuper ut in redditione rationis praedicta, ac etiam in visitatione per DD. Cardinales a Congregatione de Propaganda Fide deputatos quandocumque facienda, idem Definitorium teneatur docere, seu justificare quod numerus Seminaristarum fuerit, et sit in dicto Conventu integre completus, ut supra vel quod factae fuerint diligentiae opportunae cum Provincialibus Ordinis (sive cum aliis ad quos spectavit) pro habendo dicto numero completo. Quas propterea diligentias idem Sanctissimus injunxit Definitorio praefato, una cum Praeposito Generali. Et quantum attinet ad assignationem annuorum scutorum 25. singulis Seminaristis in praedicta concordia factam, Sanctitas Sua concessit, et voluit taxam hujusmodi per Sacram Congregationem de Propaganda Fide pro conditione temporum, et rerum exigentia ad arbitrium ipsius Congregationis alterari posse. Demum decrevit quod per concordiam supradictam, et quaecumque alia verba, ac litteras confirmationis in forma Brevis desuper expediendas nullum censeatur jus acquisitum Religioni praefatae in praejudicium Congregationis de Propaganda Fide. Decernentes praesentes litteras validas, firmas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac adamussim servari; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, et Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere legatos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis etiam in Conciliis universalibus editis, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, et ad verbum insertis, habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die septima Septembris 1647. Pontificatus Nostri Anno tertio.

M. A. Maraldus.

Presbyterorum, et Sodalium Congregationem sub Augustissimi Eucharistiae Sacramenti invocatione, ejusque constitutiones confirmat. Debitam autem tanto Sacramento exhibere reverentiam, et Congregationi de Prop. Fide ministros offerre fidem inter infideles praedicaturos, officium Sodalitatis est.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Altitudo Divinae providentiae, a qua omnium bonorum operatio procedit, ea interdum fidelium animis suggerit, quae ad Christianae Religionis, et pietatis propagationem maxime profutura esse dignoscuntur. Unde Nos universi gregis Dominici grave pondus Nostris humeris impositum sustinentes, de animarum preciosi Salvatoris Nostri Jesu Christi, qui post gloriosam ejus Resurrectionem ad sempiterna Regni Coelestis Tabernacula ascensurus discipulos suos per universum mundum Evangelium omni creaturae praedicare voluit, cujusque vices in terris licet immeriti gerimus, sanguine redemptarum salute, assidua meditatione solliciti ad ea, per quae Fidei orthodoxae jam dudum per universas Orbis Regiones disseminatae, ac antiqui serpentis calliditate in diversis Mundi partibus diversimode violatae et conculcatae splendori salutari remedio consulitur, libenter intendimus, ac iis, quae pro felici Congregationum quarumlibet praesertim Clericorum, et Presbyterorum ad hujusmodi Ministerium exercendum anhelantium ex sincero devotionis affectu sub Augustissimi Eucharistiae Sacramenti denominatione institutarum regimine et ejusdem Sacramenti speciali veneratione provide statuta fuerunt, Apostolici favoris impartimur suffragium. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Superioris, et Sodalium Congregationis SSmi Sacramenti ad Missiones et Seminariorum directionem nuncupandae non ita pridem in Civitate Valentinen. ad Omnipotentis Dei gloriam specialem cultum, et honorem ejusdem augustissimi Eucharistiae Sacramenti Fideique Catholicae propagationem, ac animarum salutem, nec non Parrochialium Ecclesiarum Rectorum sublevamen canonice erectae petitio continebat, quod alias Superior et Sodales praedicti provide considerantes, quod nulla Respublica nullaque hominum Congregatio absque certis legibus diu substinere valet, pro felici et prospero statu dictae eorum Congregationis infrascripta Statuta, Constitutiones, et Ordinationes ad Nostrum, et Sedis Apostolicae nutum, et beneplacitum restringenda, et moderanda ediderunt. Videlicet, quod ipsius Congregationis Sodales ejusdem SSmi Eucharistiae Sacramenti honorem, et gloriam tan-

quam unicum, et ultimum dictae Congregationis scopum sibi super omnia proponant, et ad eum effectum Sacerdotalem perfectionem sanctum, et accuratum Ecclesiasticarum, et Parrochialium funcionum exercitium, Fideique Catholicae Apostolicae, et Romanae propagationem, tanquam peculiares illi supremo subordinatos fines perpetuo respiciant. In Parrochialium Ecclesiarum illis commissarum muneribus fideliter obeundis omnibus quibus poterunt modis invigilent, praeterea circa omnia, et singula quae ad Sacrosanctae Eucharistiae honorem et gloriam, ac condignam Sacramentorum Ecclesiasticorum administrationem, nec non Sanctae Matris Ecclesiae Caeremoniarum observantiam populisque salutem, et perfectionem conferunt, indefessa in iisdem dictorum Sodalium vigilantia jugiter versetur. Seminariorum etiam in quibus juniores Clerici in disciplina Ecclesiastica instituantur directionem suscipiant, Presbyterosque ad ea sponte aut de Ordinariorum locorum mandato accedentes doctrinis, et virtutibus ad sacras ejusdem Sanctae Matris Ecclesiae functiones disponant, Missiones quoque ad partes infidelium, et haereticorum ad nutum Romani Pontificis et Sacrae Congregationis de Propaganda Fide instituant. Domus solitarias habeant, ut in illis clerici a saeculi strepitu, et impedimentis segregati virtutis normam accipiant, et in praxim redigant, ac in eisdem domibus degentes orationi vacent, ut ex Alto induantur virtutibus, et verbi ministri efficiantur idonei ad exemplum Salvatoris Nostri, qui seorsim a turbis ad montes ascendens in oratione pernoctabat, indeque descendens viam salutis ipse via, veritas, et vita populum edocebat; illi autem qui post multos in vinea Domini Dei Sabaoth exanthlatos labores reficiendi, et in spiritu renovandi, Directoris arbitrio ad illas mittentur, in eisdem domibus recipiantur. Verum dictae Congregationi adscribi cupientes per quatuor saltem annos probentur, nec ullus admittatur quin ad Sacrum Subdiaconatus Ordinem promotus sit. Porro dictae Congregationis Superiores Directores nuncupentur, et in quolibet Archiepiscopatu seu Provincia sint tres domus, quarum una sit domus probationis, seu solitaria, et alia Seminarii Clericorum sub uno Directore, quorum unus ab alio non dependeat, sed unusquisque Director in Provincia, vel Archiepiscopatu sibi assignato auctoritatem, et facultatem habeat observare faciendi Statuta, et Ordinationes Congregationis de consensu duorum vel plurium assistentium dictae Congregationis illorumque auctoritas ultra suam Provinciam nisi ad tempus, donec, et quousque videlicet tres domus dictae Congregationis in alia vicina Provincia institutae sint, extendatur. Ac tandem, quod singulis annis quilibet ex dictis Directoribus inquirat si qui in sua Provincia ad Fidem in partibus infidelium, et haereticorum propagandam apti et vocati adfuerint, et illos, quos tales repererit Sacrae Congregationi de Propaganda Fide offerat, et juxta illius decreta ad Evangelium gentibus, Evangelicae ve-

ritatis dogmata haereticis annunciandum dimittat. Ad haec praedicta Congregatio ejusque personae sicut ceteri clerici saeculares sub omnimoda jurisdictione Ordinariorum sint, et esse censeantur, juxta dispositionem Sacrorum Canonum et Sacri Concilii Tridentini. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, firmiora sint, et ab omnibus melius observentur ea quae Sedis praedictae Patrocinio comprobantur; quare etiam pro parte dictorum Superioris, et Sodalium Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus statuta praedicta approbare et confirmare, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur; Nos igitur qui salutem quaerimus animarum Fideique orthodoxae propagationem, nec non dictae, et quarumvis aliarum Congregationum ad id institutarum felix, et prosperum regimen, et directionem, ac summum ejusdem SS̄mi Sacramenti cultum, et honorem sinceris exoptamus affectibus, eosdem Superiorem et Sodales dictaeque Congregationis singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, ex voto Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis, et consultationibus de Propaganda Fide praepositorum, Statuta, Constitutiones, et Ordinationes hujusmodi Apostolica auctoritate tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illisque perpetuae, et inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adijcimus; et insuper Superiori, et Sodalibus praedictis ut quaecumque, et qualiacumque alia Statuta, Ordinationes, et Decreta domorum primodictae Congregationis illarumque rerum, bonorum, proventuum, reddituum, jurium, et emolumentorum, ac Sociorum seu Sodalium, ministrorum, familiarium, et personarum regimen, gubernium et administrationem, nec non divinorum officiorum, precum, et suffragiorum celebrationem, rationem in illis interessendi, modumque, et formam recipiendi, et admittendi Sodales, ac illos ad Missiones mittendi, et exercitia spiritualia faciendi, animarumque curam eis commissam exercendi, concernentia, ac alias quomodolibet utilia, necessaria, et opportuna, licita tamen, et honesta sacrisque Canonibus, et Concilii Tridentini, hujusmodi Decretis, ac Constitutionibus Apostolicis minime contraria, et ab Ordinariis locorum, in quibus ejusdem Congregationis domus institutae fuerint, vel eorum aliquibus examinanda, et approbanda facere, condere, et edere, ac quoties pro temporum varietate, et personarum qualitate expediens videbitur illa reformare, alterare, immutare, corrigere, et moderari, aliaque de novo condere, et edere libere et licite valeant. Ita ut ab omnibus et singulis ad quos spectat, et pertinet, ac spectabit et pertinebit, spectareque et pertinere potest, et poterit,

quomodolibet in futurum inviolabiliter sub poenis in eis comminandis, et infligendis, observari debeant, plenam, liberam, amplam, et omnimodam licentiam, et facultatem earumdem auctoritate, et tenore concedimus, et impartimur. Decernentes Superiorem et Sodales praedictos primodictae Congregationis Superiores, vel Directores, et Clericos, seu Sodales, aut eorum aliquem desuper a quocumque, quavis auctoritate fungente, vel dignitate praefulgente, molestari, inquietari, perturbari, aut quoquo modo impediri nullatenus unquam posse, sicque per quoscumque Judices Ordinarios, seu Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac etiam ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de latere Legatos, Vicelegatos, dictaeque Sedis Apostolicae Nuncios judicari, et definiri debere, irritum quoque, et inane quicquid secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Venerabilibus Fratribus Viennen., et Aquen. Archiepiscopis, ac Dilecto Filio Nostro, et Sedis Apostolicae praedicto Nuncio in Regno Galliae commoranti nunc, et pro tempore existentibus per Apostolica scripta mandamus quatenus ipsi, vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios praesentes nostras litteras, et in eis contenta, quaecumque ubi, et quando opus fuerit ac quoties pro parte dilectorum filiorum Directorum, et Sodalium primodictae Congregationis nunc et pro tempore existentium, seu cujusvis eorum fuerint requisiti solemniter publicantes eisdemque Directoribus, et Sodalibus, ac eorum singulis in praemissis, efficacis defensionis praesidio assistentes faciant auctoritate Nostra easque praesentes Nostras litteras, et in eis contenta quaecumque ab omnibus ad quos spectat et pertinet quomodolibetque spectabit firmiter et inviolabiliter observari, non permittentes eosdem Directores et Sodales, ac primodictae Congregationis singulares personas desuper a quocumque quomodolibet indebite molestari, impediri, aut perturbari, contradictores quoslibet, et rebelles per sententias, censuras, et poenas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo ac legitimis habendis super his processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii saecularis auxilio. Non obstantibus fel. recordationis Bonifacii Papae Octavi praedecessoris Nostri, qua cavetur ne quis extra suam Civitatem, vel Dioecesim, nisi in certis expressis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine suae Dioecesis ad judicium evocetur, seu ne judices a Sede praedicta deputari extra Civitatem vel Dioecesim in quibus deputati fuerint contra quoscumque procedere aut alii seu aliis vices suas committere praesumant, et in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis vigore praesentium, earumdem ad judicium non trahatur, ac quibusvis Apostolicis, ac in Synodalibus, et Provincialibus aliisque etiam universalibus, ac Gene-

ralibus Conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, et Ordinationibus ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, approbationis, confirmationis, adiectionis, concessionis, impartitionis, decreti, et mandati infringere, vel ei ausu temerario contrario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo quadragesimo septimo, duodecimo kalendas Octobris. Pontificatus Nostri Anno tertio.

H. Godfridi.

Erectio Collegii Maronitarum in urbe Ravenna.

INNOCENTIUS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quoniam divinae bonitati visum est humilitatem Nostram turbulentissimis Christianae Reipublicae temporibus ad Universalis Ecclesiae regimen vocare, ex eo tempore Nos, ejusdem adjuvante gratia, ea potissimum, sicut officii Nostri ratio postulat, cogitare, et agere non destitimus, quae ad divinum ubique cultum propagandum animarumque salutem procurandam cognovimus pertinere. In primis vero animo recolentes, Nationem Maronitarum, qui in Libani Montibus degunt, a multis saeculis sub S. R. E. obedientia, et devotione Fidem Catholicam inter tot circumstantes Infidelium, et Schismaticorum sectas retinere, nihil eidem Nationi utilius, et ad conservandam in illa veram puramque fidem Orthodoxam aptius existimamus, quam si pueri, et adolescentes ejusdem Nationis his in Regionibus pie educentur, et divinis humanisque litteris, quibus operam dandi facultas deest in partibus illis, gravi Turcarum tyrannide oppressis, sedulo instruantur. Cum itaque, sicut accepimus, quondam Victorius Scialac Acorensis Maronita, pio Catholicae Fidei, et erga suam Nationem charitatis zelo ductus, nonnulla certorum Montium Romanae Curiae non vacabilium loca pro instituendo in civitate Nostra Ravennatensi uno Maronitarum Collegio reliquerit, aliaque bona postmodum per Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, negocio Propagandae Fidei Praepositorum, ad eundem effectum adjuncta fuerint; hinc est, quod Nos opus hoc propagationis Fidei utilissimum totis viribus, prout ex susceptae servitutis officio tenemur, promovere cupientes, de praedictae Congregationis consilio, motu proprio, ac ex certa scientia ma-

turaque deliberatione Nostris, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, ad Dei omnipotentis laudem sanctaeque ipsius Ecclesiae incrementum, praecipuamque Nationis Maronitarum salutem et commodum, in dicta Civitate Ravennatensi unum Collegium pro adolescentibus Nationis praefatae sub invocatione Sancti Ephrem Syri tenore praesentium perpetuo erigimus, et instituimus, illique sic erecto, et instituto pro congrua ejus dote, ac Alumnorum ex praedicta Natione in illo pro tempore educandorum, et illis inservientium personarum sustentatione, onerumque illis incumbentium supportatione unam domum recens fabricatam in platea Ecclesiae Metropolitanae Ravennatensis juxta ab uno dictam plateam, et ab alio lateribus bona, seu aedes dilectorum filiorum Comitum Petri, et Alexandri de Ginanis, ac Caesaris de Turre, et aliorum, suos notissimos fines sitam; necnon unam possessionem tornaturarum quadraginta novem circiter mensurae illarum partium cum domo, et aliis suis pertinentiis in territorio Ravennatensi in Villa de Gambellaria existentem, divisam in sex petia, quorum unum viae publicae fluminis Ronci, ac bonis dilecti filii Pompilii de Pompiliis, et viae de Gambellaria, alterum viae publicae, et bonis dilecti etiam filii Joannis de Peregrinis, tertium bonis Ecclesiae Sancti Georgii, et dicti Pompilii, quartum bonis dilectorum pariter filiorum Comitum Josephi, et Francisci de Septem Castellis, quintum viae publicae, ac bonis dilecti itidem filii Julii Francisci Abbiosi, et sextum bonis haeredum quondam Hieronymi Abbiosi, et quondam Marci Antonii de Pompiliis sunt respective contermina; necnon aliam tornaturarum septuaginta septem circiter in eodem Territorio in Villa de Sancterna terrae arativae, arboratae, et vineatae cum domibus, et aliis pertinentiis suis in duo petia divisam possessionem, quorum unum sexaginta duarum tornaturarum viae publicae a duobus lateribus, et bonis dicti Caesaris, alterum vero quindecim tornaturarum circirer viae de Sale nuncupatae, ac bonis illorum de Barellis respective cohaerent; ac insuper novem fabricae secundae, et duo primae erectionum, necnon duo Ursini secundae erectionis, et quatuordecim novennalis, ac quadraginta salis tertiae erectionis Montium non vacabilium Romanae Curiae loca etiam perpetuo attribuimus, applicamus, et appropriamus: ipsumque Collegium, et illius pro tempore Alumnos Collegiales, et personas omnimodae jurisdictioni, regimini, et gubernio ejusdem Congregationis, cum facultatibus eidem Congregationi alias auctoritate Apostolica concessis super Collegiis Avenionensibus itidem perpetuo subijcimus, supponimus, et submittimus. Et quoniam fundatio, et dotatio Collegii hujusmodi majori ex parte a praedicta Congregatione provenit, idcirco Nos illud declaramus Collegium Pontificium membrumque ejusdem Congregationis, atque uti tale quod fruatur, et utatur, ac uti, et frui possit, et debeat privilegiis ipsi Congregationi auctoritate

Apostolica concessis, et praesertim quoad forum, ita ut Rector, Alumni, et ministri quicumque ejusdem Collegii pro tempore existentes tam civiliter, quam criminaliter active, et passive conveniri non possint, et respondere non teneantur, nisi coram Judice a praedicta Congregatione deputando. Necnon quod quaecumque patentes, seu aliae litterae, chirographa, instrumenta, testamenta, codicilli, et aliae quaecumque scripturae quocumque nomine censeantur, nec non quaecumque litterae Apostolicae tam sub plumbo, quam in simili forma Brevis, earumdemque litterarum Apostolicarum supplicationes super quibuscumque negociis, rebusque, et bonis, tam mobilibus, quam immobilibus, ad dictum Collegium quomodolibet spectantibus, et pertinentibus, ac demum super quocumque interesse idem Collegium quovis modo, et ex quavis causa concernente pro tempore conficiendae, et registrandae, necnon similiter quaecumque litterae quas Rectori, et Alumnis, ministrisque dicti Collegii scribi, vel ab ipsis scriptas extra civitatem Ravennatensem mitti contigerit, gratis omnino, et absque ulla mercede, aut alicujus rei etiam minimae solutioni expediri, confici, registrari, tradi, et mitti debeant juxta tenorem litterarum in simili forma Brevis per fel. rec. Gregorium Papam XV. ad favorem dictae Congregationis super praemissis die 24. Decembris 1622. expeditarum; et generaliter quod Collegium hujusmodi, illiusque Rector, Alumni, et Ministri praedicti quibuscumque privilegiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, facultatibus, gratiis, et indultis, quibus cetera Collegia Pontificia, illorumque Rectores, Alumni, et Ministri quovis modo utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, frui, et potiri, ac gaudere possunt, et poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad eorum instar, sed principaliter, et pariformiter, in omnibus, et per omnia uti, frui, potiri, et gaudere valeant. Et praeterea ut hujusmodi Collegii Alumni post studiorum labores ad succurrendum spiritualibus patriae necessitatibus alacriores reddantur, ejusdem Alumnis, ut postquam per triennium continuum in eodem Collegio manserint sine aliquibus suorum Ordinariorum litteris dimissoriis, sed cum solis litteris testimonialibus dicti Collegii Rectoris pro tempore existentis de eorum vita, et moribus ad omnes etiam sacros, et presbyteratus Ordines ad titulum missionis sine aliquo beneficii, vel patrimonii titulo, etiam extra tempora, ad id a jure statuta, et intra annum annique curriculo non expectato minusque servatis a sacro Concilio Tridentino designatis interstitiis (dummodo alia ab eodem Concilio requisita habeant) a quocumque, quem voluerint, Catholico Antistite, gratiam, et communionem Sedis Apostolicae habente, in propria Dioecesi residente, vel in aliena de Dioecesani loci licentia Pontificalia exercente, si ad id alias reperiantur idonei, promoveri, et postquam promoti fuerint in illis, etiam in Altaris ministerio ministrare libere, et licite pos-

sint. Praeterea Rectori pro tempore existenti dicti Collegii illos, qui in eodem Collegio per continuum triennium, vel ultra, non autem citra permanserint, et quos idem Rector, praevio rigoroso examine, scientia, ac moribus idoneos esse repererit, in Philosophia, vel Decretis, aut sacra Theologia ad Baccalaureatus, Licentiaturae, Doctoratusque, et Magisterii gradus, servata forma Concilii Viennensis, juxta Universitatis almae Urbis consuetudinem, seu alias promovendi, et ipsorum graduum solita insignia exhibendi, eisque in facultatibus supradictis sic promotis, ut illas legitime interpretari, ac de eis disputare, et quoscumque gradui, seu gradibus hujusmodi convenientes actus exercere, ac omnibus, et singulis privilegiis, gratiis, favoribus, praerogativis, et indultis, quibus alii in praedicta, seu aliis Universitatibus, et alibi, juxta illius, et aliarum Universitatum hujusmodi constitutiones, et mores ad gradus praedictos promoti de jure, vel consuetudine utuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, potiri, et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti potiri, et gaudere possint et debeant, perinde ac si gradus praedictos in ipsa Universitate juxta consuetudines, et mores praedictos suscepissent, concedendi et indulgendi plenam, et liberam facultatem, et auctoritatem earumdem tenore praesentium concedimus, et impartimur. Ut vero temporalibus commodis spiritualia munera quoque conjungamus, quibus fidelium devotio, et merita crescere magis ac magis possint, de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus et singulis scholaribus, Rectoribus, et Ministris, qui in idem Collegium recepti fuerint, in ipso ingressu, et deinde in exitu, si quidem confessi, et contriti sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, atque etiam in eodem Collegio decedere eos ab humanis contigerit, in mortis articulo, ipsis quoque, ac ceteris utriusque sexus fidelibus vere poenitentibus, et confessis, ac sacra Communione refectis, qui Ecclesiam Collegii praedicti die festo Sancti Ephrem a primis vesperis usque ad occasum solis festi hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus, et elargimur. Decernentes praemissa omnia, et singula, ac praesentes nullo unquam tempore ex quibusvis causis de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis Nostrae, vel quocumque alio defectu notari, impugnari, seu etiam revocari, suspendi, restringi, limitari, aut in jus, vel controversiam vocari, seu ad terminos juris reduci posse, nec quemcumque ad easdem praesentes in Camera Apostolica juxta Constitutionem piae mem. Pii Papae IV. etiam praedecessoris Nostri desuper editam, aut alias quandocunque praesentandum, insinuandum, et registrari faciendum

teneri, neque propterea illas irritas esse, sed omni meliori modo valere, ac si constitutio praedicta, et alia contraria minime emanassent, sicque per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos, etiam Camerae Apostolicae Praesidentes, Clericos, aliosque Ministros, et Officiales, ac ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Camerarium, Vicecamerarium, et causarum Palatii Apostolici Auditores et alios ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et diffiniri debere, irritumque, et inane quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Venerabili Fratri Nostro Episcopo Cerviensi, ac dilectis filiis Curiae causarum Camerae Apostolicae Generali Auditori, necnon Archidiacono Ecclesiae Ravennatensis, Motu pari mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios praesentes Nostras litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Rectoris, et Alumnorum Collegii hujusmodi fuerint requisiti solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate Nostra easdem praesentes, et in eis contenta hujusmodi ab omnibus, ad quos spectat, et pro tempore spectabit firmiter, et inviolabiliter observari, ac Rectorem, et Alumnos hujusmodi illis pacifice frui, et gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet, et rebelles per sententias, censuras, et poenas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, et censuras, et poenas ipsas, servata forma ejusdem Concilii Tridentini, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Non obstantibus Nostra de gratiis ad instar non concedendis, ac quibusvis constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, etiam in Conciliis universalibus editis, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et litteris Apostolicis quibusvis Universitatibus, Collegiis, eorumque Rectoribus, et personis, et quibuslibet aliis, etiam sub quibusvis verborum tenoribus, et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, necnon irritantibus, et aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, et alias quomodolibet etiam iteratis vicibus concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmo-

di, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, insererentur et exprimerentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter, aut divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem quod earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo communi ejusdem Collegii, aut alicujus Curiae ecclesiasticae, seu personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 6. Julii 1648. Pontificatus Nostri Anno quarto.

M. A. Maraldus.

De sacris libris ritu quidem romano, sed idiomate sclavonico, et characteribus S. Hieronymi conscriptis, qui opportuna indigent recognitione, tractatur.

INNOCENTIUS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Romanum Pontificem, cui ex dispositione divina omnium Orbis Ecclesiarum cura incumbit, sedulo decet invigilare, ut cuncta ad catholicam fidem, divinumque cultum pertinentia rite, recteque in Ecclesiis praescriptis peragantur, et praesertim ut Sacrae Scripturae et alii codices, qui fidei cultusque hujusmodi fundamenta et sacras preces, laudibus gratiisque Deo persolvendis, continent, quocumque tempore, vel idiomate aut charactere conscripti sint, mendis atque erroribus plane careant, illisque omnino expertes ab omnibus habeantur. Cum igitur Illyricarum gentium, quae longe lateque per Europam diffusae sunt, atque ab ipsis gloriosis Apostolorum Principibus Petro et Paulo potissimum Christi fidem edoctae fuerunt, libros sacros jam inde a D. Hieronymi temporibus, ut pervetusta ad Nos detulit traditio, vel certe a Pontificatu fel. rec. Joannis PP. VIII. Praedecessoris Nostri, uti ex ejusdem data super ea re Epistola constat, ritu quidem Romano sed idiomate Sclavonico, et charactere Sancti Hieronymi vulgo nuncupato conscriptos, opportuna recognitione indigere compertum sit; Nos rec. me. Urbani PP. VIII.

et Praedecessoris Nostri, qui Missale Illyricum emendatum juxta nuperrimas illius reformationes charactere Hieronymiano, ac lingua Sclavonica typis vulgari mandavit, vestigiis inhaerentes, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotio Propagationis Fidei per universum Mundum praepositorum consilio, Venerabili Fratri Raphaeli Archiepiscopo Acridae, seu primae Justinianae mandavimus ut Breviarium Illyricum ante annos centum impressum recognosceret, et ad formam Breviarii Romani latini nuper a praedicto Urbano Praedecessore reformati in praescriptam linguam Sclavonicam redigeret, quod cum idem Raphael Archiepiscopus diligenter praestiterit, dictumque novum Breviarium Illyricum a peritis praescriptae linguae, et in Sacris Litteris edoctis viris comprobatum fuerit; idcirco Nos motu proprio ac ex certa scientia et matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, de simili praedictorum Fratrum Nostrorum consilio Breviarium praescriptum tenore praesentium confirmamus, et approbamus, typisque mandari jubemus, quod vero in rubricis hujus novi Breviarii Illyrici praescribitur, quibus diebus Officium Beatae Mariae semper Virginis, et Defunctorum, ibidem septem Psalmos Poenitentiales, et Graduales dici, et psalli oporteat. Nos propter varia hujus vitae negotia multorum occupationibus indulgentes, peccati quidem periculum ab ea praescriptione removendum duximus. Verum ex debito providentiae Pastoralis omnes vehementer in Domino hortamur, ut remissionem nostram quantum fieri poterit sua devotione, ac diligentia praevenientes illis et precibus, suffragiis, et laudibus, suae et aliorum saluti consulere studeant, atque ut fidelium voluntas magis etiam ad salutarem hanc consuetudinem incitetur, de Omnipotentis Dei misericordia, ac eorumdem Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus qui illis ipsis diebus in rubricis hujusmodi praefinitis, Beatae Mariae, vel Defunctorum Officium dixerint, toties centum dies, qui vero septem Psalmos poenitentiales, vel graduales recitaverint, toties quinquaginta dies de injunctis ipsis, aut alias debitis poenitentiis relaxamus. Hoc autem concedimus sine praejudicio laudabilis consuetudinis illarum Ecclesiarum, in quibus Officium parvum Beatae Mariae semper Virginis in Choro dici consueverat, itaut in praescriptis Ecclesiis servetur ipsa laudabilis, et sancta consuetudo celebrandi more solito praescriptum Officium. Ceterum ut Breviarium novum hujusmodi ubique inviolatum, et incorruptum habeatur, sub excommunicationis latae sententiae, a qua nemo nisi a Nobis, et pro tempore existente Rom. Pontifice praeterquam in mortis articulo constitutus absolvi valeat, poena prohibemus, ne dictum Breviarium alibi in toto Orbe sine nostra, vel speciali Sedis Apostolicae licentia in scriptis obtinenda imprimatur, aut impressum proponatur seu recipiatur. Non obstantibus quibusvis licentiis et facultatibus Breviaria hujusmodi imprimendi, quibusvis

etiam titulo oneroso forsan, et auctoritate Apostolica concessis, nec non Apostolicis, ac in Universalibus Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, ac quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica vel quavis alia firmitate roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis et literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis; Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis haberi, illis alias in suo robore permansuris, ad officium praemissorum specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Ut vero praesentes litterae omnibus plenius innotescant, mandamus illas ad valvas Basilicae Principis Apostolorum et Cancellariae Apostolicae, et in acie Campi Florae de Urbe publicari earum exemplar de more inibi affigi, et affixum relinqui. Ac insuper volumus ut ipsarum praetium exemplis, seu transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus Praelati Ecclesiastici, aut illius Curiae obsignatis, ac etiam ipsis voluminibus absque praescripto, vel alio adminiculo Romae impressis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 22. Februarii 1648. Pontificatus Nostri Anno quarto.

M. A. Maraldus.

Cum Card. Luduvisius Collegium Romae, quo juvenes Hiberni patria aufugientes reciperentur, hospitio fundasset, ipsorum alumnorum gubernio consulit, et directioni, eosque Sedi Apostolicae subjicit, et pluribus privilegiis prosequitur X. Innocentius.

INNOCENTIUS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Inscrutabilis divinae Providentiae altitudo a qua bona opera cuncta procedunt, ea fidelium suorum animis quandoque suggerit, quae ad Collegiorum institutionem, ac pauperum studiis litterarum incumbere volentium manutentionem noscuntur pertinere: unde Nos, quibus ab eadem Providentia militantis Ecclesiae regimen est commissum ipsorum fidelium praesertim S. R. E. Cardinalium pias voluntates ad id tendentes ut votivos sortiantur effectus, Apostolici favoris suffragio libenter prosequimur, ac desuper officii Nostri partes interponimus prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Cum itaque sicut accepimus bon. mem. Ludovicus S. R. E. Cardinalis

Ludovisius nuncupatus pro egregia sua in Deum pietate et in proximum charitate ut juvenes Catholici ex Regno Hiberniae inter ceteras orbis Provincias olim orthodoxae Religionis cultu, sinceraque erga Romanos Pontifices, et hanc Sanctam Sedem obedientia in primis conspicuo nunc autem (proh dolor!) haeretica labe partim infecto, Romam tanquam ad communem Christianorum matrem, patria, parentibus, bonisque relictis, auxilii et instructionis causa confugientes honeste recipi et sustentari, ac humanis divinisque litteris probe instrui possent, ut pietate, doctrina, moribusque Catholicis imbuti in patriam ad conterraneos suos in viam salutis, a qua Diaboli seductione misere aberrant, verbo et exemplo reducendos revertuntur, unum Collegium pro alendis juvenibus Hibernis hujusmodi in Urbe praedicta ex propriis suis bonis et facultatibus fundaverit, et abunde dotaverit; Nos felici ejusdem Collegii statui, illiusque Alumnorum gubernio, et directioni quantum cum Domino possumus consulere ac Dilectum Filium nobilem virum Nicolaum Ludovisium Principem Plumbini, et Venusin., Dilectae in Christo Filiae nobilis mulieris Constantiae Pamphiliae Nostrae secundum carnem ex fratre germano Nepotis Conjugem praedicti Ludovisi Cardinalis fratrem germanum, et haeredem universalem eximiorum ejus in Nos et Sedem praedictam meritorum intuitu, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censents, Motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, idem Collegium a dicto Ludovico Cardinale fundatum et dotatum ut praemittitur esse et perpetuo fore de Jurepatronatu praedicti Nicolai Principis ejusque descendentium per lineam masculinam de primogenito in primogenitum, seu illum qui in jura primogeniturae hujusmodi successerit, et in defectum lineae masculinae descendentium ejusdem Nicolai Principis per lineam foemininam, eaque etiam deficiente, suorum haeredum et successorum quorumcumque, ac Juspatronatus hujusmodi illis ex primaeva, integra et omnimoda fundatione, et dotatione de bonis haereditariis dicti Ludovici Cardinalis mere patrimonialibus facta competere; itaut ad ipsum Nicolaùm Principem, et alios praedictos, servato ordine supra expresso tanquam veros, et indubitatos patronos ejusdem Collegii jus nominandi omnes et singulos Alumnos qualitatibus infrascriptis praeditos, qui a pro tempore existente Rectore dicti Collegii sine ulla tergiversatione admitti, et recipi omnino debeant privative quoad quosvis alios quocumque jure suffultos, spectet et pertineat, tenore praesentium decernimus et declaramus, et quatenus opus foret, eidem Nicolao Principi, et aliis

praedictis Juspatronat., et nominandi Alumnos hujusmodi reservamus, hortamurque in Domino ipsum Nicolaum Principem et ejus descendentes, et successores praedictos, quatenus in eam curam sedulo incumbant, ut voluntas dicti Ludovici Cardinalis hac in re quam exactissime servetur, ipsique in eventum gravis scandali possint e dicto Collegio dimittere, et amovere illos Alumnos qui scandalo hujusmodi causam praebuerint: Curent insuper ut in eodem Collegio tot Alumni manuteneantur, quot ex dote per dictum Ludovicum assignata honeste educari poterunt. Porro omnes et singulos Alumnos in dictum Collegium pro tempore recipiendos sequentibus qualitatibus praeditos esse, et infrascripta requisita omnino habere volumus, videlicet ut ex dicto Regno Hiberniae, a parentibus Catholicis, et ex legitimo matrimonio nati, bonaeque conditionis et famae sint, fidem authenticam Baptismi ab eis suscepti deferant, catholicaeque fidei, in qua nati sunt, cultores semper extiterint, curam animarum non habeant, mente et corpore sani, lingua expediti, facie decori, et ingenio ad Philosophiae et Theologiae studia apto existant, neque Monachi neque Religiosi, minusque apostatae fuerint, aetatem sexdecim annorum excedant, humaniorum litterarum et grammaticae studiis incumbuerint. Praeterea ut in dicto Collegio Theologiae et Philosophiae, ac graecis hebraicisque litteris pro uniuscujusque captu dent operam, nec non in devotione et pietate, cantibusque et caeremoniis ecclesiasticis, prout melius ipsi Rectori visum fuerit, se exerceant; teneantur quoque praestare singuli in eorum in Collegium praedictum admissione juramentum de perseverando in vita ecclesiastica, seque finitis studiis, ac etiam ante illorum finem, si ita suis Superioribus videbitur, in patriam prompto alacrique animo redituros, ut inibi procurandae animarum saluti sedulo vacent, quodque sacros etiam Presbyteratus Ordines suscipient quandocumque a suis Superioribus jussi fuerint, victu item communi sibi a dicto Collegio subministrando, nec non forma et qualitate vestium sibi praescribenda Alumni praedicti omnino contenti esse debeant, Regulasque seu Constitutiones, et ordinationes ejusdem Collegii adamussim observent, seque illarum interpretationi a Superioribus faciendae submittant et conforment, omnem vero pecuniam quam secum in sua ad Collegium hujusmodi receptione adferent, teneantur deponere penes Oeconomum dicti Collegii, ut cum eos in patriam reverti contigerit ipsis pro viatico, ac vestibus inserviat, nec in alios usus illam convertere possint; Insuper ipsum Collegium, ac illius pro tempore existentes Alumnos, oeconomos, officiales, et ministros, ac personas eorumque res et bona mobilia, et immobilia, praesentia et futura cujuscumque quantitatis, qualitatis, generis, et speciei existentia ab omni et quacumque nunc et pro tempore existentium dictae Urbis Gubernatoris, Senatoris, Conservatorum, Reformatorum, Rectoris universitatis studii generalis ejusdem Urbis, locorum ordinariorum,

ac nostri et Romani Pontificis pro tempore existentis in eadem Urbe et illius districtu Vicarii generalis in spiritualibus, nec non causarum Curiae Camerae Apostolicae generalis Auditoris, et quorumcumque nostrorum et Sedis Apostolicae Legatorum ac Vice-legatorum, nec non quarumcumque aliarum personarum ubilibet constitutarum quavis auctoritate, et potestate, ac dignitate tam ecclesiastica quam mundana, etiam Cardinalatus fungen., et Tribunalium quorumlibet visitatione, correctione, jurisdictione, dominio, superioritate, et potestate perpetuo eximimus, et liberamus, ac sub nomine, et pro tempore existentis Romani Pontificis protectione suscipimus, eidemque Sedi immediate subiicimus. Praeterea omnibus et singulis Alumnis pro tempore existentibus Collegii hujusmodi ut etiam absque litteris dimissorialibus suorum ordinariorum, sed cum solis Rectoris ejusdem Collegii testimonialibus litteris de eorum vita, moribus et idoneitate, etiam absque titulo beneficii Ecclesiastici vel patrimonii a quocumque quem maluerint Catholico Antistite gratiam et communionem Sedis Apostolicae habente in sua Dioecesi residente, vel in aliena de Dioecesani loci licentia Pontificalia exercente, clericali charactere insigniti, ac de quatuor minores etiam unico festivo, vel feriato nec non ad Sacros Subdiaconatus, Diaconatus, et Presbyteratus Ordines tribus dominicis seu aliis festivis continuis vel interpolatis diebus, etiam extra tempora ad id a jure statuta, ac non servatis interstitiis a Sacro Concilio Tridentino designatis annique curriculo non exspectato, etiamsi antequam de uno ad alium ordinem promoveantur, in primo quoque suscepto ordine se non exercuerint, dummodo sint aetatis legitimae, nullumque aliud eis canonicum obstet impedimentum, servatisque alias servandis, promoveri, et promoti in susceptis sic per eos Ordinibus hujusmodi etiam in Altaris ministerio ministrare libere et licite possint et valeant: Demum eisdem Alumnis vere poeniten. et confessis, ac Sacra Communione refectis in die eorum ingressus in praedictum Collegium nec non in articulo mortis constitutis, si pariter vere poenitentes et confessi, ac sacra Communione refecti, vel saltem contriti nomen Jesu ore, si potuerint, sin minus corde, devote invocaverint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus, utque in Paschate praevia Sacramentali Confessione Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in Capella dicti Collegii sumendo praecepto Ecclesiae satisfaciant indulgemus; Decernentes praesentes litteras, omniaque et singula in eis contenta etiam ex eo quod quicumque in praemissis, seu eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes eis nullatenus consenserint, nec ad ea vocati et auditi, minusque causae propter quas eaedem praesentes emanarunt, adductae, verificatae, seu alias sufficienter, aut etiam nullatenus justificatae fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invalidatis vitio, seu

intentionis Nostrae, aut alio quovis defectu quantumvis magno, inexcogitato et substantiali, sive etiam ex eo quod in praemissis, seu eorum aliquo solemnitates, et quaevis alia servanda et adimplenda, servata et adimpleta non fuerint, aut ex quovis alio capite a jure vel facto, aut statuto vel consuetudine aliqua resultante, aut quocumque alio colore etiam in corpore juris clauso, seu occasione vel causa etiam quantumvis justa, rationabili et privilegiata etiam tali quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret aut quod de voluntate nostra hujusmodi et aliis superius expressis seu relatis nihil ullibi appareret, seu aliter probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari seu etiam suspendi, restringi, limitari, in jus vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis et ad terminos juris, aut aliud quodcumque juris, facti, gratiae, vel justitiae remedium impetrari seu etiam motu simili, ac etiam concistorialiter et alias quomodolibet concedi, aut sic impetrato vel concesso quempiam uti, aut se juvare in judicio vel extra posse, neque ipsas praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore etiam per Nos, et Successores Nostros Romanos Pontifices Sedemque praedictam etiam motu pari, ac etiam concistorialiter, et alias quomodolibet faciendis comprehendi, vel comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas esse et fore, ac quoties illae emanabunt toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub posteriori data per dictum Nicolaum Principem ejusque descendentes, ac haeredes et successores, nec Rectorem, Alumnos, Oeconomos, aliosque Ministros dicti Collegii pro tempore existentes quandocumque eligendas concessas, perpetuoque validas, firmas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac per omnes et singulos ad quos spectat, et quomodolibet spectabit in futurum inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque Judices ordinarios et Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, et Nuncios, ac alios quavis auctoritate, et potestate fungentes, nunc et pro tempore existentes in quavis causa et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, et auctoritate judicari et difiniri debere, irritum quoque, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quatenus in aliquo adversetur praedicti Ludovici Cardinalis etiam ultima voluntate, ac quibusvis Apostolicis, et Universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus, et ordinationibus, et quatenus opus sit Nostra, et Cancellariae Apostolicae

regula de non tollendo jure quaesito, nec non felic. rec. Pii Papae Quarti Praedecessoris Nostri de gratiis interesse Camerae Apostolicae concernen. in eadem Camera praesentandis et registrandis, nec non Urbis praedictae, et quibusvis aliis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque indultis, et litteris Apostolicis eidem Urbi, illiusque studio, nec non Vicario, Gubernatori, Senatori, Conservatoribus, Reformatoribus, Rectori, Ordinariis, ac Judicibus praedictis, et quibusvis aliis etiam speciali expressione, dignis etiam ejusdem S. R. E. Cardinalibus sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie etiam motu, scientia, deliberatione, et potestatis plenitudine similibus etiam consistorialiter, et alias quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tamen specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio facienda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores et formas praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac insertis habentes; illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus, et derogatum esse decernimus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 22. Maii 1647. Pontificatus Nostri Anno tertio.

Sumptum ex minuta originali Brevium Secretorum fael. rec. Innocentii PP. X. collatum concordat.

G. Gualterius.

Episcopus Bellegradensis Ecclesiae Samandiensis administrator, et Vicarius Apostolicus in Ecclesiis Hungariae sub Turcis Episcopum residentem non habentibus, ad Sedis Apostolicae beneplacitum constituitur.

Venerabili Fratri Matthaeo Episcopo Bellegraden.

INNOCENTIUS PAPA X.

Venerabilis Frater, Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Christifidelium inter flumina Dravi, Savi, Danubis et Tibischi, ac in specie Bacha usque ad Temisvar Regni Hungariae inhabitantium, animarum saluti pro commissi Nobis Pastoralis officii debito paterna charitate prospicere cupientes, ac de fraternitatis tuae fide, pietate, ac Religionis zelo plurimum in Domino confisi, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, Te Administratorem Ecclesiae Samandiensis, necnon Vicarium Apostolicum in Ecclesiis Hungariae sub Turcis Episcopum residentem non habentibus, juxta tamen confines supra expressos, Apostolica auctoritate tenore praesentium ad Nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum facimus, constituimus et deputamus. Teque in Domino hortamur et monemus, ut curam et administrationem Ecclesiarum hujusmodi illorumque Christifidelium sic exercere studeas sollicite et fideliter ac prudenter, ut praeter aeternae retributionis praemium, Nostram et Sedis Apostolicae benedictionem et gratiam uberius consequi merearis. Mandantes eisdem Christifidelibus in virtute sanctae obedientiae, quatenus te tanquam Patrem et protectorem animarum suarum devote suscipientes, et debita honorificentia pertractantes, tuis monitis et mandatis salubribus prompte pareant et obediant. In contrarium facien. non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 4. Decembris 1651. Pontificatus Nostri Anno octavo.

Franciscus Caëtanus.

De applicatione haereditatis Episcopi Aureliopolitani, qui Regularem professionem Religionis de Monte Carmelo emiserat, agitur.

INNOCENTIUS PAPA X.

Venerabilis Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Alias cum Nobis innotuisset judicatum fuisse haereditatem bon. mem. nuper defuncti Episcopi Aureliopolitani Venerabilis Fratris Episcopi Osnaburgen. suffraganei dum viveret, qui in minoribus constitutus Professionem per Fratres Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo emitti solitam, expresse emiserat Regularem, et intestatus discessit, aliis haereditatis hujusmodi praetensoribus exclusis, ad hanc Sanctam Sedem, et Cameram Nostram Apostolicam spectare, et pertinere; Nos haereditatem hujusmodi in servitium Fidei Catholicae, ac in alia pietatis opera in illis partibus, de voto Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotio Propagandae Fidei praepositorum, erogari voluimus. Ut igitur quod a praefata Congregatione circa applicationem dictae haereditatis sub Nostro beneplacito pie resolutum fuit, debitae executioni quam primum demandetur, motu proprio, ac ex certa scientia Nostra, Fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut, ex rebus haereditatis praefatae ejusdem Episcopi Aureliopolitani, summam mille scutatorum monetae romanae, ad rationem decem juliorum ejusdem monetae pro quolibet scuto, dilecto filio nobili viro Ernesto Hassiae Landtgravio in subsidium constructionis trium Ecclesiarum, quas ipsi Ernesto Landtgravio in propriis suis ditionibus aedificare permissum fuit, ea tamen lege, ut fabrica Ecclesiarum hujusmodi intra terminum duorum annorum absolvatur, auctoritate Nostra Apostolica concedas et assignes. Praeterea ex eadem haereditate ducentos talleros monetae illarum partium in emptionem alicujus rei fructiferae, ex cujus fructibus anniversarium praedicti Aureliani Episcopi in Ecclesia, in qua sepultus fuit, quotannis in perpetuum celebrari debeat, expendas. Ad haec alios ducentos talleros similes ex rebus haereditatis hujusmodi, Ecclesiae dilectarum in Christo filiarum monialium monasterii S. Francisci nuncupati, oppidi Aquisgrani Leodien. Dioecesis, in tot paramentis ad usum sacristiae ejusdem Ecclesiae deservituris, obsequiorum per easdem moniales dicto Aureliopolitano Episcopo, dum viveret, diversis temporibus praestitorum, nec non, bonae intentionis ejusdem Aureliopolitani Episcopi ex quodam ejus chirographo imperfecto cognitae contemplatione, eadem auctoritate Nostra dones. Ceteras vero res haereditatis praefatae Confraternitati de Passione Asyli conversorum nuncupatae in civitate Colonien. in

Ecclesia dilectorum filiorum Fratrum Minorum Ordinis S. Francisci Cappuccinorum nuncupatae, canonice erectae, et institutae, ita quod fructus rerum haereditariarum hujusmodi in opus conversionis haereticorum ad fidem catholicam, nec non subventionis pauperum ad illam pro tempore conversorum per dilectos pariter filios Superiores, et ufficiales ejusdem Confraternitatis insimul sub tua, et pro tempore existentium Nostrorum, et Sedis Apostolicae in illis partibus Nunciorum respective directione, cum participatione tamen, et superintendentia Congregationis eorumdem Cardinalium integre erogari debeant. Ea propter ceterae res haereditatis hujusmodi in aliquod capitale stabile securum, et fructiferum cum speciali assistentia tua investiantur, eo fine, ut investimentum hujusmodi charitatis Apostolicae monumentum, et perenne pauperum ad fidem catholicam conversorum subsidium, ut praefertur, existat, auctoritate Nostra praedicta, applices. Nos enim tibi super praemissis omnibus, et singulis necessariam et quomodolibet opportunam facultatem tribuimus, et impertimur. Non obstantibus quibusvis Apostolicis et in universalibus, provincialibusque Conciliis editis, generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus: et res Sedis, et Camerae praedictae alienari quomodolibet prohibemus, et quatenus opus sit fel. rec. Pii Papae IV. praedecessoris Nostri de gratiis qualecumque interesse dictae Camerae concernentibus in illa praesentandis, et registrandis, ac de jure quaesito non tollendo, et de exprimendo vero valore in unionibus, et applicationibus, et illis committendis, et ad praesentes vocatis quorum interest, aliisque Nostris, et Cancellariae Apostolicae regulis, privilegiis, quoque indultis, et litteris Apostolicis in favorem Sedis, et Camerae praefatarum, et alias in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, obfirmatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenoribus, praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorm sub Annulo Piscatoris die 22. Novembris 1654. Pontificatus Nostri Anno undecimo.

Seminarium S. Pauli, seu S. Mariae de Victoria de Urbe, Provinciae Romanae, seu Provinciali Romano subjectum esse debere, quibusdam S. Congregationi reservatis, declaratur.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Decet Romanum Pontificem Dominici Gregis utilitatibus, ex im-

positae sibi divinitus Apostolicae servitutis officio, jugiter invigilantem, circa ea quae ad Fidei Catholicae augmentum ac religiosorum Priorum sub suavi religionis jugo Altissimi obsequiis mancipatorum tranquillitatem et facilem directionem conferunt, sollicitis studiis intendere, ac desuper curae suae pastoralis partes interponere, prout rationi judicat esse consentaneum. Cum itaque licet alias diversis temporibus sub gubernio, et regimine Conventus seu Seminarii Sancti Pauli, sive Sanctae Mariae de Victoria nuncupatae de Urbe, Ordinis fratrum Discalceatorum ejusdem Sanctae Mariae de Monte Carmelo, diversae ordinationes emanarint, nec tunc hactenus tam super praemissis, quam super juribus et praetensionibus dilectorum filiorum Fratrum Provinciae Romanae ejusdem Ordinis ea in re plene provisum fuerit; hinc est quod Nos dictae Religionis unioni et paci, nec non eorumdem Fratrum Provinciae Romanae indemnitati praedictique Conventus seu Seminarii prosperae directioni ad Omnipotentis Dei gloriam opportune providere volentes, ac quarumvis litterarum Apostolicarum, praesertim fel. rec. Pauli V., Urbani VIII., et Innocentii X. Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum etiam in simili forma Brevis expeditarum, nec non Decretorum Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum, ac Capitulo generalis Ordinis, hujusmodi concordiarum, testamentorum, codicillorum, legatorum et aliarum dispositionum quarumcumque tenores etiam veriores, et datas, ac alia etiam speciali expressione digna praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes; supplicationibus dilecti etiam Filii Provincialis et eorumdem Fratrum Provinciae Romanae Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de voto nonnullorum ex Cardinalibus praedictis, qui in exequutionem commissionis, et mandati Nostri, jura, rationes, titulos, et fundamenta tam ex parte dilectorum pariter filiorum Praepositi Generalis, et Procuratoris, ac Definitorii generalium, quam ex parte dictorum Provincialis, et Fratrum praedictae Provinciae Romanae Ordinis supradicti, data, exhibita, et producta viderunt, examinarunt, et consideraruut; auctoritate Apostolica, tenore praesentium statuimus, decernimus, et ordinamus dictum Conventum, seu Seminarium Sancti Pauli, seu Sanctae Mariae de Victoria de Urbe esse debere Provinciae Romanae saepe dictae, Provinciali Romano subjectum in omnibus, et per omnia, etiam quoad Conventualitatem Fratrum non Seminaristarum, ad instar aliorum dictae Provinciae Conventuum ac officiales a Capitulo generali, seu Definitorio generali electos, et ibidem constitutos dimittendos Priorem, Subpriorem, seu Vicarium etc. ad Capitulum seu Definitorium Provinciale ejusdem Provinciae Romanae in futurum spectare electionem Prioris (cum participatione tamen et approbatione, quoad hunc, dictae Congregationis Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum); nec non etiam Subprio-

ris seu Vicarii, aliorumque Officialium Conventus, seu Seminarii hujusmodi ad formam Constitutionum praedictae Religionis: remanentibus tamen ibidem Seminario et Seminaristis eorumque controversiarum, et linguarum orientalium Lectoribus, et magistris ad praesens existentibus, et pro tempore futuris, quorum electio, et amotio cum participatione Praepositi Generalis dicti Ordinis ad Congregationem Cardinalium praedictorum in futurum spectet, et pertineat. Insuper administrationem omnium et singulorum bonorum, reddituum, et proventuum tam a quodam Francisco Cimino Barone de Cacuni, quam ab aliis relictorum, datorum, seu donatorum, et in posterum relinquendorum, dandorum, seu donandorum . . . . pro Missionibus faciendis curae et diligentiae dictae Congregationis Cardinalium, amotis Syndicis et Procuratoribus quibuscumque praedicti Ordinis, auctoritate, et tenore praesentis committimus. Praeterea quamvis Conventus praedictus sit, et esse debeat ut supra Provinciae Romanae, volumus nihilominus, ut in illo, ut ante dictum est, Seminaristae, eorumque Lectores, et magistri una cum Fratribus ejusdem Provinciae libere cohabitare, et convivere valeant; pro alimentis vero, sustentatione, vestitu, famulatu, aliisque necessariis Seminaristarum eorumque Lectorum, solvantur praedicto Conventui, seu ejus Priori, aut Procuratori per Congregationis supradictorum Cardinalium ministros ex redditibus dicti Seminarii, vel pro Missionibus ut supra relictis, seu in posterum relinquendis, annua scuta quadraginta pro quolibet Seminarista vel Lectore pro tempore, et rata temporis, quo quilibet Lector, et Seminarista ibi resederit ac cohabitaverit, et convixerit, remanentibus ad Conventus commodum eleemosynis, seu emolumentis pro Missis a praedictis Seminaristis, Lectoribus, et magistris celebrandis, quomodolibet resultantibus. At si Lector pro studio linguarum fuerit saecularis, vel Religiosus alterius Ordinis, competens ei stipendium ex dicti Seminarii redditibus ejusdem Congregationis Cardinalium arbitrio assignetur. Denique statuimus ut pro Seminaristis hujusmodi eligantur ejusdem Ordinis Sacerdotes ex qualibet Provincia bonis moribus, pietate, et zelo, prudentia, doctrina, aliisque virtutibus, nec non corporis sanitate praediti, qui studium Sacrae Theologiae compleverint, et post ingressum infra sex menses juramentum in manibus dilecti Filii Nostri S. R. Ecclesiae Cardinalis Praefecti Congregationis dictorum Cardinalium, et coram illo omnino emittant, quod, finitis studiis ut supra controversiarum, et linguarum, ad omne Congregationis eorumdem Cardinalium mandatum ad Missiones prompte ibunt, et inde non discedent absque ejusdem Congregationis expressa licentia. Decernentes praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quicumque etiam speciali expressione digni in praemissis quomodolibet interesse habentes, seu habere praetendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, et auditi, seu causae propter

quas eaedem praesentes emanarunt adductae, et justificatae ullatenus fuerint, aut ex quacumque alia causa, colore, praetextu, et occasione et capite etiam in corpore juris clauso de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis Nostrae vel interesse habentium consensus, aut alio quocumque quantumvis magno, et substantiali defectu notari, impugnari, invalidari, in jus vel controversiam vocari, ad terminos juris reduci, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aut quodcumque aliud juris, facti, vel gratiae remedium impetrari, aut etiam motu proprio concesso quempiam in judicio, vel extra illud uti, se juvare nunquam posse, sed easdem praesentes semper firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et ab omnibus ad quos spectat, et pro tempore spectabit inviolabiliter observari. Sicque et non aliter in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos et causarum Palatii Apostolici auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos et alios quoscumque quavis auctoritate, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quoad ea, quae praesentibus quoquo modo adversantur praedictorum, et aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum litteris etiam in simili forma Brevis expeditis, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, etiam Conciliaribus generalibus, vel specialibus, nec non Congregationis praedictorum Cardinalium, ac Capituli generalis praedicti Ordinis decretis, ac concordiis, et legatis, testamentis, codicillis, et dispositionibus ex quacumque causa, titulo, occasione, et tempore hactenus factis, conditis, emanatis, publicatis, exequutis, et observatis respective, et aliis quibusvis etiam ultimis voluntatibus, quas quoad praemissa sufficienter, et expresse commutamus: ac erectione, et fundatione Conventus, et Seminarii praedictorum, illorumque ac Ordinis hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et litteris Apostolicis iisdem Ordini, Conventui, et Seminario illorumque Superioribus et personis quibuslibet sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, et decretis etiam irritantibus in genere vel in specie, etiam motu proprio et consistorialiter, et alias quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumdem totis tenoribus specialis, specifica, et expressa mentio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorumque tenores, formas, et occasiones prae-

sentibus pro plene, et sufficienter expressis, et servatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter, et expresse, ac plene omnimode et absolute derogamus ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 24. Septembris 1655. Pontificatus Nostri Anno primo.

G. Gualterius.

Cum plurima orta essent dissidia inter Monachos Ruthenos propter Capituli celebrationem, et Abbatis Generalis electionem, dissensionibus finem impositurus, Pontifex novum iterum jubet convocari Capitulum.

ALEXANDER PAPA VII.

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Alias per Nos accepto, quod Christifideles Rutheni cum S. R. E. uniti variis dissidiis agitarentur, et ejusmodi praecipue dissidiis causam dedisset celebratio duorum Capitulorum, in quorum uno Venerabilis Frater Archiepiscopus Polocensis cum adhaerentia quorumdam paucorum suorum sequacium se in Abbatem, seu Superiorem Generalem Monachorum Ruthenorum Ordinis Sancti Basilii Magni ad sui vitam eligi curaverat; in altero vero reliqui Monachi Rutheni Venerabilem etiam Fratrem Episcopum Chelmensem in eorum Abbatem seu Superiorem Generalem elegerant. Memoratus autem Episcopus Chelmen. apud Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum ejusdem Sacrae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum pluries institerat, ut primo dictum Capitulum nullum declararetur, quippe quod legitimum esse non poterat propter defectum auctoritatis, qua dictus Archiepiscopus caruisse reperiebatur. Nos ejusmodi dissidiis et dissensionibus remedium adhibere cupientes, de praedictorum consilio Cardinalium, discretioni Tuae committimus et mandamus, ut omnino, attentis duobus dictis Capitulis, novum Capitulum dictorum Monacorum Ruthenorum auctoritate Nostra Apostolica convocare, et canonice celebrari curares, illique eadem auctoritate praesideres ac sedulo procurares, ut in eodem novo Capitulo electio Abbatis, sive Superioris Generalis Monachorum praedictorum fieret in persona alicujus Monachi expresse Professi dicti Ordinis, qui utrique partium, quantum fieri possit, minus suspectus iisque moribus, discretione, prudentia, charitate, et pacis ac Religionis zelo praeditus esset, ut ad reconciliandos animos concordiamque, quantum Divina Bonitas dedisset, restituendam et conciliandam aptus haberetur, et alias prout in Nostris desuper in simili forma

Brevis die 30. Maii anno 1665. expeditis litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberius continetur. Cum autem sicut pariter accepimus, Tu quidem, in executionem litterarum Nostrarum praedictarum, Capitulum hujusmodi mense Octobri proxime praeterito in suprascripto loco Archimandritatus Venerabilis Fratris Metropolitae celebrandum intimaveris; ipsum tamen Capitulum subinde propter varia impedimenta supervenientia, et praesertim incursiones Moschorum, quae Religiosis ne itineri se se accingerent remoram injecerunt, celebrari, seu convocari nequiverit: et licet publicationem, seu intimationem Capituli hujusmodi per tuas litteras memorato Metropolitae directas revocasses, illiusque celebrationem usque ad vernum tempus differendam esse decrevisses; Capitulum nihilominus celebratum fuerit, et electio Abbatis, sive Superioris Generalis Monachorum supradictorum de persona Metropolitae praedicti in hoc Capitulo facta extiterit. Hinc est, quod Nobis praemissorum facta relatione, de memoratorum Cardinalium consilio, Capitulum post revocationem a Te factam celebratum, ut praemittitur, omniaque et singula ejus acta Capitularia, ac electiones in eo factas nulla et invalida nulliusque roboris vel momenti esse et fore auctoritate Nostra Apostolica declaravimus et decrevimus, prout harum serie declaramus et decernimus. Praeterea praedictorum dissidiorum et dissentionum extirpationi, ac pacis fraternaeque inter eosdem Monachos charitatis restitutioni et stabilimento paterna sollicitudine intendentes, discretioni Tuae per praesentes committimus, et pariter mandamus, ut Capitulum Monachorum supradictorum de novo in termino unius anni auctoritate Nostra praedicta convoces, ac canonice congregari cures, illique personaliter cum interventu duarum personarum de rebus unionis, ac negotiis dictorum Monachorum bene informatorum eadem auctoritate praesideas, ceteraque omnia, ac singula facias, geras, mandes et exequaris, quae Tibi per litteras praedictas a Nobis mandata et injuncta fuerunt. Nos enim quascumque necessarias et opportunas super his facultates Tibi eadem auctoritate tenore praesentium denuo tribuimus, et impertimur, salva tamen semper in praedictis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium. Mandantes propterea, in virtute sanctae obedientiae, dilectis Filiis praedictorum Monachorum Superioribus quocumque nomine nuncupatis, ceterisque Monachis et specialiter vocalibus in nôvo Capitulo hujusmodi per Te vigore praesentium convocando congregandis, aliisque, ad quos pertinet, ut Te ejusdem Capituli Nostro, et Apostolicae Sedis nomine Praesidentem reverenter suscipiant, Tibique in praemissis pareant, obediant, et assistant, ac Tua salubria monita, ac mandata humiliter suscipiant ac efficaciter adimplere procurent: alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabili-

ter observari. Non obstant. praemissis ac constitutionibus ac ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit dicti Ordinis, et aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris Apostolicis, in contrarium quomodolibet concessis confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 4. Junii 1656. Pontificatus Nostri Anno secundo.

S. Corinthient. etc.

Patribus Societatis Jesu, ut in regno Sinarum cum Christifidelibus super Ecclesiae praeceptorum adimplemento quoad jejunia festorum observationem, nec non Sacramentalem confessionem, et communionem semel in anno valeant dispensare, facultatem ad duodecim annos impertitur.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Super Cathedram Principis Apostolorum incomprehensibili Divinae Sapientiae arcano constituti, ac plenitudinem potestatis Nobis a Domino traditam ad aedificationem, quantum Nobis ex alto conceditur, exercere jugiter satagentes, sacrorum rigorem paternae charitatis Indulgentia nonnunquam temperamus, prout publica Christifidelium utilitas exposcit, et Nos, locorum, et personarum qualitate mature perpensa, conspicimus in eodem Domino salubriter expedire. Cum itaque sicut dilectus Filius Praepositus Generalis Societatis Jesu Nobis nuper exponi fecit, Christifidelibus in florentissimo, et amplissimo Regno Sinarum commorantibus praeceptorum Ecclesiae quoad jejunia, ac festorum dierum observationem, nec non Sacramentalem Confessionem, et Communionem semel in anno difficilis plerumque multis de causis reddatur observatio; Nos eorum saluti, et spirituali consolationi pro Pastoralis officii Nostri debito consulere cupientes, supplicationibus ejusdem Praepositi Generalis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac de infrascriptorum Missionariorum doctrina, prudentia, Catholicae Religionis zelo, fide, charitate, et integritate plurimum in Domino confisi, de Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium contra haereticam pravitatem in universa Republica Christiana generalium Inquisitorum a Sede Apostolica de-

putatorum consilio, Missionariis in eodem Regno Sinarum existentibus, ut cum quibusvis Christifidelibus dicti Regni super memoratorum Ecclesiae praeceptorum, quoad jejunia, ac observationem Festorum, necnon Sacramentalem Confessionem, et Communionem semel in anno observatione, et adimplemento in *Casibus particularibus* tantum, eorum arbitrio auctoritate Nostra Apostolica dispensare valeant, quamcumque necessariam, et opportunam facultatem ad duodecim annos proximos dumtaxat duraturam, eadem auctoritate tenore praesentium concedimus, et impertimur. Non obstantibus Apostolicis, ac Universalibus, Provincialibusque Conciliis, edictis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et ordinationibus ceterisque contrariis quibuscumque. Ceterum quia difficile foret easdem praesentes litteras ad omnium manus pervenire, volumus, ut illarum exemplis etiam impressis manu Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 5. Septembris 1656. Pontificatus Nostri Anno secundo.

Loco ✠ Annuli Piscatoris.

G. Gualterius.

In Regno Tunkini Apostolicum Vicarium constituit, cui finitimarum provinciarum administrationem adjungit ita, ut si quem ex aliis Apostolicis Vicariis, quos pro regno Sinarum eligit, mori contingat, nova inita cum Episcopo superstite divisione, ad alias provincias administrationem extendat.

ALEXANDER PAPA VII.

Venerabilis Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Super Cathedram Principis Apostolorum inscrutabili Divinae Providentiae arcano collocati, mentis Nostrae aciem per universas christiani orbis partes jugiter circumferimus, ut spirituali Christifidelium ubicumque existentium directioni et curae, quantum Nobis ex alto conceditur, salubriter consulamus. Itaque Christifidelibus in Regno Tunkini et infrascriptis Provinciis adjacentibus videlicet, Iunam, Queichen, Hu-quang, Sutchuen, Quansii, et Laos existentibus, de Vicario Apostolico, qui eos in via Domini prospere dirigat, providere volentes ac de Catholicae religionis zelo, doctrina, prudentia, dexteritate, integritate, charitate, aliisque virtutibus Tuis plurimum in Domino confisi; Teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis,

et interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis , censuris , et poenis a jure vel ab homine , quavis occasione vel causa latis , si quibus quomodolibet innodatus existis , ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, Te in praedicto Regno Tunkini cum administratione supra expressarum Provinciarum Vicarium Apostolicum , donec et quousque a praedictorum Cardinalium Congregatione fuerit aliter mandatum aut dispositum , auctoritate Apostolica tenore praesentium facimus , constituimus et deputamus. Dantes Tibi facultatem ut si contingat aliquem ex Venerabilibus Fratribus , Petro Lambert Episcopo Berithensi , Vicario Apostolico Cocincinae cum administratione infrascriptarum provinciarum , videlicet , Cuhiang , Fokien , Quantung , Chiamsi , insulae Hainan, aliarumque Insularum a Nobis constituto ; nec non Episcopo mox expediendo pro Vicariatu Nankini in Sina cum administratione Provinciarum Pekini , Xantii , Xantung , Coreae et Tartariae , in itinere , vel postquam illuc pervenerint morte , vel alío eventu deficere , Tu si deficienti proximior fueris , possis etiam ad eas provincias, quae eidem deficienti Episcopo suberant , administrationem extendere vel cum alio Episcopo novam divisionem inire , qua ratione eorum Christifidelium necessitatibus aptius consultum videbitur , ne prorsus pastore destituti remaneant , donec per memoratam Cardinalium Congregationem , quam statim de praedictis certiorem reddere curabis , aliter fuerit dispositum. Ut autem in partibus praedictis Sacerdotum indigenorum ordinatio facilius peragi, atque ita fides Catholica ibidem firmius , benedicente Domino , radicare valeat , Tibi cum Christifidelibus earumdem partium indigenis , uti Vicario Apostolico vigore praesentium pro tempore subditis , licet idioma latinum non intelligant , nihilominus dummodo legere illud norint, eisque Canon Missae ac formulae Sacramentorum Ecclesiae declarentur , ad omnes etiam Sacros et Presbyteratus Ordines, servatis alias servandis, promovendi et promoti in illis , etiam in Altaris ministerio ministrare libere et licite possint et valeant ; dispensandi necnon recitationem divini Offici , horarum scilicet Canonicarum , eisdem Christifidelibus in recitationem aliarum precum in eorum lingua arbitrio Tuo commutandi facultatem , pariter auctoritate et tenore praesentis , ad septennium dumtaxat concedimus et impertimur , salva semper in praemissis auctoritate Congregationis praedictorum Cardinalium. Non obstantibus praemissis , necnon Apostolicis , ac in universalibus , provincialibusque Conciliis etc.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris , die 9. Septembris 1659. Pontificatus Nostri Anno quinto.

Commissario Apostolico in provincia Malabarica committit, ut unum, vel duos idoneos eligat Sacerdotes, quem, vel quos ad Episcopatus dignitatem promotos tanquam Vicarios Apostolicos Angamalensis Archiepiscopatui Ecclesiae, vel Ecclesiis pastore viduatis, praeficiat.

Venerabili Fratri Josepho a Sancta Maria
Episcopo Hieropoltiano.

ALEXANDER PAPA VII.

Venerabilis Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Pro commissa Nobis caelitus pastoralis officii cura spirituali Christifidelium Provinciae Serrae Malabarium, seu Sancti Thomae in India Orientali, in qua Provincia Te Commissarium Apostolicum, ac illius Administratorem tam superstite, quam defuncto Venerabili Fratre Francisco Garzra Archiepiscopo Angamalen. per alias Nostras in simili forma Brevis litteras, quarum tenorem praesentibus haberi volumus, pro expresso deputavimus, utilitati, animarumque saluti quantum cum Domino possumus providere cupientes, Teque a quibusvis etc., censentes de Congregationis nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus negotio Propagandae Fidei praepositis a Nobis specialiter deputatae consilio, Fraternitati Tuae, ut unum vel duos ex iis Sacerdotibus Saecularibus, vel Regularibus, qui in illis Regionibus degunt, quousque in Domino magis idoneos, et tanto muneri exequendo aptiores judicaveris, uni, vel duabus respective Ecclesiis in partibus Infidelium consistentibus, et Pastoris seu Pastorum solatio destitutis, in Episcopum, et Pastorem, seu Episcopos et Pastores auctoritate Nostra Apostolica praeficere, ac ei, vel eis munus consecrationis cum assistentia duorum Sacerdotum, etiamsi Episcopi non fuerint, servatis in reliquis ceremoniis in Pontificali praescriptis, ac recepto ab illo seu ab illis Nostro, et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae solito juramento, impendere, eique vel eis tanquam Vicariis Apostolicis administrationem in spiritualibus supradictae Provinciae, seu Archiepiscopatus Angamalen. in totum, vel in parte, donec a Sede Apostolica, quam illico de his omnibus certiorem reddere omnino debebis, fuerit aliter provisum, injungere libere, et licite possis, et valeas, facultatem dicta auctoritate tenore praesentium tribuimus, et impartimur. Districte Tibi praecipientes, ut ad praemissa nullatenus devenias, nisi in casibus Tibi ab eadem Congregatione praescriptis, juxta instructionem tibi traditam. Ceterum praefatis Episcopis a Te ordinandis, et eorum cuilibet, ut ipsi ad Ecclesias, quibus eos respective prae-

feceris, quamdiu illae ab Infidelibus detinebuntur, accedere, et apud illas personaliter residere nullatenus teneantur, ex nunc prout ex tunc auctoritate et tenore praefatis concedimus, et indulgemus. Non obstantibus Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque Conciliis editis, generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et ordinationibus, necnon omnibus, et singulis illis, quae in praefatis litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 24. Decembris 1659. Pontificatus Nostri Anno quinto.

Domum Sanctorum Sergii, et Bacchi gentis Ruthenorum de Urbe, Congregationis de Propaganda Fide subjicit auctoritati.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Ex commissi Nobis caelitus Pastoralis officii debito, felici Domus Sanctorum Sergii et Bacchi Nationis Ruthenorum de Urbe directioni, et progressui providere volentes, eamdem Domum superioritati Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum, auctoritate Apostolica tenore praesentium supponimus. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, obtinere, et ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari: sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, nec non dictae Domus etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenore praesentium pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 12. Junii 1660. Pontificatus Nostri Anno sexto.

S. Ugolinus.

Jubet, Protectores Collegii Germanici, et Hungarici in aulam Congr. de Propaganda Fide, ubi opus sit, convenire actum de Collegii negotiis. Secretarius, cujus erit ad Pontificem referre graviora, et expedire, intersit. Decreta a praescripta forma recedentia nullius roboris, et momenti existere mandat.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ut Collegii Germanici, atque Hungarici de Urbe negocia maturiori consilio decernantur, ac expediantur, et Ven. Fratres Nostri S. R. E. Cardinales dicti Collegii apud Nos, et Sedem Apostolicam Protectores, quibus ejusdem directioni praeesse incumbit, ea omnia, quae ad hujusmodi munus pertinent conjunctim, ac certo quodam ordine, et methodo valeant expedire, indeque frequentius ad Nostram, et pro tempore existentium Romanorum Pontificum Successorum Nostrorum ea, quae digniora emerserint, in notitiam deducantur, pro commissa Nobis Divinitus Pastoralis officii cura providere volentes; necnon quarumvis litterarum Apostolicarum etiam in simili forma Brevis supermemoratorum Cardinalium deputatione, et facultatum illis, seu uni eorum respective concessarum impartire, cedularumque motus proprii super praemissis, aut alias quomodolibet, et quandocumque emanatarum tenores, et datas etiam veriores, et alia quaecumque etiam specialem, et individuam expressionem requirentia praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes: motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine tenore praesentium praecipimus et mandamus, ut in posterum praedicti Protectores proprius, et magis praecise, quam hactenus factum fuerit, utantur facultatibus, ac jurisdictione ipsis concessis super regimine, ac directione tam spirituali, quam temporali ejusdem Collegii. Eaque de causa statutis diebus, et quoties opus fuerit, simul congregentur in Aula Congregationis Ven. pariter Fratrum Nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium negociis Propagandae Fidei Praepositorum, ad agendum de rebus ad praedictum Collegium, et ipsius Alumnos spectantibus, cum interventu dilecti filii moderni, et pro tempore exercentis Secretarii ejusdem Congregationis de Propaganda Fide, per quem ea omnia, quae decreta fuerint, de more expediantur, adeo ut Decreta quaecumque, aut mandata, quae aliter, quam ad praescriptam formam fient deinceps, aut emanaverint, nullius prorsus roboris, ac momenti existant. Per eumdem vero Secretarium inter acta predictae Congregationis de Propaganda Fide inserantur, atque asserventur; et si quid dignum existimatum fuerit ad Nos, et

pro tempore existentem Romanum Pontificem deferatur, sicuti de negociis gravioribus memoratae Congregationis fieri consuevit. Decernentes easdem praesentes, et in eis contenta quaecumque; et ex eo, quod praedicti, et alii quilibet, cujusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae et Dignitatis, et specifica, et expressa mentione digni existant in praemissis forsan interesse quoquo modo gerentes, seu habere praetendentes, illis non consenserint, aut ad ea vocati, et auditi non fuerint, seu causae propter quas praesentes emanarunt, adductae, aut jnstificatae, et verificatae non fuerint, vel ex alia quacumque quantumvis justa, juridica, et privilegiata causa, colore, praetextu et capite etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intententionis Nostrae, aut inter habentium consensus, aliove quomodolibet etiam incogitato, et incogitabili defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium impetrari, aut impetrato, vel etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse; sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, plenariosque suos, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, et inconcusse observari. Sicque et non aliter in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, et Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, et de latere Legatos, et alios quomodolibet quavis auctoritate, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac quatenus opus sit, Nostra, et Cancellariae Apostolicae regulis de jure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, et Decretis quibuscumque, tam circa facultatem uni dumtaxat ex praefatis Protectoribus concessam, quam circa alia quaecumque: quae praesentibus litteris, earumque observantiae quoquo modo adversentur emanatis, nec non supradicti Collegii erectione, ac etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris Apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum, derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissississimis, et aliis insolitis clausulis, et irritantibus, et aliis Decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi pro illorum

sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur, et insererentur, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum officium, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem praesentium transumptis manu Secretarii dictae Congregationis, seu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo ejusdem Congregationis, seu alicujus personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra illud ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 18. Decembris 1647. Pontificatus Nostri Anno sexto.

Sumptum ex minuta originali Brevium Secretor. fel. record. Alexandri PP. VII. collatum concordat.

I. G. Slusius.

Loco ✠ Sigilli

Ecclesiam, et Conventum Sancti Pancratii extra Urbem Fratribus Carmelitis discalceatis ordinis B. V. Mariae de Monte Carmelo concedit, facta ipsis transferendi, seu iterum Seminarii Missionum ibi erigendi potestate.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Inscrutabili divinae providentiae arcano universalis Ecclesiae regimini praesidentes, ad illa quae in Fidei Catholicae, Religionisque propagationem, et incrementum cedere, et cessura esse noscuntur, propensis studiis intendimus, eorumque firmitati, robori, et efficaciae libenter consulimus, ac alias sollicitudinis Nostrae pastoralis partes desuper interponimus, prout omnibus maturae considerationis trutina perpensis, ad Omnipotentis Dei gloriam, animarumque salutem cognoscimus in Domino salubriter expedire. Alias siquidem Nos certis ex causis tunc expressis adducti auctoritate Apostolica statuimus, decrevimus, et ordinavimus Conventum, seu Seminarium Sancti Pauli, sive Sanctae Mariae de Victoria nuncupat. de Urbe, Or-

dinis Fratrum ejusdem S. Mariae de Monte Carmelo Discalceatorum nuncupatorum, esse debere Provinciae Romanae, ejusdem Ordinis Provinciali Romano subjectum in omnibus, et per omnia etiam quoad Conventualitatem Fratrum non Seminaristarum ad instar aliorum dictae Provinciae Conventuum; ac Officiales a Capitulo Generali, seu Definitorio Generali electos, et ibidem constitutos dimittendos, videlicet, Priorem, Subpriorem, seu Vicarium, et ad Capitulum Provinciale ejusdem Provinciae Romanae in futurum spectare electionem Prioris (cum participatione tamen, et approbatione quoad hunc Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotio Propagandae Fidei Praepositorum), nec non etiam Subprioris, seu Vicarii, aliorumque Officialium Conventus, seu Seminarii hujusmodi ad formam Constitutionum praedictae Religionis, remanentibus tamen ibidem Seminario, et Seminaristis, eorumque controversiarum, et linguarum Orientalium Lectoribus, et Magistris tunc existentibus, et pro tempore futuris, quorum electio, et amotio cum participatione Praepositi Generalis dicti Ordinis ad Congregationem Cardinalium praedictorum in futurum spectaret, et pertineret. Insuper administrationem omnium, et singulorum bonorum, redituum, et proventuum a quondam Francisco Cimino Barone de Cacurri, quam ab aliis relictorum, datorum, seu donatorum, et in posterum relinquendorum, dandorum, seu donandorum videlicet pro Missionibus faciendis, curae, et diligentiae dictae Congregationis Cardinalium, amotis Syndicis, et Procuratoribus quibuscumque praedicti Ordinis, commisimus. Praeterea, quamvis Conventus praefatus esset, et esse deberet, ut supra, Provinciae Romanae, voluimus nihilominus, ut in illo, ut ante dictum est, Seminaristae, eorumque Lectores, et Magistri una cum Fratribus ejusdem Provinciae libere cohabitare, et convenire valerent; pro alimentis vero, sustentatione, vestitu, famulatu, aliisque necessariis Seminaristarum, eorumque Lectorum, solverentur praedicto Conventui, seu eius Priori, et Procuratori per Congregationis supradictorum Cardinalium Ministros ex reditibus dicti Seminarii, vel pro Missionibus ut supra, relictis, seu in posterum relinquendis, annua scuta quadraginta pro quolibet Seminarista, vel Lectore pro tempore, et rata temporis quo quilibet Lector, et Seminarista ibi resideret, ac cohabitaret, et conviveret, remanentibus ad Conventus commodum eleemosynis, seu emolumentis pro Missis a praedictis Seminaristis, Lectoribus, et Magistris celebrandis quomodolibet resultantibus. At si Lector pro studio linguarum foret Saecularis, vel Religiosus alterius Ordinis, competens ei stipendium ex dicti Seminarii reditibus, ejusdem Congregationis Cardinalium arbitrio, assignaretur, et alias prout in Nostris in simili forma Brevis litteris die 24. Septembris 1655. desuper expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene, et sufficienter expresso, et inserto haberi volumus, uberius continetur. Cum autem

sicut dilectus filius Dominicus a SSma Trinitate, Praepositus Generalis Congregationis Italiae Fratrum Discalceatorum dicti Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo, Nobis nuper exponi fecit, dilectus filius Noster Franciscus Sanctae Mariae in Porticu Diaconus Cardinalis, Maidalchinus nuncupatus, qui Monasterium Abbatiam nuncupatum S. Pancratii prope, et extra moenia Urbis olim suppressi Ordinis Fratrum Sanctorum Barnabae, et Ambrosii ad nemus in Commendam ad sui vitam ex concessione, et dispensatione Apostolica obtinet; Ecclesiam ejusdem S. Pancratii, ac fabricas illi adjacentes, et viridarium, necnon terras illi contiguas, ac annexas, et connexas circumcirca Ecclesiam, et Monasterium hujusmodi eisdem Dominico Praeposito Generali, ac Congregationi Italiae, ad hoc ut Seminarium praedictum commodius illuc transferri, seu ibidem de novo erigi valeat, reservato tamen Nostro, et Sedis Apostolicae beneplacito, concesserit cum diversis pactis, et conditionibus, et alias prout latius continetur in publico desuper confecto instrumento tenoris qui sequitur, videlicet: = In nomine Domini Amen. Praesenti publico instrumento cunctis ubique pateat evidenter, et sit notum, quod anno ab ejusdem Domini Nostri Jesu Christi Nativitate millesimo sexcentesimo sexagesimo secundo, Indictione xv. die vero septima Januarii, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, et Domini Nostri Domini Alexandri Divina Providentia PP. VII. anno ejus septimo. In mei Antimi Curti Curiae Causarum Camerae Apostolicae, ac D. Innocentii Meuli Notariorum publicorum in solidum rogati testiumque infrascriptorum ad haec omnia, et singula vocatorum habitorum atque rogatorum praesentia, praesens, et personaliter constitutus Perillmus, et Excell. Dominus Julius Caesar Serronius in Romana Curia Advocatus nobis etc. Cognitus Procurator ad infrascripta peragendum specialiter constitutus ab Emo, et Rmo D. Francisco Tituli Sanctae Mariae in Porticu Diacono Cardinali Maidalchino nuncupato, ac perpetuo Commendatario Abbate nuncupato Monasterii Abbatia nuncupata S. Pancratii prope, et extra moenia Urbis olim suppressi Ordinis Sanctorum Barnabae, et Ambrosii ad nemus, ut de ejus mandato Procurae constat in actis mei Curti sub hodiena die ad quod, cui Emo D. Cardinali nil magis curae est, ut quantum per vires licet Catholica Religio ubique Terrarum Orbis, semotis haereticorum, et infidelium falsis dogmatibus, propagetur, ac in Ecclesiis Monasteriorum ejus regimini, et gubernio ex benignitate Sedis Apostolicae commissis divinus cultus, ac Ministrorum Ecclesiasticorum numerus augeatur inibique divina officia majori, qua potest veneratione, peragantur, ac exoptatum finem aliqua in parte consequi sperans, si per ipsum Ecclesia praedicta, ac fabricae illi adjacentes, et viridarium, necnon terrae illi contiguae, ac annexae, et connexae circumcirca Ecclesiam, ac Monasterium hujusmodi ad hoc, ut commodius Seminarium Missionum sub

titulo S. Pauli Fratrum Carmelitarum Discalceatorum Congregationis Italiae Ordinis Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, ad praesens existens in Domo Regulari, seu Conventu S. Mariae de Victoria nuncupata de Urbe ejusdem Ordinis, ad praedictum Monasterium S. Pancratii Apostolica auctoritate transferri, seu in eo denuo erigi valeat, quantum in se est concederentur, et assignarentur. Quapropter ex causis supradictis dictus D. Iulius Caesar Serronius procuratorio nomine, ut supra, reservato in primis, et ante omnia beneplacito Apostolico, et non alias aliter, nec alio modo etc. sponte etc. omni meliori modo etc. Ecclesiam, ac fabricas, et viridarium, necnon terras praedictas in eodem statu, et esse in quo ad praesens reperiuntur pro dicto Seminario ad effectum illius translationis, sive novae erectionis, ut praefertur, absque alio praejudicio ipsius Eñi D. Cardinalis, ejusque in dicto Monasterio successorum, Praeposito, ac Diffinitoribus Generalibus, aliisque Superioribus praesentibus, et pro tempore existentibus dicti Ordinis, ceterisque Religiosis ejusdem Ordinis, licet absente Rño Patre Dominico a Sanctissima Trinitate Praeposito Generali dicti Ordinis Carmelitarum Discalceatorum, necnon admodum Rev. Patre Philippo a Sanctissima Trinitate, et Rev. P. Balthassare a S. Catharina Senense Deffinitoribus Generalibus praedicti Ordinis Congregationis Italiae praesentibus, et acceptantibus etiam pro admodum RR. PP. Joanne a Sancto Hieronymo, et Paulo a SSño Sacramento etiam Diffinitoribus Generalibus Ordinis, et Congregationis praedictae absentibus, pro quibus, et quatenus opus sit de rato in forma promittentibus, ita quod etc. alias etc. in perpetuum concessit, et assignavit cum clausula, et effectu constituti in forma nullo jure etc. nisi infrascriptis legibus, conditionibus, et reservationibus inter ipsum Eñum D. Cardinalem, et praedictos Rev. P. Praepositum Generalem, et admodum RR. PP. Diffinitores nomine proprio, ac totius Ordinis hujusmodi sub eodem beneplacito Apostolico conventis, et statutis, videlicet. Quod titulus, et denominatio Abbatiae praedictae, ac fructus, reditus, proventus, jura, obventiones, emolumenta, res, bona, dona, proprietates, praedia, jurisdictiones, actiones, annexa, et connexa, pertinentia, dependentia, adjacentia, praeter praemissa, census, canones, responsiones, et alia quaecumque in quibusvis rebus consistentia bona ad Monasterium praedictum quomodolibet, quocumque titulo spectantia, et pertinentia ad praedictum D. Cardinalem, et ejus in dicto Monasterio successores libere, ac pleno jure, perinde ac si concessio praedicta facta non fuisset, perpetuo reservata existant. Ita ut eadem concessio semper intelligatur facta, et esse debeat de solis, et nudis muris ipsius Ecclesiae illiusque domorum, ac de viridario, et terris praedictis, ac omnia, et singula alia superius expressa, praeter haec praemissa, a praedictis Ecclesia, et Monasterio, etiam perpetuo penitus, et omnino sejuncta, disjuncta, divisa, separata, et segre-

gata esse debeant, et intelligantur. Ita ut Praepositus Generalis, et alii Superiores, ac Fratres Seminarii, et Ordinis hujusmodi ad quorum favorem haec concessio fit, nil aliud unquam perpetuis futuris temporibus, quovis praetextu etiam inopinato, et ex quavis causa, etiam ratione onerum praedictae Ecclesiae incumbentium, et illorum adimplementi etiam si aliquid ex praemissis pro adimplemento onerum specialiter donatum, seu relictum fuisset habere, et praetendere non possint, praeterquam nudam Ecclesiam, fabricas, viridarium, et terras praedictas: necnon etiam eidem Emo D. Cardinali, ac ejus in praedicto Monasterio successoribus tres stantiae in dicto Monasterio prope portariam ad eorum dumtaxat usum, et habitationem pro illorum personis tantum reserventur, et reservatae existant, et intelligantur, et praedicti Praepositus, et Deffinitores Generales, et pro tempore existentes Superiores, et alii Religiosi dicti Ordinis teneantur, et obligati existant prout supradicti Rmi P. Praepositus, et PP. Philippus, et Balthassar Diffinitores, et pro aliis Diffinitoribus ut supra obligarunt, et promiserunt quamdiu Seminarium praedictum in aedibus praedictae Ecclesiae permanserit propriis Seminarii, seu Congregationis, aut Ordinis hujusmodi sumptibus, et absque eo quod a praedicto Emo D. Cardinali, sive ejus in dicto Monasterio successoribus aliquid unquam pro tempore consequi, seu praetendere valeant, in praedicto Monasterio Sacerdotes habere, et tenere, qui Missas in praedicta Ecclesia celebrent, et Divina Officia peragant, ac omnia, et singula onera dictaeque Ecclesiae quomodolibet incumbentia, tam ea quae ad praesens in lucem prodierunt, quam alia quaecumque, quae forsan tractu temporis detegerentur, adamussim, et ad unguem adimpleant, confecto per eos libro, in quo onera praedicta, quorum notitia ad praesens habetur, adnotentur, et etiam simili modo alia, quae forsan in futurum apparere contingat; quem librum tertio quoque anno ad d. Emum D. Cardinalem, et Commendatarium pro tempore existen. teneantur deferre, ut videre possint an onera sint adimpleta: necnon omnes reparationes necessarias, tam in dicta Ecclesia, quam aedibus praedicti Monasterii propriis sumptibus facere, ita ut praedictus Emus D. Cardinalis et ejus in dicto Monasterio successores aliquid occasione reparationum praedictarum contribuere minime teneantur, nisi casu, quo tractu temporis Ecclesia, seu Monasterium hujusmodi in totum, vel in notabili parte rueret; tunc enim Ecclesiae, seu Monasterii hujusmodi refectio ad praedictum Emum D. Cardinalem, et ejus in dicto Monasterio successores spectet, et pertineat, neque liceat Praeposito Generali aliisque Superioribus, et Religiosis dicti Ordinis perpetuis futuris temporibus Ecclesiam, seu fabricas, et viridarium, et terras praedictas cuicumque aliae Religioni, seu personae cujuscumque gradus, status, et conditionis etiam speciali nota dignae, quocumque titulo, praetextu, causa, et occasione, neque in toto, neque in

parte etiam minima concedere, neque ad effectum concessionis hujusmodi licentiam, et facultatem a Sede Apostolica petere, et obtinere: liceat tamen quascumque commoditates eisdem PP. placitas, et benevisas in Ecclesia, et Monasterio praedictis pro eorum arbitrio peragere, debeantque Religiosi dicti Ordinis, qui in dicto Monasterio permanserint, ornamenta Altarium, et paramenta Ecclesiastica, ac supellectiles sacras in meliorem statum reducere, et ut bona mobilia, et supellectilia Ecclesiae, et Monasterii hujusmodi majori, qua potest cura conserventur, et manuteneantur, debeantque etiam conficere inventarium in quo mobilia, et supellectilia praedicta cum eorum qualitatibus, et statu in quo ad praesens reperiuntur adnotentur, et de illis teneantur Religiosi praedicti prout dicti PP. Diffinitores praesentes, nominibus quibus supra promiserunt, et se obligarunt, bonum, et fidele computum reddere praedicto Eĩo D. Cardinali, et ejus in dicto Monasterio successoribus: ac si tractu temporis Seminarium praedictum a praedicto Monasterio amoveatur, seu amplius non subsistat, ac Religiosi dicti Ordinis dictum locum relinquant, tunc, et eo casu etiam teneantur, et obligati existant Ecclesiam, fabricas, viridarium, et terras praedictas, cum omnibus, et singulis reparationibus, melioramentis, commoditatibus, et ornamentis per Religiosos dicti Ordinis in eisdem Ecclesia, fabricis, viridario, et terris, quomodolibet factis praedicto Eĩo D. Cardinali, sive ejus in dicto Monasterio successoribus, libere restituere absque eo quod aliquid propterea a praedicto Eĩo D. Cardinali sive ejus in dicto Monasterio successoribus habere, seu quocumque titulo praetendere possint, et valeant. Ita ut praedictus Eĩus D. Cardinalis, sive ejus in dicto Monasterio successores praemissorum omnium, et singulorum possessionem propria auctoritate, et de facto absque Judicis sententia sive ministerio apprehendere, et retinere possint, et valeant, expresso ad id Praepositi Generalis, et Diffinitorum praedictorum proprio, et totius Ordinis hujusmodi nomine accedente consensu. Declarantes, et constituentes se precario nomine Commendatarii pro tempore existentis praedicti Monasterii Ecclesiam, fabricas, viridarium, ac terras praedictas possidere, quam clausulam, ut vocant, constituti, volunt, et intendunt, ut nunquam tractu temporis, spiret, sed semper, et perpetuo duret. Liceat tamen eo casu Religiosis praedictis bona mobilia, et supellectilia cujuscumque generis sint, vel speciei ad usum Ecclesiae, sive ejus Sacristiae, aut Monasterii hujusmodi quomodolibet spectantia, et pertinentia, quae Religiosi praedicti de eorum proprio comparaverint, seu quomodolibet eis donata, elargita, aut concessa fuerint, nullo dicti Eĩi D. Cardinalis ejusque in dicto Monasterio successorum ad hoc requisito consensu, levare, et secum asportare, relictis tamen mobilibus, et supellectilibus Ecclesiae, et Monasterii hujusmodi in eisdem statu, et terminis, in quibus ad praesens reperiuntur. Ita ut si usu consum-

pta fuerint, alia in eorum loco submittere, et subrogare, teneantur, et obligati existant. Teneanturque denique Religiosi praedicti, prout dicti Diffinitores promiserunt, intuitu concessionis hujusmodi, tradere, et consignare dicto D. Cardinali, statim obtento beneplacito Apostolico super approbatione, et confirmatione praemissorum, et infrascriptorum, tabulam depictam cum effigie Sancti Pancratii, ut vulgo dicitur *un quadro di S. Pancrazio*, et deinde futuris perpetuis temporibus in die festo ejusdem S. Pancratii, eidem Emo D. Cardinali, ejusque in dicto Monasterio successoribus, tradere unam intorticiam cerae albae librarum trium, ac etiam Praepositus, et Diffinitores Generales praedicti, eorum propriis, et totius Ordinis, et Seminarii hujusmodi nomine concessionem et assignationem praedictam modo, et forma praemissis factas, reservato ut praefertur dicto beneplacito Apostolico, et non alias, acceptarunt, et emolugarunt, non solum praemisso, sed et omni meliori modo. Quae omnia, et singula supradicta supradicti Praepositus, et Diffinitores propriis, et quibus supra nominibus, et dictus D. Julius Caesar procuratorio nomine dicti Domini Cardinalis promiserunt habere rata, grata, valida, et firma, et contra non facere sub quovis praetextu etc. alias etc. de quibus etc. quod Juramentum etc. pro quibus dicti Patres Praepositus, et Diffinitores propriis, et quibus supra nominibus, sub eadem beneplaciti reservatione, bona dicti eorum Monasterii, et Ordinis, seu Congregationis, Religiosos, et successores quoscumque in eis, et dictus D. Julius Caesar Procuratorio nomine, quo supra, d. Emum D. Cardinalem bona etc. in forma Camerae Apostolicae cum solitis clausulis etc. citra etc. obligarunt etc. renunciarunt etc. consenserunt etc. unica etc. et tactis pectoribus more etc. et scripturis respective jurarunt etc. super quibus omnibus, et singulis praemissis, petitum fuit a me Curiae causarum Camerae Apostolicae Notario publico infrascripto, ut unum, vel plura, publicum, seu publica conficerem, atque traderem Instrumentum, et Instrumenta prout opus fuerit, et requisitus ero. Actum Romae in palatio solitae habitationis Illustriss. et Reverendiss. D. Fagnani in Monte Pinceo, praesentibus ibidem audientibus, et intelligentibus Rev. D. Hieronymo filio q. Jo. Dominici Erminci Urbevetano, et D. Joanne Carolo Pasquetto q. Archangeli de Pedeluco Interamnen. Dioec. testibus ad praedicta omnia, et singula vocatis habitis specialiter atque rogatis. Ego Antimus Curtus Cur. Cau. Cam. Apostolicae Notarius, de praemissis rogatus praesens Instrumentum subscripsi, et publicavi requisitus = Nobis propterea praedictus Dominicus Praepositus Generalis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur dictum Dominicum Praepositum Generalem specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis,

censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequen., harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, ac quarumvis litterarum Apostolicarum praesertim fel. rec. Pauli V. ac Urbani VIII. et Innocentii X. Romanorum Pontificum praedecessorum Nostrorum etiam in simili forma Brevis super institutione dicti Seminarii, ac ordinationibus illud quovis modo concernentibus respective emanatarum: nec non Decretorum praefatae Congregationis Cardinalium negotio Propagandae Fidei Praepositorum, ac Capituli Generalis Ordinis, seu Congregationis Italiae hujusmodi concordiarum, testamentorum, codicillorum, legatorum, et aliarum dispositionum quarumcumque tenores, et datas etiam veriores, ac alia etiam speciali, et individua mentione, et expressione digna, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes; hujusmodi supplicationibus inclinati, concessionem dictae Ecclesiae Sancti Pancratii, et fabricarum illi adiacentium, et viridarii, necnon terrarum illi vicinarum, ac annexarum, et connexarum circumcirca Ecclesiam, et Monasterium hujusmodi, praedictis Dominico Praeposito Generali, et Congregationi Italiae Fratrum Discalceatorum dicti Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo, a praedicto Francisco Cardinale sicut praemittitur factam, ac confectum desuper instrumentum praeinsertum cum omnibus, et singulis in eo quomodolibet contentis, et expressis, auctoritate Apostolica tenore praesentium perpetuo confirmamus, et approbamus: illisque inviolabilis, et perpetuae firmitatis Apostolicae robur, et efficaciam adjungimus, ac omnes, et singulos juris, et facti, ac solemnitatum quarumcumque in similibus etiam de necessitate observandarum, et alios quoslibet etiam substantiales, et formales defectus, si qui in praemissis, vel eorum aliquo quovis modo intervenerint, aut intervenisse dici, censeri, praetendi, vel intelligi unquam possent, supplemus, et sanamus, ac penitus, et omnino tollimus et abolemus. Praeterea in praedictis fabricis ad usum Monasterii factis, et quae ad eum effectum ante suppressionem praedicti Ordinis SS.Barnabae, et Ambrosii ad nemus serviebant, novum Conventum Fratrum Discalceatorum nuncupatorum dictae Congregationis Italiae Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo, sub titulo seu invocatione Sancti Pancratii, cum Ecclesia ejusdem Sancti Pancratii, ac viridario, et terris supradictis itidem perpetuo erigimus, et instituimus: ac praedictum Seminarium Sancti Pauli in supradicto Conventu Sanctae Mariae de Victoria alias Apostolica auctoritate erectum, et institutum, a Conventu hujusmodi in Conventum Sancti Pancratii sic noviter erectum pariter perpetuo transferimus, et transportamus, seu ipsum Seminarium sub denominatione, seu invocatione ejusdem Sancti Pauli in dicto novo Conventu Sancti Pancratii, ita ut idem Seminarium regimini, et gubernio memorati Dominici moderni, et pro tempore

existentis Praepositi, ac Definitorii Generalis memoratae Congregationis Italiae Fratrum Discalceatorum in omnibus, et per omnia immediate subsit, et in illo assidue commorari debeant duodecim saltem Seminaristae in Sacro Presbyteratus ordine constituti, ac Regulares dictae Congregationis ex illius Provinciis assumendi, qui bonis moribus, pietate, zelo, prudentia, doctrina, aliisque virtutibus, necnon corporis sanitate praediti sint, et studium Sacrae Theologiae compleverint, ac intra octiduum a die ingressus cujuslibet eorum in dictum Seminarium votum, seu juramentum eundi ad Missiones sibi injungendas in manibus dicti Praepositi Generalis, seu Superioris novi Conventus hujusmodi pro tempore existentis emittere debeant sub hac forma, videlicet: Ego N. promitto me ad quamlibet Missionem pro conversione infidelium, seu haereticorum iturum, cum obedientia id mihi injunxerit: nec ab hoc voto, seu juramento absolvi unquam possint, auctoritate, et tenore praefatis itidem perpetuo de novo erigimus pariter, et instituimus. Volentes, et decernentes quod praefatus modernus, et pro tempore existens Praepositus Generalis antedictae Congregationis Italiae semper teneatur eosdem Seminaristas ad eas Missiones destinare, seu amandare, quae ei a praefata Cardinalium Congregatione negotio Propagandae Fidei praeposita ordinatae fuerint, juxta modum, seu capacitatem redituum Seminarii hujusmodi, ad rationem annuorum quinquaginta scutorum pro quolibet Missionario. Quod si dictus Praepositus Generalis in aliquo casu particulari existimaverit non expedire mitti aliquem ex dictis Seminaristis, eo casu obligatus sit alium ab eadem Cardinalium Congregatione approbandum mittere. Postquam vero quilibet Seminarista ad Seminarium hujusmodi advenerit, debeat Superior ipsius Seminarii pro tempore existens, eum ad dilectum filium Secretarium praedictae Congregationis Cardinalium ducere, ac in illius manibus notam diei adventus ipsius Seminaristae, necnon juramenti, seu voti praedicti per eum praestiti exhibere: ac insuper quotannis ineunte mense Novembri notam omnium Seminaristarum tunc viventium, tam in Seminario tunc actu existentium, quam eorum qui in Missionibus fuerint, ac denique eorum qui juramentum, seu votum hujusmodi praestiterint, et tunc temporis nec in Seminario, nec in Missionibus fuerint, memorato Secretario tradere cum expressione aetatis uniuscujusque illorum, necnon temporis quo juramentum, seu votum praedictum emiserint, et quoad Missionarios a quo tempore in Missionibus, a quibus nemo possit amoveri, aut revocari absque participatione praefatae Congregationis Cardinalium. Praeterea statuimus, et ordinamus, ut novus Conventus, et Seminarium hujusmodi subjaceant curae unius Rectoris, et unius Vicerectoris Fratrum Discalceatorum dictae Congregationis Italiae ponendorum, et amovendorum ad nutum Praepositi Generalis, et Definitorii praefatorum, cum participatione tamen, et approbatione, quantum

quidem ad Rectorem attinet, dictae Congregationis Cardinalium in scriptis facienda; ipse vero novus Conventus ita servire debeat usui Seminarii supradicti, ut in eo nemo commorari possit, praeter Seminaristas eorumque Magistros, et Lectores controversiarum, ac Linguarum Orientalium, aliosque Religiosos Ministerio Ecclesiae, et servitio domestico ipsius Seminarii necessarios, quorum electio, et amotio in futurum spectet ad memoratum Praepositum Generalem, cum participatione tamen praefatae Congregationis Cardinalium, quantum ad Seminaristas eorumque Lectores attinet. Ad haec administrationem omnium, et singulorum bonorum, redituum, et proventuum supradicto Seminario ejusque Missionibus hactenus, tam a praefato Francisco Cimino Barone, quam ab aliis quibuslibet relictorum, datorum, seu donatorum, et in posterum quovis modo dandorum, relinquendorum, et donandorum curae, et diligentiae Praepositi Generalis, et Definitorii praefatorum ad quinquennium committimus, et supponimus: quae administratio finito quinquennio hujusmodi eis prorogari, seu renovari possit, si praefatae Cardinalium Congregationi ita videbitur, ea lege ut iidem Praepositus Generalis, et Definitorium constituant Syndicum ad exigendos expendendosque reditus praefatos, qui Syndicus semel, vel bis annis singulis fidelem eorumdem redituum rationem, tam praefato Definitorio Generali, quam memoratae Cardinalium Congregationi reddere, ac pro alimentis, sustentatione, vestitu, famulatu, aliisque rebus necessariis dictorum Seminaristarum, eorum Lectorum, memorato novo Conventui, ejusque Superiori ex reditibus ipsi Seminario, tam hactenus relictis, quam in posterum relinquendis scuta quinquaginta monetae annuatim pro quolibet Seminarista, et Lectore, ac ad rationem annuorum quinquaginta scutorum monetae hujusmodi pro rata temporis, quo quilibet Seminarista, seu Lecter in eodem Seminario resederit, ibique aliis cohabitaverit, et convixerit, respective solvere teneatur. Quod si Lector pro studio linguarum fuerit Saecularis, vel Religiosus alterius Ordinis; competens ei salarium, seu stipendium ex reditibus dicti Seminarii memoratae Congregationis Cardinalium arbitrio assignetur. Demum eidem Seminario sic a Nobis translato, seu de novo erecto, omnia, et singula bona, reditus, proventus, jura, actiones, et alia quaecumque cujusvis generis, speciei, et qualitatis sint, ac ubicumque locurum consistant, tam illa quae a praefato Francisco Cimino aliisve personis quibuslibet Seminario antedicto, ejusque Missionibus quovis modo hactenus relicta, donata, data, et elargita fuerunt, quam in posterum quandocumque, et quomodocumque relinquenda, donanda, danda, et elargienda, ita ut liceat praefatis Praeposito Generali, et Definitorio ejusdem Seminarii nomine illorum omnium, et singulorum veram, realem, et corporalem possessionem, seu quasi apprehendere, et adipisci; ac apprehensam, et adeptam retinere, auctoritate, et teno-

re praefatis, itidem perpetuo applicamus, et assignamus, et appropriamus. Ac eisdem novo Conventui, et Seminario, necnon Seminaristis, et Fratribus dictae Congregationis Italiae in illis pro tempore commorantibus, ut omnibus, et singulis privilegiis, Indulgentiis, praerogativis, gratiis, indultis, antelationibus, praeeminentiis, facultatibus, et favoribus quibus alii Conventus Congregationis, et Ordinis praefatorum, ac personae in eis degentes de jure, usu, consuetudine, et alias quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, frui, potiri, et gaudere libere, et licite possint, et valeant, eisdem auctoritate, et tenore concedimus, et indulgemus. Decernentes easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque etiam ex eo quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, conditionis, et dignitatis, aut alias speciali, et individua mentione digni existant illis non consenserint, aut ad ea vocati, citati, et auditi, seu causae, propter quas praesentes emanarunt, adductae, verificatae, et justificatae non fuerint, vel ex alia quacumque quantumvis justa, legitima, pia, et privilegiata causa, colore, praetextu, et capite, etiam in corpore juris clauso etiam enormis, enormissimae, et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae, seu interesse habentium consensus, aliove quolibet quantumvis magno, ac formali, et substantiali, necessariamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illa quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium impetrari, vel intentari, aut impetrato, vel etiam Motu-proprio, ac de Apostolicae potestatis plenitudine concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, neque ipsas praesentes litteras sub quibusvis similium, vel dissimilium confirmationum, erectionum, translationum, applicationum, assignationum, appropriationum, concessionum, indultorum, et gratiarum revocationibus, limitationibus, restrictionibus, derogationibus, aliisve contrariis dispositionibus, etiam per Nos, et Romanos Pontifices successores Nostros, Sedemque Apostolicam sub quibusvis verborum tenoribus, et formis, ac cum quibuslibet clausulis, et decretis quandocumque faciendis unquam cemprehendi, aut comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas, ac etiam de novo sub quacumque posteriore data per praefatos Praepositum Generalem, et Definitorium, ac Superiorem, Seminaristas, et Fratres novi Conventus, et Seminarii hujusmodi pro tempore existentes eligenda concessas intelligi semperque firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore spectabit, plenis-

sime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari. Sicque, et non aliter in praemissis omnibus, et singulis censeri, atque ita per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de Latere Legatos, et alios quoslibet quavis auctoritate, et potestate fungentes, et functuros; sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, necnon praefatis Nostris, ac memoratorum Pauli, Urbani, et Innocentii praedecessorum etiam in simili forma Brevis litteris, et concordiis, legatis, testamentis, codicillis, et dispositionibus ex quacumque causa, occasione, et tempore hactenus factis, conditis, emanatis, publicatis, executis, et observatis respective, et aliis etiam ultimis voluntatibus, quas quoad praemissa sufficienter, et expresse commutamus, ac Nostra, et Cancellariae Apostolicae Regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, et quatenus opus sit illa de unionibus, et applicationibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, exprimendoque in illis vero valore, ac Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis fieri prohiben., necnon rec. mem. Pauli II. et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum pariter Nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, aliisque Apostolicis, ac in universalibus Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et ordinationibus, ac praefatorum Monasterii, et Ecclesiae Sancti Pancratii, Conventus Sanctae Mariae de Victoria, et Seminarii, necnon Provinciae Romanae, ac Congregationis Italiae, et Ordinum hujusmodi, aliisque quibuslibet etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris Apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis Decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, et approbatis, et innovatis, aliisque omnibus, et singulis, quae in supradictis litteris Nostris voluimus non obstare. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, causas, formas, et occasiones, praesentibus pro plene, et sufficienter, ac de verbo ad verbum insertis, expressis, et servatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter, et expres-

se, ac plenissime, et amplissime derogamus, et derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die prima Martii 1662. Pontificatus Nostri Anno septimo.

S. Ugolinus.

Quid egerit, cum primos Vicarios Apostolicos destinaret ad Sinas, commemorat. Commemorat se ad Sacros Ordines promovendi facultatem dedisse etiamsi latinum idioma nescirent. Nunc autem cum unus ex tribus fuerit mortuus, si alterum mori contingat, Vicario Apostolico superstiti dat digniorem Sacerdotem in Episcopum eligendi facultatem, et consecrationis munus conferendi etiam sine duorum Presbyterorum assistentia.

Venerabilibus Fratribus Francisco Pallu Heliopolitan. et Petro Lambert Beryten. Episcopis.

ALEXANDER PAPA VII.

Venerabiles Fratres, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Onerosa Pastoralis Officii cura, qua Ecclesiae Catholicae per universum Orbem diffusae regimini superni dispositione consilii praesidemus, animum Nostrum jugiter sollicitat, ut animarum periculis quantum in Domino possumus mature occurrere, et spiritualibus Christifidelium, praesertim in longinquis partibus degentium, utilitatibus pospicere studeamus. Alias siquidem Te Frater Francisce Episcope Heliopolitan., in Regno Tunkini, et infrascriptis Provinciis adjacentibus, videlicet Tunam, Queickeu, Huquang, Sucenen, Quangsii et Laos; Te vero Frater Petre Episcope Beryten., in Cocincina, ac Provinciis Cechiang, Fochien, Quàntung, Chiamsii, Insula Haynaum, alisque Insulis, nec non tunc in humanis agentem bo: mem: Ignatium Cotolendi dum vixit Episcopum Metellopolitanensem, Nankini in Sina ac provinciarum Pekin, Xansii, Xantung, Honan, Xensii, Coreae, et Tartariae respective Vicarios Apostolicos donec, et quousque a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum aliter mandatum, aut dispositum foret Auctoritate Apostolica fecimus, constituimus, et deputavimus. Dantes Vobis, et dicto Ignatio Episcopo facultatem, ut si contigeret aliquem ex Vobis et dicto Ignatio Episcopo in itinere, vel postquam illuc pervenissetis morte, vel alio eventu deficere, ille Vestrum qui deficienti proximior

foret, posset etiam ad eas Provincias, quae eidem deficienti Episcopo suberant, administrationem extendere, vel cum alio Episcopo novam divisionem inire, qua ratione eorum Christifidelium necessitatibus aptius consultum videretur, ne prorsus Pastore destituti remanerent, donec per memoratam Cardinalium Congregationem, quam statim de praedictis certiorem reddi voluimus, aliter foret dispositum. Ut autem in partibus praedictis Sacerdotum indigenarum ordinatio facilius peragi, atque ita fides Catholica ibidem firmius, benedicente Domino, radicari valeret, tam Vobis, quam praedicto Ignatio Episcopo uti Vicariis Apostolicis, a Nobis, ut praedicitur, deputatis, respective subditi essent, ut ipsi licet idioma latinum non intelligerent, nihilominus dummodo illud legere nossent eisque Canon Missae, et formulae Sacramentorum declararentur ad omnes etiam sacros, et Presbyteratus Ordines servatis alias servandis promoveri et promoti in illis etiam in altaris ministerio ministrare libere ac licite possent et valerent dispensandi, nec non recitationem officii divini, horarum videlicet canonicarum eisdem Christifidelibus in recitationem aliarum precum in eorum lingua, arbitrio Vestro commutandi facultatem auctoritate praedicta ad septennium dumtaxat concessimus et impartiti sumus: salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis praedictorum Cardinalium, et alias prout in ternis Nostris in simili forma Brevis litteris, binis quidem die 9. Septembris 1659. reliquis vero die 20. Septembris 1660. respective expeditis, quarum tenore praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur. Cum autem sicut Nobis nuper relatum fuit, praedictus Ignatius Episcopus viam universae carnis ingressus fuerit, si vero utriusque vel alterius Vestrum obitum quoque eveniente Episcopi hinc denuo ad istas partes Vicariatum Apostolicum exercendi gratia mittendi essent, non solum maximae difficultates superandae gravissimique labores exantlandi forent, sed etiam grave periculum immineret, ne inter longas temporis moras, quas intercurrere necesse foret, grande opus illud directionis Christifidelium istic degentium propagandaeque Christianae Religionis a vobis laudabiliter inceptum omnino deperiret: hinc est quod Nos pro commissa Nobis caelitus gregis Dominici cura memoratorum Christifidelium periculis, et animarum saluti salubriter providere cupientes, ac de utriusque Vestrum fide, pietate, integritate, prudentia, charitate, pastorali vigilantia et Catholicae Religionis zelo plenam habentes in Domino fiduciam vestrumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes; de praedictorum Cardinalium negotiis Propagandae fidei

praepositorum consilio, illi ex Vobis qui alteri, quem praemori contigerit, superstes fuerit, ut unum ex Presbyteris hinc Vobiscum ad istas partes profectis, quem in Domino magis idoneum, et tanto muneri exequendo aptiorem judicaverit Ecclesiae in partibus infidelium consistenti, quae per obitum praedefuncturi ex Vobis Pastoris fuerit destituta solatio; in Episcopum et Pastorem auctoritate Nostra Apostolica praeficere eique sic praefecto munus Consecrationis cum assistentia duorum Presbyterorum, etiamsi non sint Episcopi, nec in Ecclesiastica dignitate constituti, si adfuerint, sin minus etiam sine illorum assistentia, servatis tamen quantum locus, et tempus permiserint, caeremoniis in Consecratione Episcoporum adhiberi solitis, ac recepto prius ab illo, Nostro, et Romanae Ecclesiae nomine, fidelitatis debito, solito juramento impendere libere, et licite possit, et valeat, facultatem dicta auctoritate tenore praesentium tribuimus, et impertimur. Ac eumdem Episcopum sic ordinandum ex nunc prout ex tunc postquam ordinatus, et consecratus fuerit, ut praedicitur, Vicarium Apostolicum in partibus supradictis loco illius ex Vobis qui prior decesserit cum omnibus, et singulis facultatibus ei per praedictas Nostras litteras attributis, donec tamen et quousque a praefata Cardinalium Congregatione aliter mandatum vel dispositum fuerit, auctoritate, et tenore praedictis deputamus, substituimus et subrogamus: salva tamen pariter in praemissis auctoritate dictae Congregationis Cardinalium, quam de iisdem praemissis ab alterius Vestrum superstite, quanto citius fieri poterit, volumus fieri certiorem. Ceterum praedicto Episcopo, ut ipse ad Ecclesiam, cui vigore praesentium praefectus fuerit, quandiu illa ab Infidelibus detinebitur, accedere, et apud illam personaliter residere minime teneatur, itidem ex nunc prout ex tunc dicta auctoritate harum serie concedimus, et indulgemus. Non obstantibus Apostolicis ac in universalibus, provincialibusque Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 4. Februarii 1664. Pontificatus Nostri Anno nono.

Idem argumentum repetit Pontifex; quae gesserit in primis tribus Vicariis Apostolicis destinatis ad Sinas exponit, ad tertium Vic. Ap. jam praemortuo sufficiendum et Ecclesiae Metellopolitanae praeficiendum sermonem reportat.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

E sublimi Sedis Apostolicae specula universas Christiani Orbis

partes mentis oculis jugiter perlustrantes, vigilantiam Nostram omni studio ad illa convertimus, per quae spiritualibus Christifidelium quorumcumque, et praesertim eorum, qui in remotissimis partibus degunt, utilitatibus salubriter consultum iri arbitramur. Alias siquidem Nos per quasdam Nostras in simili forma Brevis die 20. Septembris 1660. expeditas litteras tunc in humanis agentem bonae memoriae Ignatium Cotolendi Episcopum Metellopolitanum Vicarium Apostolicum Nanchini in Sina cum administratione Provinciarum Pechuin, Xansii, Xantung, Honan, Xensii, Coreae, et Tartariae, donec et quousque a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negociis Propagandae Fidei praeposita, foret aliter mandatum, aut dispositum, auctoritate Apostolica fecimus, constituimus, et deputavimus. Dantes eidem Ignatio Episcopo facultatem, ut si contigeret aliquem ex Venerabilibus Fratribus Francisco Pallu Episcopo Heliopolitano Vicario Apostolico in Regno Tunchini, et infrascriptis Provinciis adjacentibus, videlicet Iunam, Queickéu, Huguang, Sucenen, Qoangiy, et Laos ac Petro Lambert Episcopo Beryten. Vicario Apostolico Cocincinae cum administratione Provinciarum Cechiang, Fochien, Quantung, Chiamsy, Insula Hainaum, aliarumque Insularum prius a Nobis per alias binas Nostras litteras pariter in forma Brevis die 9. Septembris 1659. emanatas respective constitutis, in itinere, vel postquam illuc pervenissent, morte vel alio eventu deficere, dictus Ignatius Episcopus, si deficienti proximior foret, posset etiam ad eas Provincias, quae eodem Episcopo deficienti suberant, administrationem extendere, vel cum alio Episcopo novam divisionem inire, qua ratione eorum Christifidelium necessitatibus aptius consultum videretur, ne prorsus Pastore destituti remanerent, donec per memoratam Cardinalium Congregationem, quam statim de praedictis certiorem reddi voluimus, aliter foret dispositum. Ut autem in partibus praedictis Sacerdotum indigenarum ordinatio facilius peragi, atque fides Catholica ibidem firmius, benedicente Domino, radicari valeret, eidem Ignatio Episcopo cum Christifidelibus earundem partium indigenis sibi uti Vicario Apostolico hujusmodi pro tempore subditis, ut ipsi, licet idioma Latinum non intelligerent, nihilominus dummodo illud legere nossent, eisque Canon Missae, ac formulae Sacramentorum Ecclesiae declararentur, ad omnes etiam sacros, et Presbyteratus Ordines, servatis alias servandis promoveri, et promoti in illis etiam in Altaris ministerio ministrare libere et licite possent et valerent, dispensandi, necnon recitationem Officii Divini, horarum scilicet Canonicarum eisdem Christifidelibus in recitationem aliarum precum in eorum lingua arbitrio suo commutandi facultatem dicta auctoritate ad septennium dumtaxat concessimus et impartiti sumus. Et subinde Nobis relato, quod praedictus Ignatius Episcopus viam universae carnis ingressus fuerat, Nos de memoratorum Cardinalium

Consilio per alias Nostras etiam in forma Brevis die 4. Februarii 1664. expeditas litteras, illi ex praefatis Francisco et Petro Episcopis Vicariis Apostolicis ut praefertur deputatis, qui alteri eorum, quem praemori contigeret, superstes foret, ut unum ex Presbyteris hinc una cum illis ad partes praedictas profectis, quem in Domino magis idoneum, et tanto muneri exequendo aptiorem judicaret, Ecclesiae in partibus Infidelium consistenti, quae per obitum praedefuncturi in ipsis Pastoris foret destituta solatio, in Episcopum et Pastorem auctoritate Nostra praefata praeficere, eique sic praefecto munus consecrationis cum assistentia aliorum duorum Presbyterorum, etiamsi non essent Episcopi, nec in Ecclesiastica dignitate constituti, si adessent, sin minus, etiam sine illorum assistentia, servatis tamen, quantum locus et tempus permitterent, ceremoniis in consecratione Episcoporum adhiberi solitis, ac recepto prius ab illo, Nostro et Romanae Ecclesiae nominibus, fidelitatis debitae solito juramento, impendere valeret, facultatem eadem auctoritate tribuimus. Ac eundem Episcopum sic ordinandum ex tunc, prout postquam ordinatus et consecratus foret, ut praefertur, Vicarium Apostolicum in partibus supradictis loco illius ex praefatis Francisco et Petro Episcopis, qui prior decessisset, cum omnibus et singulis facultatibus ei per praedictas Nostras litteras attributis, donec tamen et quousque a praefata Cardinalium Congregatione aliter mandatum vel dispositum foret, dicta auctoritate deputavimus, substituimus, et subrogavimus. Salva tamen in praemissis auctoritate ejusdem Congregationis Cardinalium, quam de iisdem praemissis ab alterutro dictorum Francisci ac Petri Episcoporum superstite quanto citius fieri posset, voluimus fieri certiorem, et alias prout in quaternis Litteris Nostris praefatis, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur. Cum autem sicut praefati Franciscus et Petrus Episcopi per dilectum filium Praesbyterum, quem illinc ad Nos miserunt, Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi e re Dominici gregis magnopere futurum existiment, si supradicto Ignatio Episcopo defuncto Successor in Vicariatu Apostolico ei sicut praefertur demandato constituatur: Nos pro commissa Nobis divinitus Pastoralis Officii cura Christianae Religionis Catholicaeque fidei propagationi, et animarum saluti, quantum Nobis ex alto conceditur, providere volentes, ac de eorumdem Francisci et Petri Episcoporum singulari fide, prudentia, integritate, charitate, industria, vigilantia et Catholicae Religionis zelo plurimum in Domino confisi, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quibus quomodolibet innodatae existunt ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, de consilio Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium super negotiis spiritualibus

Regni Sinarum Nobis deputatae, memoratis Francisco et Petro Episcopis, ut unum ex praefatis Praesbyteris cum ipsis una ad partes supradictas profectis, quem obeundo Vicariatus Apostolici hujusmodi muneri magis idoneum in conscientia judicaverint, Ecclesiae Metellopolitan. per obitum dicti Ignatii Episcopi, solatio Pastoris ad praesens destitutae, in Episcopum et Pastorem auctoritate Nostra Apostolica praeficere, illique sic praefecto munus Consecrationis cum assistentia unius vel duorum aliorum Presbyterorum, etiamsi non sint Episcopi, nec in Ecclesiastica Dignitate constituti, si adfuerint, sin minus etiam absque hujusmodi assistentia, servatis tamen quantum locus et tempus permiserint ceremoniis in Episcoporum consecratione adhiberi solitis, receptoque prius ab eo, Nostro et praefatae Romanae Ecclesiae nominibus, fidelitatis debitae solito juramento, pari formiter impendere libere et licite possint et valeant, facultatem auctoritate praedicta tenore praesentium tribuimus similiter et impartimur: ea tamen lege, ut hac facultate non utantur nisi quando eis permissum fuerit ingredi ea loca, in quibus Vicariatum Apostolicum praedicto Ignatio Episcopo, sicut supra dictum est, demandavimus. Quod si dicti Franciscus et Petrus Episcopi propter locorum distantiam, vel aliud impedimentum pro hujusmodi Episcopi in locum praedicti Ignatii defuncti ordinatione insimul convenire nequiverint, totam hanc facultatem remanere volumus penes praedictum Petrum Episcopum Beryten., qui si tempore adventus praesentium litterarum ad illas partes de saeculo migraverit, eadem facultas penes memoratum Franciscum Episcopum Heliopolitan. resideat. Ambobus autem ab hac luce subtractis, hanc eandem facultatem ordinandi Episcopum dictae Ecclesiae Metellopolitan. in locum supradicti Ignatii defuncti habeat ille Episcopus, quem alter superstes ex iisdem Francisco et Petro Episcopis in vim praedictarum Nostrarum litterarum die 4. Februarii 1664. emanatarum consecraverit. Ac Episcopum vigore praesentium litterarum sic ut praemittitur ordinandum, ex nunc prout ex tunc, postquam ordinatus et consecratus fuerit, Vicarium Apostolicum in partibus supradictis loco memorati Ignatii Episcopi, cum omnibus facultatibus, quae eidem Ignatio Episcopo per praedictas Nostras litteras quomodolibet attributae fuerunt, donec tamen et quousque a memorata Congregatione Cardinalium aliter mandatum, vel dispositum fuerit, auctoritate et tenore praesentis, deputamus pariter, ac substituimus et subrogamus; salva tamen semper in praemissis auctoritate ejusdem Congregationis Cardinalium, quam de iis omnibus, quae earundem praesentium litterarum vigore gesta fuerint, quanto citius fieri poterit, similiter volumus reddi certiorem. Demum novo Episcopo Metellopolitan. sicut praefertur ordinando, ut ipse ad Ecclesiam Metellopolitan. hujusmodi quamdiu illa ab Infidelibus detinebitur, accedere, et apud illam personaliter residere minime teneatur, dicta auctoritate earundem tenore praesen-

tium concedimus et indulgemus. Non obstantibus omnibus et singulis illis quae in supradictis litteris Nostris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 18. Februarii 1665. Pontificatus Nostri Anno decimo.

Amplia la bolla di Gregorio XIII. Super jure congrui , *e permette alla S. C. di fare acquisto di alcune casette vicine al Collegio di Propaganda , perchè essendo esse abitate da persone vili , e forse poco oneste , non ne ricevano gli alunni di esso Collegio Urbano motivi di distrazione , o di mal' esempio.*

ALESSANDRO VII.

Reverendissimo Card. Camerlengo.

Desiderando la Congregazione di Propaganda Fide di comprare le case , botteghe, rimesse , mezzanini , e magazzini posti nelle strade , che circondano l' isola del Palazzo , Chiesa , e Collegio della medesima Congregazione, e dirimpetto a essa, compresa la casa del cantone della piazzetta di Mignanelli , come anco tutte quelle case, che sono nell' ingresso di strada della Vite, dirimpetto alla parte laterale della casa delli Olgiati in lunghezza di canne dieci , le quali case sogliono per l'ordinario essere prese in locazione , e respettivamente abitate da persone vili , o di niun decoro (e qualche volta scandalose) ad effetto di conservare , anzi accrescere il culto , e l'onorevolezza dovuta al predetto Palazzo , Chiesa , e Collegio dove si ricevono , si allevano , e s'istruiscono nelle lettere , pietà , e religione cristiana varii giovani di Nazioni straniere anche infedeli ; ma non potendo detta Congregazione effettuare la suddetta compra per mancanza delli requisiti prescritti dalla Bolla di Gregorio XIII. Nostro Predecessore = *Super jure congrui* = Ci ha supplicato ad estenderla alla compra delle dette case , botteghe , mezzanini , rimesse , e magazzini , ancorchè non siano contigue , anzi separate dall'istesso Palazzo , Chiesa , e Collegio : e volendo Noi , che detta compra segua , ed abbia effetto , ed insieme esaudire benignamente tali supplicazioni, per far cosa grata alla detta Congregazione , e Collegio , dal quale riceve non poco vantaggio la Nostra Santa Religione , con togliere le occasioni di distrazione, e di esempio pernicioso , che gli Alunni , ed Educandi in esso possono ricevere dalli abitanti nelle case, e corpi suddetti ; e considerando , che li padroni di questi non possono rimaner lesi anzi con utilità ; mentre in luogo delle suddette case , e corpi dovranno avere il prezzo giusto a stima dei periti (la

qual stima suol essere per ordinario vantaggiosa a venditori), e di più l'aumento prescritto nella medesima Bolla *Juris congrui* come si dirà appresso, il quale prezzo investito in tanti luoghi di Monti, renderà maggior frutto delle case, botteghe, mezzanini, rimesse, e megazzini suddetti, detratte le spese di acconcimi, tasse, danni, spigionamenti, ed altri che si sogliono considerare nelle case di Roma, e particolarmente nel suddetto luogo; abbiamo deliberato di ampliare, ed estendere la detta Bolla, e sua disposizione al presente caso, acciò venga effettuato il desiderio sì giusto, e pio della Congregazione suddetta, eccettuando per adesso le quattro case maggiori cioè due de' Mignanelli, una delli Olgiati, ed un' altra del Cav. Bernini abitate da persone di condizione, nelle quali non si può temere, ne sospettare alcun mal' esempio; non comprese però in questa eccezione le casette, botteghe, rimesse, stanziole, o mezzanini esistenti sotto dette case maggiori, che hanno porta, o ingresso, o fenestre, o prospetto nelle strade publiche per adito o via di cortili, ed archi, o antroni aperti. Onde di Nostro moto proprio, certa scienza, e pienezza della Nostra potestà Apostolica, avendo quì per espresso lo stato, pianta, e confini di tutte, e singole case e corpi suddetti, loro qualità, e valore, il tenore della suddetta Bolla, ed ogni altra cosa in qualunque modo necessaria, ancorchè ricercasse speciale, ed individua menzione, ampliamo, estendiamo, e per grazia speciale da non allegarsi per esempio proroghiamo la medesima Bolla di Gregorio XIII. *Super jure congrui* al presente caso, in modo tale, che la detta Congregazione di Propaganda Fide possa ritrarre, o comprare dai Padroni ancorchè inviti, e ricusanti in una, o in più volte le case, e corpi suddetti benchè non siano contigui, anzi separati o dirimpetto all' isola della suddetta Congregazione, e Collegio fino al detto cantone de'Mignanelli inclusive, e nell'ingresso della detta strada della Vite in lunghezza di canne dieci, e che non vi concorrino li requisiti di detta Bolla: la quale così estesa ed ampliata, vogliamo, che suffraghi alla detta Congregazione, come se nel corpo di essa, e con parole espresse si comprendesse il presente caso, e perciò ad ogni istanza di detta Congregazione e suoi Deputati procederete alla esecuzione della suddetta Bolla da Noi estesa, ampliata, e prorogata a questo caso come sopra, con eleggere, o far eleggere li Periti a stimare il prezzo giusto delle case e corpi suddetti, e forzerete li Padroni di case, e ciascheduno di loro a vendere le suddette case, botteghe, mezzanini e rimesse alla detta Congregazione di Propaganda Fide per il prezzo, che sarà stimato dai detti Periti, ed ancor quando bisogni da Voi con l'aumento prescritto in detta Bolla, e a ricevere il detto prezzo, stipolarne l'istromento, e a dare tutte quelle cautele, che sono ordinate in essa Bolla, e a fare, ed eseguire in ciò in tutto e per tutto quanto e nel modo e forma, che si dispone in quella, eccetto che in quella parte

dove il compratore viene obbligato a fabbricare, che lo rimettiamo in arbitrio di detta Congregazione, la quale assolviamo e liberiamo totalmente dalla detta obbligazione di fabbricare. E perchè rispetto alle case, botteghe, e magazzini, o altri corpi spettanti alli luoghi Pii, enfiteutici, e sottoposti respettivamente a fidecommessi, e primogeniture, detta Congregazione dovrà in vigore della detta Bolla trovare, o comprare alli Padroni uno stabile di simile valore, e frutto, e ciò gli si rende difficile; però di simile Nostro Moto proprio, certa scienza, e pienezza della Nostra potestà vogliamo, che in luogo del detto stabile possa investire il prezzo col suddetto aumento in tanti luoghi de'Monti Camerali non vacabili, quali siano, e s' intendono surrogati in vece del detto stabile, e come che fosse quello stesso investimento ordinato, e prescritto nella detta Bolla: quali luoghi de'Monti così surrogati farete ricevere, ed accettare *in solutum* per il prezzo delli suddetti corpi e case loro da vendersi, e comprarsi come sopra, e li farete così ricevere anco dalli Ministri dei luoghi Pii respettivamente nel medesimo modo, che dovriano conseguire in detto stabile. Ed al predetto effetto di pagar detti prezzi vi diamo facoltà di valervi di qualunque denaro, e luoghi di Monti della medesima Congregazione, e Collegio ancorchè fossero in qualsivoglia modo vincolati *etiam* con proibizione di alienarsi, e di non rinvestirsi se non in luoghi di Monti Camerali non vacabili per qualsivoglia convenzione o disposizione tra vivi, o ultime volontà; alle quali tutte espressamente deroghiamo al suddetto effetto solamente, surrogando perciò in luogo loro in tutto, e per tutto le case, e corpi come sopra da comprarsi, quali luoghi Pii, e Padroni Fidecommessarj, e respettivamente gravati abilitiamo, ed in quanto faccia di bisogno vogliamo, che siano forzati a vendere per prezzo da stimarsi come sopra per investirlo in detti luoghi di Monti senza altre solennità necessarie per la validità della vendita, nè incorso di caducità alcuna; perchè tale è mente e volontà Nostra espressa, volendo, e decretando, che dalli Decreti, provisioni, ordini, e mandati, che Voi, o da Voi una o più volte in qualsisia tempo sarà per detti effetti deputato in alcuna delle suddette cose, e spettanti a quest'opera e dipendente da essa, farete, e spedirete, o detto Deputato farà, e spedirà, nè dalla Nostra Camera nè da qualsivoglia altri si dia nè si ammetta appellazione, ricorso, nè restituzione *in integrum* di sorte alcuna, ma siano subito eseguiti senza dilazione, e senza pagamento di sportule, e propine alcune, nè altra spesa; che il presente Nostro Chirografo, e tutte le cose contenute in esso siano valide, e ferme e debbano sortire il loro effetto con la sola Nostra sottoscrizione, ancorchè non sia ammesso in Camera, nè registrato nelli suoi libri, e che non siano stati chiamati, nè sentiti li Padroni delle suddette case, botteghe, e magazzini, ed altri corpi, e li Ministri delli luoghi Pii respettivamente, nè loro inquilini, o abitatori o vicini, nè

altri interessati, e che non possa mai darsi di surrezione, obrezione, o difetto della Nostra intenzione, e volontà. Non ostante la detta Bolla di Gregorio XIII. nelle parti contrarie a questo nostro Chirografo, e qualunque altre Costituzioni Nostre, e dei Nostri Predecessori, usi, stili, consuetudini, leggi, e statuti *Super jure congrui*, *et retractu*, la Costituzione di Paolo II., di Pio IV., e quella di Urbano VIII. *Super alienatione bonorum Ecclesiarum*, *et de registran.*, qualsivoglia lite, o vizio di litigioso, regole di Cancelleria *etiam de jure quaesito novo tollendo*, ed ogni altra cosa, che in qualunque modo facesse in contrario, e che richiedesse più speciale, ed individua espressione. Alle quali tutte avendo il loro tenore quì per espresso a sufficienza per questa volta sola, ed al suddetto effetto solamente deroghiamo.

Dato nel Nostro Palazzo Apostolico di Monte Cavallo questo dì 9. di Settembre 1665.

ALEXANDER PAPA VII.

De Collegio Maronitarum, quod fuerat Ravennae institutum, fit sermo. Cum vero ex hac fundatione modicus fructus haberetur; bona Collegii vendi sunt jussa, et pecunia, quae ex venditione redierat, S. C. de Prop. Fide tradita est administranda.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex ex injuncti sibi coelitus Pastoralis Officii debito ea, quae a Praedecessoribus suis pio quidem salubrique consilio disposita fuerunt, si progressu temporis non eum, qui ab initio sperabatur, effectum inde consequi cognoscit, in melius commutat, aliterque disponit, sicut omnibus, maturae considerationis trutina perpensis, ad Omnipotentis Dei gloriam, fideique Catholicae conservationem, et propagationem salubriter expedire in Domino arbitratur. Dudum siquidem per fel. rec. Innocentium Papa X. Praedecessorem Nostrum accepto, quod quoniam Victorius Scialac Acorensis Maronita pio Catholicae Fidei, et erga suam Nationem zelo ductus, nonnulla certorum Montium Romanae Curiae non vacabilium loca pro instituendo in Civitate Nostra, tunc Innocentii Praedecessoris Ravennaten. uno Maronitarum Collegio reliquerat, aliaque bona postmodum per Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum tunc suorum S. R. E. Cardinalium negotio Propagandae Fidei praepositorum ad eumdem effectum adjuncta fuerant; idem Innocentius Praedecessor de praedictae Congregationis Consilio ad Dei Omnipo-

tentis laudem, Sanctaeque ipsius Ecclesiae incrementum praecipuamque Nationis Maronitarum salutem, et commodum in dicta Civitate Ravennaten. unum Collegium pro adolescentibus Nationis praedictae sub invocatione S. Ephrem Syri perpetuo erexit, et instituit: illique sic erecto, et instituto pro congrua ejus dote ac Alumnorum ex praedicta Natione in illo pro tempore educandorum, et illis inservientium personarum substentione, onerumque illis incumbentium supportatione, unam domum tunc recens fabricatam in platea Metropolitanae Ecclesiae Ravennaten., ac unam circiter quadraginta novem in Villa de Gambellaria, et alteram possessiones circiter septuaginta septem tornaturarum mensurae illarum partium in Villa de Sancterna territorii Ravennaten. juxta suos notos fines, respective sitas, quarum possessionum una tunc in sex, et altera in duo petia divisa erant cum domibus, et aliis illarum pertinentiis; nec non novem fabricae secundae, et duo primae erectionum, ac duo Ursini secundae erectionis, et quatuordecim novennalis, ac quadraginta salis tertiae erectionis Montium non vacabilium Romanae Curiae loca, etiam perpetuo attribuit, applicavit, et appropriavit, ipsumque Collegium, et illius pro tempore Alumnos, Collegiales, et Personas omnimodae jurisdictioni, regimini, et gubernio ejusdem Congregationis cum facultatibus eidem Congregationi, alias auctoritate Apostolica concessis, super Collegiis Avenionen., itidem perpetuo subjecit, supposuit, et submisit. Et quoniam fundatio, et dotatio Collegii hujusmodi majori ex parte a praedicta Congregatione provenerat; idcirco illud declaravit Collegium Pontificium membrumque ejusdem Congregationis cum diversis privilegiis, indultis, concessionibus, declarationibus, gratiis, decretis, et derogationibus, et alias prout in ipsius Innocentii praedecessoris litteris, desuper in simili forma brevis die 6. Julii 1648. expeditis, quarum tenore praesentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur. Cum autem sicut accepimus, Congregatio praedicta multorum annorum experientia, comperto, quod ex memorato Collegio in Civitate Ravennaten., ut praefertur erecto, modicus, seu nullus fructus provenerit, Collegium ipsum Nobis annuentibus supprimendum esse censuerit, ita scilicet, ut ipsa Congregatio illius defectum uberius atque utilius, majorique cum praedictae Nationis Maronitarum commodo supplere, ac desuper providere, dictique Victorii intentioni fructuosius obsecundare debeat, retractis Romam ejusdem Collegii bonis, et rebus, venditisque illius bonis stabilibus, et illorum pretio in res majoris fructus, quam bona stabilia in illis partibus reddant, ubi domus valde modica pensione elocari, et reditus terrenorum vili praetio aestimari solent, converso, et erogato; unde eadem Congregatio majorem numerum Alumnorum dictae Nationis in Collegio Urbano de Propaganda Fide, vel alibi, prout Nobis, et ipsi Congregationi opportunius vide-

bitur sustentare poterit. Et propterea dicta Congregatio post factas mediante Venerabili Fratre Archiepiscopo Ravennaten. multas publicas, privatasque diligentias pro iisdem bonis stabilibus, quanta majori fieri posset utilitate, vendendis, tandem commiserit dilecto filio Nostro Coelio ejusdem S. R. E. Petro Card. Piccolomineo Nuntio Nostro, et Apostolicae Sedis in Provincia Romandiolae, et Exarchatu Nostris Ravennae de latere Legato, ut negotio hujusmodi extremam manum apponeret, concessa ei facultate vendendi domum dicti Collegii cum ejus Ecclesia, seu Cappella sub invocatione S. Ephrem, nec non duas possessiones supradictas eaque super re instrumentum celebrandi ad favorem dilecti filii Pandulphi Fantutii, majori oblatoris, mediante summa sex millium, et ducentorum scutorum monetae Romanae per eum ad almam Urbem Nostram sua impensa transmittenda, et cum aliis pactis ipsi Coelio Cardinali bene visis, Ipse vero Coelius Cardinalis contractum hujusmodi concluserit, et domum cum Ecclesia, ac duas possessiones praedictas cum omnibus illarum respective membris, juribus, et pertinentiis per dilectum filium Locumtenentem suum in Civilibus generalem, eidem Pandulpho pretio sex millium, et ducentorum scutorum monetae hujusmodi vendi curaverit, reservato tamen desuper, quatenus opus foret, Nostro, et dictae Sedis beneplacito, concessaque emptori facultate apprehendendi possessionem bonorum venditorum, ac impetrandi a Nobis indultum retinendi Ecclesiam, seu Cappellam praedictam ad usum Oratorii privati, seu illam profanari faciendi, eaque profanata utendi, nec non reservatis ad favorem ejusdem Congregationis nonnullis juribus, regaliis, et aliis rebus per praefatum Coelium Cardinalem, seu ejus Deputatos aestimandis, ex quibus aliquot centenaria scutorum parium dictae Congregationi proventura sperantur, ac cum pacto expresso, quod ipsa Congregatio in actu receptionis dicti pretii venditionem hujusmodi ratificare deberet, et alias prout uberius continetur in publico desuper celebrato Instrumento tenore, qui sequitur, videlicet = In Dei Nomine Amen. Anno a Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo sexcentesimo sexagesimo quinto Indictione 3. die decima octava Aprilis, Sedente SS̃mo D. N. Alexandro Septimo divina Providentia Pontifice Optimo Maximo etc. Pontificatus Sui Anno undecimo; Essendo che la S. C. di *Propaganda Fide* di Roma posseda gli infrascritti beni stabili posti in questa Città, e suo Territorio di Ravenna, che servivano per uso, e mantenimento del Collegio dei Maroniti di questa Città ultimamente soppresso, e volendo la medesima Congregazione delli detti beni farne vendita, abbia fatto affigere alcuni mesi fà le cedole in alcuni luoghi publici di questa Città, e per l'affissione delle medesime cedole, e per molte altre diligenze usate non si sia ritrovato migliore oblatore del Sig. Pandolfo Fantucci di Ravenna, col quale dopo alcuni trattati avuti coll' Em̃o Sig. Card. Piccolomini

Legato di questa Provincia di Romagna, che ha facoltà dalla detta Congregazione di far questa vendita, si sia concluso con sua Eminenza il contratto in parola, e volendo quello mandare in esecuzione, e farne pubblico istrumento, quindi è, che l' Eccellentissimo Sig. Orazio Piccolomini Gentiluomo, e Canonico di Siena al presente Luogotenente Generale al Civile di questa Provincia con la facoltà compartitagli dal suddetto Emo e Rmo Sig. il Sig. Celio della Santa Romana Chiesa Cardinale Piccolomini della Provincia di Romagna, ed Esarcato di Ravenna *de latere* Legato, facendo in nome della detta S. C., e per la medesima Congregazione in virtù della facoltà a Sua Eminenza da quella concessa per più lettere scrittegli sopra questi particolari appresso Sua Eminenza osservate, con questa protesta espressa, che Sua Eminenza, e così detto Eccmo Sig. Luogotenente non restino mai obbligati, nè per se stessi, nè per suoi eredi, nè per suoi beni, e che questa protesta s'abbia per apposta in principio, mezzo, e fine del presente istrumento, ma solamente detta Congregazione, e beni di quella, e non altrimenti etc. e che tutto sia fatto, e si faccia con la riserva del beneplacito Apostolico in quanto facci il bisogno, e non altrimenti etc., e spontaneamente di sua certa scienza, ed in ogni modo migliore dà, e vende al molto illustre Sig. Pandolfo Fantucci Gentiluomo di Ravenna, e Nobile di Bologna, presente, che compra per se stesso, e suoi eredi gli infrascritti beni stabili, cioè, una casa con sue stanze, granari, cortile, spazio di terreno scoperto, e con tutte, e ciaschedune altre sue ragioni, e pertinenze, posta in Ravenna sotto la Parrocchia di S. Gio. in Fonte confini dalla parte anteriore la via publica detta della piazzetta del Duomo, dalla parte posteriore il Sig. Conte Pietro Giovanni, li Signori Baldassarre e fratelli de' Rasponi, ed il Sig. Francesco dalla Torre; da un lato Maestro Domenico Cerdioli Scarpellino; dall' altro lato Donna Elisabetta Lombardi, e Maestro Lorenzo Castellani suo marito, o altri, fra quali confini, ed annessi, è congiunta alla predetta casa una Cappella, o Chiesuola, rispetto alla quale il Sig. venditore dà facoltà al Sig. Fantucci compratore d' impetrare la concessione da Nostro Signore, ad effetto di ritenerla ad uso di Cappella privata, o ad effetto di profanarla, e così profanata averla per di lui uso, costituendolo Procuratore irrevocabile a tal fine. E più una possessione situata nel Territorio di Ravenna nella Villa di Gambellara in tre pezze divisa. Alla prima pezza di tornature trentuna, pertiche quattro, piedi nove, e onze sei di terra arativa, arborata, e vitata, con casa sopra da lavorare, capanna, ed altre sue ragioni, e pertinenze, confinano la via pubblica di Gambellara dalla parte anteriore, poi il fiume Ronco, da un canto li Sigg. Agostino, e Carlo de Pompilj, dall'altro il Sig. Pomponio Abbiosi. Alla seconda pezza di tornature undici, pertiche quattro, piedi quattro, ed onze nove di terra arativa, ed in

parte arborata , confinano la via pubblica dalla parte anteriore , da un lato li beni dell' Arciviacheria del Duomo di Ravenna , dall'altro lato gli eredi del Sig. Girolamo Ferastieri ; dalla parte posteriore poi li beni delli Sigg. Sante , e Girolamo Fratelli de' Fusconi di Ravenna , o altri più veri confini. Alla terza pezza poi di tornature quattro , e pertica una di terra arativa , coufinano il Fratturo pubblico detto il Spadolace , gli eredi del Sig. Francesco Abbiosi , da una parte il Sig. Capitano Carlo Lunardi , dall' altra , o altri etc. E più un' altra possessione posta nel Territorio di Ravenna , nella Villa di Santerna, distinta in due pezze, cioè ad una delle quali pezze di tornature sessantuna , pertiche quattro, piedi sette , ed onze nove di terra arativa , arborata , e vitata con casa da lavoratore , colombara , stalla , pozzo , forno , casetta da bracciante , ed altre sue ragioni , e pertinenze , confinano la via pubblica di Santerna , da due parti gli Eredi del Sig. Giulio Benincasa , e un' altra via , o altri più veri confini etc. Alla seconda pezza di Tornature quindici , pertica una, piedi tre , ed onze nove di terra arativa arborata , ed in parte vitata , confinano li beni dei Sale , li beni del Sig. Vincenzo Baccelli , o altri più veri confini: con dichiarazione, che la vendita delle sopra dette possessioni s' intenda fatta *ad corpus* , senza obbligo di dover mantenere il numero delle Tornature nella quantità espressa , riserva però le ragioni de' lavoratori partiarii quanto alle due possessioni dette di sopra di Gambellara , e Santerna. Ad avere , tenere , godere , possedere , e fare delli detti beni, sue ragioni, e pertinenze tutto quello che parerà al Sig. Compratore , e suoi Eredi. E per causa della presente vendita , l'Eccmo sopradetto Sig. Luogotenente in nome dell' Emo Sig. Cardinal Piccolomini Venditore in detto nome come sopra presente cede , e trasferisce nel suddetto Sig. Fantucci Compratore come sopra tutte , e singole , e ciaschedune ragioni, ed azioni della detta S. C. in amplissima forma di cessione, e di ragione valida pone esso Sig. Compratore in ogni luogo della S. C., e costituisce quello Procuratore irrevocabile come in cosa propria *ita ut* etc. E questa vendita della detta casa in Ravenna , e delle dette due possessioni in campagna come sopra poste , e confinate , e posta e confinata con tutte , singole , e ciaschedune sue ragioni , e pertinenze, il suddetto Emo Sig. Cardinale Piccolomini , e per sua Eminenza l' Eccmo Sig. Luogotenente predetto in nome della detta S. Congregazione fà al detto Sig. Fantucci compratore per prezzo , ed a nome di prezzo di scudi seimila e duecento moneta di paoli dieci a scudo così convenuto , e concordato con Sua Eminenza in tutto e per tutto a corpo , dichiarandosi espressamente , che nella presente vendita siano compresi tutti li frutti pendenti , e che in avvenire matureranno (salva però l'infrascritta dichiarazione circa le sementi, ed altro), in contemplazione de'quali fu fatta l'oblazione , e la convenzione , ed ora si fà il pagamento di tutto il prezzo di scudi sei mi-

la e duecento. Qual prezzo tutto intiero di scudi sei mila e duecento moneta di paoli dieci a scudo, convenuto e concordato come sopra, il suddetto Sig. Pandolfo Fantucci come sopra presente, paga in una di cambio dell'istessa somma di scudi 6200. tratta di questa somma dai Sigg. Tesorieri di Romagna: diretta ai Sigg. Baccelli di Roma nel tenore seguente, cioè *Foris* = Al Sig. Tommaso Baccelli di Roma. = *Intus*, a dì 4. Aprile 1664. in Ravenna. Con la presente ci occorre dirvi, che in termine di un mese dalla ricevuta della presente, desideriamo paghiate alla S. C. de Propaganda Fide la somma di scudi seimila duecento moneta di paoli dieci a scudo, pigliandone quietanza per atto di Notaro, che dichiari, che questo pagamento lo fate di nostro ordine, datovi ad istanza del Sig. Pandolfo Fantucci, con il quale ce ne dovremo intendere, e disse esser per prezzo di tanti beni stabili comprati dalla medesima S. C., pareggiandovi per il vostro rimborso, come si dirà con altra, vi baciamo le mani: Baccio Buondelmonte, e Guglielmo Buonguglielmi = Che attualmente il Sig. Fantucci, consegna al suddetto Eccmo Sig. Luogotenente Venditore in detto nome, che riceve promettendo il medesimo Sig. Fantucci, che ogni e qualunque provisione, o interesse della rimessa anderà sopra di esso, sicchè la S. C. senza sentire alcuna spesa, riceve liberamente li predetti seimila duecento scudi, e di più che la lettera sarà accettata, e pagata rispettivamente dentro il termine, altrimenti vuol esser tenuto del proprio, e di più ad ogni danno, spesa, ed interesse della medesima S. C. *etiam in forma Camerae*. Il quale Eccmo Sig. Luogotenente Piccolomini venditore in detto nome, come sopra presente, dà autorità al Sig. Pandolfo Fantucci compratore, come sopra presente, di pigliar il possesso di tutti e singoli ciascheduni beni, sue ragioni, e pertinenze come sopra venduteli, e quello preso, ritenere senza alcun ministero di Giudice, promettendo esso Eccmo Sig. Luogotenente in detto nome non solo dell'evizione in forma, ma della legittima difesa, e liberazione da qualsivoglia molestia, o molestante persona tanto *de jure*, quanto *de facto*, tanto in Giudizio petitorio, quanto in qualsivoglia Giudizio possessorio, ancorchè non fosse fatta solenne intimazione, ma solo fatta ogni semplice indicazione delle molestie, e ad ogni danno, ed interesse, non solo nei predetti, ma in qualsivoglia caso *in forma Camerae* etc. Il suddetto Eccmo Sig. Luogotenente Civile in conformità de'sentimenti di Sua Eminenza, riserva, ed eccettua tutte, e singole le sementi d'ogni genere, e qualità per la porzione dominicale, per la quale ne sarà data nota da D. Vincenzo Buosi già Economo di detti beni, ed anco le scruffe, che sono sopra de'suddetti beni pure per la parte dominicale, e così li temporali, che sono sopra dette possessioni e beni parimenti per la parte dominicale, alle quali riserve, ed eccettuazioni di tutte, e singole le suddette cose con li riguardi, che professa

d'avere detto Sig. Compratore alli pregiatissimi cenni di Sua Eminenza, consentendo si obbliga di pagare le suddette sementi per la rata dominicale, o in tante spezie a staro per staro al prossimo raccolto, o in valuta di denari con tara, come si compiacerà S. E. ordinare, siccome di pagare la valuta delle scruffe per detta parte dominicale come sarà dichiarato da un Perito da eleggersi, e deputarsi dall' Eccmo Sig. Luogotenente, e parimente si obbliga pagare la valuta de' temporali, che sono tenuti da coltello per macellare a S. Andrea prossimo per le dette rate domenicali conforme il valore, che correva da temporali dopo la festa di S. Andrea prossima passata, e sarà rispetto al detto tempo, dichiarato dal medesimo perito, che si compiacerà deputare detto Eccmo Sig. Luogotenente. Nel rimanente tutte le gravezze da S. M. d' Agosto 1664. in quà corse, restano a peso, ed a pagamento del detto Sig. Compratore, quanto alla parte dominicale, così per patto convenuto, e la quale vendita, e compra, e tutte, e singole cose contenute nel presente Istrumento affermano li sopradetti, il Sig. Luogotenente in nome dell' Emo Sig. Card. Piccolomini venditore in detto nome, ed il Sig. Pandolfo Fantucci compratore in proprio nome come sopra presenti, esser vere, e promettono, e s'obbligano nelli stessi nomi quelle tutte, singole, e ciaschedune aver sempre, ed in ogni tempo ferme, rate, e grate, e quelle tutte, e singole nelli stessi nomi osservare, e non contravenire nè per sè, nè per altri. E per la puntuale osservanza di esse, detto Eccmo Sig. Luogotenente venditore in detto nome, in virtù della facoltà concessa dalla S. Congregazione a S. E., obbliga la suddetta S. C. de Propaganda Fide li beni di quella in qualsivoglia luogo posti, ed esistenti, presenti e futuri *in forma Camerae* etc., e detto Sig. Fantucci Compratore obbliga se stesso, suoi Eredi, e beni suoi, e de' suoi Eredi presenti e futuri *in forma Camerae*, al rigore della quale si sottopongono convenendosi per patto in principio, mezzo, e fine, che la S. C. legittimamente nell' atto di ricevere il pagamento in virtù del suddetto ordine rattifichi il presente Istrumento con tutte le sue parti, e con l' inserzione del medesimo = Et ita pectore tacto more Sacerdotali, tactisque respective litteris juraverunt ad Sancta Dei Evangelia, ad delationem mei Notarii infrascripti etc. supradicti Excellentissimi D. Locumtenentis Generalis ad civilia Romandiolae, praesentibus ibidem admodum Reverendo D. Alexandro Bosio Presbytero Ravennae, Perillustri D. Alibrando Brando, et Perillustri D. Polidorio Montanario Causidicis Curialibus Ravennae testibus vocatis, et ad praedicta omnia, et singula adhibitis; Ego Benedictus Tizzonus Civis, et publicus ex Collegio Ravennae Notarius de praemissis, licet aliena manu transcriptis, rogatus praesens Instrumentum subscripsi, authenticavi, et signavi requisitus ab eodem D. Emptore = Cumque memorata Congregatio Instrumentum praeinsertum, reservato pariter Nostro, et sedis praedi-

ctae beneplacito ratificaverit dictamque summam sex millium, et ducentorum scutorum monetae per Banchum dilecti Filii Thomae Baccelli receperit: hinc est quod Nos opportune in praemissis providere illorumque validitati, robori, et efficaciae quantum cum Domino possumus consulere, ac Congregationem, et Pandulphum praedictos specialis favore gratiae prosequi volentes, dictumque Pandulphum a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fose censentes; nec non testamenti, seu alterius etiam ultimae dispositionis praedicti Victorii tenorem, et alia quaecumque etiam specificam, et individuam mentionem, et expressionem requirentia praesentibus itidem pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine praedictum Collegium Nationis Maronitarum sub invocatione S. Ephrem in Civitate Ravennaten. a memorato Innocentio praedecessore erectum, et institutum, ut praefertur, ac ejus Ecclesiam, seu Cappellam supradictam, omnemque in illis Collegii, et Ecclesiae, seu Cappellae titulum, essentiam, naturam, et denominationem, tenore praesentium perpetuo supprimimus, et extinguimus. Nec non tam pretium dictorum bonorum venditorum, quam cetera omnia, et singula ejusdem Collegii sic suppressi, et extincti bona mobilia, et immobilia, Loca montium, actiones, et jura quaecumque memoratae Cardinalium Congregationi, ita ut liceat ipsi Congregationi per se, seu suos procuratores, et Ministros illorum omnium, et singulorum veram, realem, et actualem possessionem propria auctoritate apprehendere et apprehensam perpetuo retinere, illaque administrare, locare, et arrendare, ac illorum fructus, reditus, proventus, obventiones, et emolumenta quaecumque percipere, exigere, levare, et in sustentationem Alumnorum dictae Nationis Maronitarum in supradicto Collegio Urbano, seu alibi prout Nobis, et dictae Congregationi opportunius videbitur manutenendorum, aliosque ipsius Congregationis usus, necessitates, et utilitatem convertere, et erogare, cujusvis licentia desuper minime requisita, itidem perpetuo applicamus, attribuimus, et appropriamus. Praeterea venditionem domus, et Ecclesiae, seu Cappellae, ac duarum possessionum supradictarum Congregationis praedictae nomine dicto Pandulpho factam, et ab eadem Congregatione ratificatam, ut praefertur, ac confectum desuper Instrumentum praeinsertum cum omnibus, et singulis pactis, conditionibus, conventionibus, declarationibus, obligationibus, et aliis in eo contentis, nec non apprehensionem, et adeptionem possessionis dictorum bonorum venditorum ab eodem Pandulpho forsan factam, ceteraque inde alias legitime secuta, et

secutura, motu, scientia, deliberatione potestatis plenitudine, et tenore praesentis confirmamus, et approbamus, ac convalidamus illisque inviolabilis, et irrefragabilis Apostolicae firmitatis robur, vim, et efficaciam adjicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti, nec non solemnitatum quarumcumque tam ex Juris communis, et Constitutionum Apostolicarum, quam ex Congregationis, et Collegii praedictorum aliorumve quorumlibet etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratorum statutorum, decretorum, ordinationum, et consuetudinum etiam immemorabilium praescripto, usu, et stylo in similibus etiam de necessitate observandorum aliosve quoscumque quamtumvis formales, et substantiales, ac incogitatos, et inexcogitabiles defectus, si qui in praemissis principaliter vel accessorie, aut alias quovis modo intervenerint, seu intervenisse, dici, censeri, intelligi, vel praetendi possent, plenissime supplemus, et sanamus, ac penitus, et omnino tollimus, et abolemus. Volumus autem, ut Ecclesia, seu Cappella praedicta servatis alias servandis profanetur, et ad prophanos non tamen sordidos usus memorati Pandulphi Emptoris reducatur, qua super re quamcumque necessariam, et opportunam facultatem praedicto Archiepiscopo Ravennaten. auctoritate Apostolica harum serie tribuimus, et impartimur. Decernentes easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint et ad ea vocati, citati, et auditi, seu causae, propter quas ipsae praesentes emanarunt adductae, verificatae, et justificatae non fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis justa, pia, legitima, et privilegiata causa, colore, praetextu, et capite etìam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimae, et totalis laesionis, nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam formali, et substantiali, ac incogitato, et inexcogitabili defectu, notari, impugnari, infringi, invalidari, restringi, retractari, et in controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas restitutionis in integrum aperitionis oris, aliudve qudcumque juris, facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato, quempiam in judicio vel extra illud uti, seu se juvare posse, neque ipsas praesentes litteras sub quibusvis similium, vel dissimilium suppressionum, et extinctionum, applicationum, et appropriationum, ac confirmationum, aliorumque gratiarum revocationibus, limitationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus etiam per Nos, et quoscumque Romanos Pontifices Successores Nostros, Sedemque praedictam etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, ac Consistoraliter, et alias quomodolibet pro tempore faciendis unquam comprehendi,

aut comprehensas intelligi, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanaverint toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas, ac etiam de novo sub quacumque posteriore data per eos, ad quos spectat, et pro tempore spectabit eligenda concessas censeri, firmasque, validas, et efficaces existere, et fore suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac Congregationi, et Pandulpho praedictis aliisque ad quos in futurum quandocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari. Sicque, et non aliter in praemissis, per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Camerarium, seu Procamerarium, et alios Cardinales etiam de latere Legatos, nec non Camerae Nostrae Apostolicae Praesidentes, Clericos, ceterosque Officiales, et Ministros, et alios quoslibet quavis auctoritate, praeeminentia, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari et definiri debere, ac irritum et inane si quid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praedictis Innocentii Praedecessoris litteris, ac memorati Victorii etiam ultima voluntate, quam quoad praemissa sufficientes, et expresse commutamus, aliisque praemissis, nec non Rec. mem. Pii PP. IV. etiam Praedecessoris Nostri de gratiis qualecumque interesse dictae Camerae concernentibus in eadem Camera intra certum tunc expressum tempus praesentandis, et registrandis, ita ut praesentes litteras ibidem praesentari, insinuari, et registrari numquam necesse sit, ac de non tollendo jure quaesito, et unionibus, et applicationibus perpetuis committendis, ad partes vocatis, quorum interest, exprimendoque in in illis vero valore, ceterisque Nostris, et Cancellariae Apostolicae regulis, nec non Lateranensis Concilii novissime celebrati, uniones perpetuas nisi in casibus a jure expressis fieri prohibendis, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et Ordinationibus, ac Congregationis, et Collegii praedictorum, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus privilegiis quoque Indultis, et litteris Apostolicis etiam Congregationi, et Collegio hujusmodi, aliisve quibuslibet sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, ac Consistorialiter, et alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis, approbatis, et pluries innovatis. Quibus omnibus et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, et individua, ac

de verbo, ad verbum, non autem per causulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur, et insererentur, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter, et expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo dictae Congregationis, seu alicujus personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in judicio, et extra, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum in Arce Gandulphi Albanensis Dioecesis sub Annulo Piscatoris die 22. Octobris 1665. Pontificatus Nostri Anno Undecimo.

S. Ugolinus.

Breve Indulgentiarum pro fratribus Congregationis, seu Societatis Alumnorum Collegii Urbani, sub titulo Assumptionis B.M.V.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Omnipotentis Dei Salvatoris Nostri, qui ex pietatis Suae superabundantia fidelium mentibus caelestis inspirationis gratiam et devotionis ardorem ad Divinae Majestatis obsequia et piorum operum exercitia salubriter peragenda continuo infundit, exemplo adducti, in eam Pastoralis officii curam cogitationemque sedulo incumbimus, per quam ipsorum fidelium fructuosis hujusmodi operibus et exercitiis vacantium religio et devotio continuo suscipiat incrementum, eisque votiva salus proveniat animarum. Volentes itaque Congregationem, sive Sodalitatem Alumnorum Collegii Nostri Urbani de Propaganda Fide sub titulo Assumptionis B. Mariae Virginis Immaculatae dudum auctoritate Apostolica canonice erectam et institutam, quo uberioribus in dies, benedicente Domino, proficiat, pietatis incrementis, spiritualium gratiarum, et Indulgentiarum muneribus ex caelesti Ecclesiae thesauro, cujus dispensatores a Domino instituti sumus, decorare; de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus et singulis Christifidelibus vere poenitentibus, et confessis, qui deinceps in Sodales ejusdem Congregationis, seu Sodalitatis recipientur, tam die receptionis

eorum si Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in Ecclesia seu Oratorio ipsius Congregationis seu Sodalitatis, aut ubicumque potuerint, eo die sumpserint, quam in mortis articulo, necnon ipsis, ac omnibus et singulis aliis utriusque sexus Christifidelibus etiam vere poenitentibus, et confessis, sacraque communione refectis, qui Ecclesiam seu Oratorium hujusmodi die Festivitatis ejusdem Assumptionis Beatae Mariae a primis vesperis usque ad occasum solis ipsius Festivitatis devote visitaverint, et inibi pro reipublicae Christianae conservatione, et augmento, haeresum extirpatione, Principumque Christianorum mutua et universali pace, ac Nostra et pro tempore existentis Romani Pontificis prosperitate, vel alias preces, prout unicuique suggeret devotio ad Deum devote effuderint. Insuper eisdem sodalibus, similiter vere poenitentibus et confessis, qui in Nativitatis et Ascensionis Domini Nostri Jesu Christi, ac Annunciationis et Conceptionis, necnon Nativitatis Beatae Mariae Virginis Immaculatae festis diebus praedictum Sanctissimum Sacramentum ibidem vel alibi acceperint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem Apostolica Auctoritate tenore praesentium misericorditer in Domino concedimus et elargimus: ipsisque sodalibus, qui de eorum numero existentium, vel aliorum Christifidelium defunctorum corpora ad sepulturam ecclesiasticam associaverint, aut infirmi vel impediti, audito signo campanae genuflexi, si per infirmitatem licebit Orationem Dominicam, et Salutationem Angelicam pro salute animae defuncti, vel corporis infirmi recitaverint, necnon, qui Congregationibus, tam publicis, quam privatis ac divinis officiis spiritualibusque colloquiis, exhortationibus et aliis piis officiis, etiam in Sodalium, seu aliorum Christifidelium suffragium per Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositam ordinandis, seu approbandis, quique diebus feriatis Missae Sacrificio interfuerint, aut vespertino tempore antequam cubent conscientiam suam diligenter examinaverint, seu pauperes infirmos tam Sodales, quam alios in Hospitalibus vel privatis domibus, necnon carceratos visitaverint, aut pacem inter inimicos conciliaverint, quoties horum quodvis fecerint, unum annum de injunctis eis, vel alias quomodolibet debitis poenitentiis, auctoritate, et tenore similibus etiam misericorditer in Domino relaxamus; quascumque alias praesentibus non expressas Indulgentias et peccatorum remissiones etiam plenarias, et relaxationes Sodalibus, et aliis praedictis ratione Instituti Congregationis, seu Sodalitatis hujusmodi, vel alias in communi per nos, et Sedem Apostolicam quomodolibet concessas revocando, et abrogando. Insuper ne praedicti Sodales, si aliquando eos ab alma Urbe abesse vel alibi commorari contingat, hujusmodi Indulgentiarum et aliarum gratiarum spiritualium effectu, et fructu frustati remaneant, eisdem Sodalibus extra Urbem ubivis locorum pro tempore commo-

rantibus, ut in locis ubi eos pro tempore residere, seu morari contigerit, opera praedicta, quae ipsi Sodales in Urbe praesentes pro singularum Indulgentiarum, remissionum, et relaxationum hujusmodi consequutione observare deberent apud Ecclesias eorumdem locorum, aut alibi prout poterunt observando et exequendo, omnes easdem Indulgentias remissiones, et relaxationes habeant, et illae eis pariter suffragentur: necnon tam in Urbe praesentes, quam alibi ubivis locorum commorantes Sodales Congregationis, seu Sodalitatis hujusmodi qui singulis quadragesimalibus, et aliis anni temporibus, ac diebus Stationum Ecclesiarum dictae Urbis, et extra illius muros, quae a Christifidelibus pro consequendis Indulgentiis, et remissionibus visitari solent, Ecclesiam, seu Oratorium ipsius Congregationis, seu Sodalitatis, vel extra Urbem aliam Ecclesiam, seu Cappellani in locis ubi eos pro tempore residere seu morari contigerit, ut praefertur, devote visitaverint, tot, et easdem Indulgentias consequantur, quas consequerentur, si iisdem temporibus, et diebus singulas Ecclesias dictae Urbis et extra illius muros hujusmodi, pro iisdem Stationibus et Indulgentiis consequendis deputatas personaliter visitarent, ac omnia et singula, quae pro hujusmodi gratiarum consequutione quomodolibet requiruntur, plene adimplerent, auctoritate, et tenore praesentis concedimus pariter, et indulgemus. Non obstantibus Nostra de non concedendis Indulgentiis ad instar, et aliis Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 4. Junii 1666. Pontificatus Nostri Anno duodecimo.

Catholicorum Hiberniae in summa tribulatione gementium calamitates levare contendens, Commissarium, et Vicarium Apostolicum illic instituit, imo potius confirmat. Quos bonis omnibus expoliatos non sine spiritualium divitiarum concessione relinquit.

CLEMENS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilecto Filio Fratri Jacobo Taaffe Ord. S. Francisci Reformatorum, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

In supremo militantis Ecclesiae Solio, et Apostolicae potestatis plenitudine, summa Redemptoris Nostri benignitate, meritis licet imparibus, constituti, illud Nobis prae ceteris curandum proposuimus,

ut Dei Omnipotentis gloriam, ac Christianae Religionis cultum in omnibus mundi partibus eodem, quem ubique in servis suis regnare, et consolari delectat, semper cooperante, et assistente, propagare, et promovere cupientes, in primis Ecclesiasticorum, et Religiosorum Ordines, ac status quoscumque ad pristinam cujuscumque eorum instituti normam, a qua verendum est, eos quodammodo deflexisse, quantum in Domino possumus reduceremus.

Cum itaque Dilectus filius Noster Carolus tituli SS. Nereï, et Achilei Presbyter Cardinalis Roberti nuncupatus, suo, ac charissimi Nostri Nepotis Jacobi S. Mariae Abbatis Rospigliosi nomine Nobis nuper exponi fecit, quam pie, et sancte cogitavit felicis recordationis Alexander Papa Praedecessor Noster de misero statu Catholicorum in Regno Hiberniae, deque viis, et modis, quibus ei in hac extrema sua desolatione subveniri posset: et quidem videntur illius Regni calamitates in eum cumulum excrevisse, ut juxta ipsius veritatis sententiam omne Regnum in se divisum desolabitur, timendum sit, ne adesse festinet ejus ultima, et absoluta ruina.

Parum erat haereticorum verberibus, et cruciatibus, licet grave, tamen utcumque, proh dolor, ferendum erat, Dominos Saeculares suis bonis, Religiosos Monasteriis, Clerum universum Ecclesiis suis, et functionibus exturbari, ac etiam in exilium pelli. Poterant quidem Hiberni Divina gratia roborati in patientia sua possidere animas suas, et pati ad tempus has tenebras, et eclypsin quantumvis densam antiqui sui splendoris, ac post tenebras sperare lucem, et ex valle illa lacrimarum levare oculos suos ad montem unde venire eis posset auxilium. Verum ex quo in invicem vertitur furor aspidis, et involuit tam Clerum, quam Populum par insultus, non videtur, quod superna Clementia ulterius differat, quin in eos exactissimum judicium acuat, et in stuporem perpetuae desolationis impellat, nisi tamen misericors Deus gregi illi erratico misisset tam providos, et in illius custodiam tam vigiles Custodes, inter quos Te numerare, et nominare voluit praefatus Praedecessor Noster, ut per Te, Deo Te inspirante, dirigente, et auxiliante, tam periculoso et mortifero Populi illius morbo mederi posset, atque idcirco Te Commissarium Apostolicum in eodem Regno instituit, et ordinavit. Nos igitur, qui pro Nostri Pastoralis Officii debito eodem Nationis statui, ac saluti prospere dirigendo libenter intendimus, praefati Praedecessoris Nostri vestigiis inhaerentes, Te, de cujus pietate, doctrina, ac in primis Religionis zelo particularem habemus notitiam, specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, Teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, piis praedictorum Fratris, et

Nepotis Nostri votis, et desideriis inclinati, Te non solum Commissarium Nostrum, verum etiam Vicarium nostrum Apostolicum Dei Omnipotentis, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus auctoritate cum plenitudine potestatis, nominamus, instituimus, ordinamus, et confirmamus. Mandantes in virtute S. Obedientiae, et sub poena excommunicationis latae sententiae, Nobis extra articulum mortis reservatae, omnibus, et singulis personis in praefato Regno Hiberniae cujuscumque dignitatis, status, gradus, Ordinis quantumcumque exempti, aut etiam privilegiati, conditionis, qualitatis, et praeeminentiae, nec non Communitatibus, et Conventibus quibuscumque etiam Mendicantium, ac aliis, ad quos spectat, et pertinet, et pro tempore expectabit, et pertinebit, quatenus ipsi, et eorum quilibet Tibi tamquam membra capiti obsequentes, ac reverentiam, et obedientiam exbibentes tuis monitis, et mandatis omnino pareant, et obediant. Omnimodam, et absolutam auctoritatem et potestatem Tibi impertientes eosdem omnes, et singulos sive congregatim, sive separatim, sive in communi, sive in particulari visitandi, reformandi, deponendi, instituendi, continuandi, corrigendi, et puniendi juxta Sacros Canones, et Concilii Tridentini Decreta; Te insuper fulciri volentes, et gaudere omnibus quibuscumque facultatibus, et privilegiis, Sedis Apostolicae Legatis, qui non sunt a latere, seu Nuntiis concedi solitis, speciatim haereticos quoscumqne reconciliandi, et reconciliatis concedendi Apostolicam Benedictionem cum plenaria Indulgentia, absolvendi quoscumque a casibus Sedi Apostolicae, etiam in Bulla Coenae reservatis, dispensandi cum Clericis super suspensionibus, inhabilitatibus, et irregularitatibus, commutandi vota, tenendi, et legendi libros haereticorum, et quoscumque prohibitos, ac similem facultatem communicandi, celebrandi Missam quocumque loco decenti, etiam ante lucem, aut paulo post meridiem, aut ubi necessitas postulaverit bis in die, etiam coram haereticis, et excommunicatis, applicandi piis usibus bona restituenda incerto Domino, dispensandi super fructibus bonorum Ecclesiasticorum male perceptis, et absolvendi a retentione eorumdem bonorum, dispensandi quando expedire videbitur super esu carnium, ovorum, et lacticiniorum; concedendi ministris haereticis ad fidem convertendis, ut pro beneficiis Ecclesiasticis, quae dimittere coguntur, aliquam partem recipere possint ad levamen inopiae, subdelegandi praedictas facultates.

Decernentes praeterea praesentes Litteras nullo praetextu, nec ullo capite de subreptionis, aut obreptionis vitio, aut intentionis nostrae defectu notari, argui, seu impugnari, aut sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam a Sede Apostolica emanatis aut in posterum emanandis comprehendi posse, sed illas semper validas, et efficaces existere, suosque plenarios, et integros effectus sortiri debere, sic-

que per quoscumque Judices, et Commissarios quavis auctoritate ubique judicari et definiri debere, nec non irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, Tibique mandamus, ut contradictores quoslibet, et rebelles, ac praemissis non parentes, per sententias, censuras, et poenas Ecclesiasticas, aliaque opportuna Juris, et facti remedia, appellatione postposita, compescas. Non obstantibus praemissis, et quibusvis Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac Regularium etiam Mendicantium privilegiis, etiam juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Postremo ad spiritualem Catholicorum consolationem, et ut majora in dies suscipiant incrementa, de Omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri, et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, si vere poenitentes, et confessi, ac sacra communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem vere contriti nomen Jesu devote nominaverint, toties quoties Tuum sacrum audiverint, quindecim annorum Indulgentias concedimus.

Ceterum quia difficile foret earumdem praesentium litterarum notitiam ad quascumque personas venire, et ubique illas praesentare, eadem auctoritate volumus, et decernimus, quatenus transumptis earumdem praesentium litterarum manu alicujus Notarii Publici, et sigillo alicujus personae in Dignitate Ecclesiastica constituti, sigillatis, eadem fides, ubique tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Tu igitur benedictione Nostra fretus, eam in demandato Tibi a Nobis hoc munere operam praestare curabis, ut ii, quos jam animo percipimus, quotidie magis augescant, Nosque, et Sancta Mater Ecclesia per Te optime consuluisse laetemur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 20. Augusti 1667. Pontificatus Nostri Anno primo.

Charitatem, pietatem, in Apostolicam Sedem studium Catherinae Magnae Britanniae Reginae, ut ex litteris ejus compererat, plenus laetitia commendat.

Charissimae in Christo Filiae Nostrae Catherinae
Magnae Britanniae Reginae.

CLEMENS PAPA IX.

*Charissima in Christo Filia Nostra, Salutem
et Apostolicam Benedictionem.*

Ingenti profecto laetitia completus est animus Paternus Noster in-

telligens cum ex litteris Majestatis Tuae, tum etiam ex his quae nomine, et mandato ejusdem speciali Dilectus filius noster Cardinalis Barberinus adhuc latius, et distinctius exposuit, eam semper sic fidelissimam, et obsequentissimam Ecclesiae filiam professam fuisse, nunc autem etiam partes omnes, quas uti talis erga Sedem Apostolicam, et Vicarium in terris Jesu Christi debeat implevisse. Quare perfusi gaudio incomparabili Te charissima in Christo filia in sinum Apostolicae charitatis exceptam unice complectimur, sperantes insuper pietatem singularem Tuam magis, ac magis in dies eam omnem quam vehementer expetimus illi caelestium Benedictionum abundantiam promerituram esse; idque vel potissimum continuato Catholicorum Britannorum Patrocinio, qui sane cum Regio Conjugis tui subditi, tam eximie fideles existant, novas usque Tibi causas favendi rebus suis (aspirante Domino) praestituri sunt. Praecipuas quoque gratias agimus, ac debemus Majestati Tuae ob impensam affectus filialis humanitatem, qua erga Nos uti voluit, assumptionem ad Summum Pontificatum Nostrum adeo perbenevole Nobis gratulata. Ejus certe benevolentiae mutuam, cumulatamque responsionem omnibus temporibus a voluntate summe propensa Nostra Sibi polliceri profecto poterit Majestas Tua. Cui nos interim Divinae gratiae fructus uberes, et assiduos enixe precamur, Apostolicamque benedictionem, quo possumus, amantiori sensu Pontificii Cordis impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 7. Julii 1668. Pontificatus Nostri Anno secundo.

Qui in regno Bisapor in Indiis Orientalibus Vicarii Apostolici munere fungebatur, talis in regnis Pegù, et Golgonda cum facultatibus constituitur.

CLEMENS PAPA IX.

Venerabilis Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Christi Fidelium Regnorum Pegù, Golgonda, et Bisapor in Indiis Orientalibus animarum saluti, et Infidelium in illis existentium ad fidem Catholicam conversioni pro Pastorali Nostra sollicitudine consultum esse volentes, ac despectata Fraternitatis Tuae fide, prudentia, doctrina, et Orthodoxae Religionis zelo, plurimum in Domino confisi, de Ven. Fr. Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, Te qui in Regno Bisapor earumdem Indiarum Orientalium Vicarius Apostolicus ab hac Sancta Sede Apostolica deputatus existis, etiam in ipsis Regnis Pegù et Golgonda Vicarium Apostolicum cum faculta-

tibus Tibi a Ven. Fr. Nostris S. R. E. Card. adversus haereticam pravitatatem in universa Christiana Republica Inquisitoribus Generalibus ab eadem Sede Apostolica specialiter deputatis, hactenus concessis et in futuris concedendis Apostolica auctoritate tenore praesentium ad Nostrum et ejusdem Sanctae Sedis beneplacitum facimus, constituimus, et deputamus. Mandantes propterea universis et singulis Christifidelibus supradictorum Regnorum, ceterisque, ad quos spectat, ut Tibi in omnibus Vicarii Apostolici hujusmodi officium concernentibus, et quae eis in Domino mandanda duxeris prompte pareant et obediant, alioquin sententiam sive poenam, quam statueris in rebelles, faciemus Auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus praedictis litteris ac Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae etc. 1669.

Bernardi Episcopi Cubae in Indiis Occidentalibus petentis, ut decreta S. C. de Propaganda Fide declarantia quasdam facultates illis religiosis non convenire confirmarentur, desideriis satisfacit Pontifex, eaque sua Apostolica auctoritate corroborat.

Venerabili Fratri Bernardo Episcopo Cubae
In Indiis Occidentalibus.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Negotiis Propagandae Fidei praepositorum, super quibusdam diebus a Venerabili Fratre Bernardo Episcopo Cubae in Indiis Occidentalibus eidem Congregationi propositis emanarunt Decreta tenoris, qui sequitur, videlicet = Dubia proposita a R. P. D. Bernardo Dellos Rias moderno Episcopo Cubae in Indiis Occidentalibus, et Decreta desuper facta in Congregatione Generali de Propaganda Fide habita sub die 27. Aprilis 1671. = 1. An Religiosi Ordinum SS. Dominici, Francisci, Augustini, Joannis Dei, et Bmae Virginis Mariae de Mercede commorantes in Insula Cubae, vigore privilegiorum olim eorum Religionibus, ab hac S. Sede concessorum, possint processionaliter incedere ultra circuitum propriorum Monasteriorum sine licentia Ordinarii. = Sacra Congregatio respondit: non posse. 2. An Praesules dictarum Religionum super inter-

stitia, et extra tempora suos Religiosos dispensare valeant. = Sacra Congregatio respondit: non posse. = 3. An Religiosis praedictis in propriis Ecclesiis tribus, vel quatuor horis ante diem Missam celebrare liceat. = Sacra Congregatio respondit: non licere. = 4. An praedicti media inter armenta, et in locis absque forma Oratorii cum Altaribus portatilibus celebrare possint. = Sacra Congregatio respondit: non posse. = 5. An de facto possint permittere Sacerdotibus celebrationem Missae absque eo quod ab Episcopo sint approbatae eorum dimissoriae. = Sacra Congregatio respondit: non posse. = Cum autem sicut pro parte dicti Bernardi Episcopi Nobis subinde expositum fuit, ipse hujusmodi decreta quo firmius subsistant, Apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: Nos specialem ipsi Bernardo Episcopo gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decreta praeinserta auctoritate Apostolica, tenore praesentium approbamus et confirmamus, illisque Apostolicae inviolabilis firmitatis robur adjicimus. Ac eidem Bernardo Episcopo contra trasgressores decretorum hujusmodi ad poenas condignas procedendi facultatem auctoritate, et tenore praesentis concedimus, et impertimur, salva tamen semper in praemissis auctoritate praefatae Congregationis Cardinalium. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab illis ad quos spectat, et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, et quatenus opus sit quorumcumque Ordinum et aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 10. Julii 1671. Pontificatus Nostri Anno secundo.

I. G. Slusius.

Rectori Collegii Anglorum Duacensis circa suorum Alumnorum ordinationes, et ab excessibus, et censuris absolutionem specialem ad quinquennium tribuit facultates.

Dilecto Filio Joanni Leiburno moderno, et pro tempore existenti Rectori Collegii Anglorum Duacen.

CLEMENS PAPA X.

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

De tua singulari fide, prudentia, et doctrina, plurimum in Domino confidentes, ea Tibi benigne concedenda duximus, quae infrascripti Collegii, et Alumnorum illius commodo, et utilitati profutura esse cognoscimus. De Venerabilium itaque Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium in universa republica Christiana contra haereticam pravitatem Inquisitorum Generalium a Sede Apostolica deputatorum consilio, ad quinquennium proximum tantum, et interim quandiu Rectoris munere in isto Collegio Anglorum Duacen. fungeris, quo ipsius scholares Alumni post longos studiorum labores Sacerdotali ministerio pro loci, et temporum necessitate fungi, ac sanctionibus sacris assuescere, ac Ecclesiae dicti Collegii officia divina praestare, seu, uti operarii fructuosius mitti valeant, eisdem Alumnis, ut de Tuo consensu, et examine praecedente, etiam absque litteris dimissoriis suorum Ordinariorum, et non obstantibus quocumque natalium defectu, super quo cum illis gratiose dispensamus, Clericali militiae adscribi, et aliquibus quatuor etiam feriatis, et continuis vel interpolatis, seu unica diebus, ad quatuor minores, nec non tribus Dominicis vel aliis festivis pariter continuis, vel interpolatis diebus, et absque ullo beneficii vel patrimonii titulo ad Sacros etiam Presbyteratus Ordines extra tempora a jure statuta, et anni curriculo non expectato, nec servatis interstitiis a Sacro Concilio Tridentino designatis, et absque eo quod antequam de uno ad alium ordinem promoveantur, in primo quoque suscepto ministrare, aut alicujus Ecclesiae servitio adscribi teneantur, promoveri, et promoti in illis etiam in Altaris ministerio ministrare libere, et licite valeant. Nec non Tibi, ut per Te, vel Confessorem idoneum, quem duxeris eligendum singulos Alumnos praefatos a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, quas ipsi pro tempore quomodolibet incurrerint, et a quibusvis peccatis, excessibus, et delictis quantumvis gravibus, ac enormibus, etiam in casibus in Litteris

die Coenae Domini, legi solitis, contentis, (conspiratione in personam, vel statum Romani Pontificis, falsitatis litterarum et scripturarum Apostolicarum, delationis armorum, et aliorum prohibitorum ad partes Infidelium, ac injectionis manuum violentarum in Praelatos dumtaxat exceptis) absolvere, ac pro commissis poenitentiam salutarem, et alia injungenda eis injungere, et cum eis super irregularitate per eos quomodolibet (praeterquam occasione homicidii voluntarii, bigamiae, et haeresis) contracta dispensare libere, et licite valeat auctoritate Nostra Apostolica tenore praesentium facultatem concedimus, et indulgemus. Praesentibus post lapsum quinquennii hujusmodi minime valituris. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac in Venerabilibus Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die prima Augusti 1671. Pontificatus Nostri Anno secundo.

In Graecos Venetiis degentes, qui sibi schismaticum episcopum praesumunt assumere, ut in ecclesia S. Georgii episcopali munere fungatur. Inde Pontifex nobilem Reip. Ducem hortatur, ut magistratum laicum a blasphemia nuncupatum, cui nulla in spiritualia potest auctoritas competere, revocet.

Dilectis Filiis Nobilibus Viris Duci, et Reipublicae Venetiarum.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dilecti Filii Nobiles Viri, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Molestum supra quam explicare possumus accidit Nobis cognoscere Graecos istic degentes, Divique Georgii Ecclesiae subjectos ea in deliberatione permanere, ut schismaticum Episcopum eligant, eumque sibi ad Pastorale munus obeundum assumant. Probe enim omnes intelligunt minime Nos absque gravissima culpa pati posse, ut in Urbe eximio erga Catholicam Religionem studio longe praeclarissima extet Templum, in quo libera facultas adsit Graecorum Schismaticorum errores impune, et publice profitendi. Nec ab hujusmodi scandali tollendi debito Nos absolvit Praedecessorum Nostrorum in hac re silentium; insciis enim ipsis id evenisse credi oportet, officii idque Nostri partibus satisfacturi Nobilitates Vestras in Domino vehementer hortamur, monemus, et obtestamur, ne

tantum dedecus admitti, et hanc Catholicae Religioni injuriam vestros ante oculos ulterius fieri velitis, sed Catholicum Graeci ritus Episcopum eligi, atque interim schismaticos errores deponere sedulo curetis. Id enim magis consonum dignitati Vestrae erit, eaque dignum pietatis laude, quam Sapientissimus iste Senatus late sibi comparavit in procuranda Grecae cum Latina Ecclesia unione atque concordia. Et quia eodem tempore relatum ad Nos fuit Nobilitates Vestras ad tollendos abusus, qui in administratione Sacramentorum per praefatae S. Georgii Ecclesiae districtum, quamplurimi irrepserunt, Magistratum Laicum a blasphemia nuncupatum deputavisse, etsi nihil aliud vos in eo spectasse pro consueto zelo vestro praeter Divinum honorem facile credimus; quia tamen res, de qua agitur, uti mere spiritualis omnem saecularis potestatis cognitionem, auctoritatemque respuit, et quia eadem Ecclesia Apostolicae Sedi immediate subjecta est, officii quoque esse Nostri intelligimus pietatem Vestram admonere, ut eam deputationem quamprimum revocetis, vel saltem sic temperetis, ut pateat nullum per illam circa spiritualia dicto magistratui jus tributum fuisse, memores etiam si arca foederis ruinam minitetur, nefas esse eam ab alia quam a Laevitica manu sustineri. Nobilitatibus vestris Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae etc. die 28. Maii 1678.

Cum viam universae carnis sit ingressus Pseudo-Episcopus, qui Venetiis Graecis schismaticis praeerat, viriliter contendit Pontifex, ne alter illi schismaticus sufficiatur.

Venerabili Fratri Aloysio Patriarchae Venetiarum

INNOCENTIUS PAPA XI.

Venerabilis Frater, Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Accepto Nuntio de obitu Pseudo-Episcopi, qui Graecis schismaticis istic praeerat, injunximus Cardinalibus Venetae Nationis in Urbe degentibus, ut conjunctis studiis agant apud Rempublicam istam, ne alium Episcopum pariter schismaticum illi subrogari, vel si id temeritate Graecorum accidat, sacrilegum ministerium ab eo exerceri non patiantur, sed res ad terminos redigatur, quos posuerunt patres nostri, observando scilicet normam, quam praescripsere jampridem Pontificiae Constitutiones, quae quidem ita Graecorum Catholicorum praecibus rituum suorum exercitium indulsere, ut nullam ta-

men Schismaticis sectae suae profitendae veniam tribuerent. De spectata fraternitatis Tuae pietate, et Pastorali zelo confisi, non dubitamus, quin Tu hac occasione strenue, ac viriliter insurgas, omnique opera ac industria adnitare, ut gravissimo huic malo, quod, si diutius grassari sinatur, magnam Reipublicae ipsi perniciem afferre aliquando possit, serio provideatur. Nos tamen noluimus officio Nostro deesse, Te vehementer in Domino hortando, ut exclames, et exaltes vocem tuam, monendo singulos, quibus cura Reipublicae incumbit, quam impense concors Sanctorum Patrum consensus, et ipsa Sacrarum Oracula litterarum fidelibus praecipiant, ut ab haereticorum et eadem vel etiam majore cum haereticis Lepra laborantium schismaticorum consortio caveant. Speramus egregiam istius Senatus pietatem, ac prudentiam faciles tam salutaribus monitis aures praebituram, Nosque ingenti cura liberaturam ad ea remedia animum adiiciendi, quae ceteroqui puritati Fidei, et animarum saluti tuendae opportuna judicarentur; Tibique, Venerabilis Frater, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae etc. die 16. Septembris 1679.

Conventus S. Antonii de Baradoxo Provinciae Algarbiorum in Collegium Missionum mutatus Apostolicam confirmationem reportat.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Ex injuncto Nobis divinitus Apostolicae servitutis munere, animarum saluti, piorumque, et Christianae charitatis operum felici progressui, et incremento jugiter invigilantes, illisque a Superioribus Regularibus consimili consilio provide prudenterque facta, atque ordinata esse noscuntur, ut perenni stabilitate subsistant, Apostolici muniminis, cum id a Nobis petitur libenter adjungimus firmitatem, ac alias desuper disponimus, sicut ad Omnipotentis Dei gloriam, et animarum salutem, ac Religionis incrementum salubriter in Domino expedire arbitramur. Exponi siquiqem Nobis nuper fecit dilectus Filius Antonius a Plagis Frater expresse professus Provinciae Algarbiorum in Lusitania Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, quod cum ipse multorum annorum spatio missionibus in Regno Portugalliae operam dedisset, experientia itaque cognovisset quantum inde fructus ad animarum salutem benedicente Domino proveniat, ac proinde ejusmodi Missionariorum numerum ampliari, illorumque Ministerium stabiliri, et bonis legi-

bus dirigi desideraret, dilectus etiam Filius Josephus Ximenes Samaniego Minister Generalis dicti Ordinis ipsi Antonio suam benedictionem, et facultatem concessit, ut Conventum Sancti Antonii de Baratoxo dictae Provinciae, sibi suisque sociis ad effectum in eo constituendi Collegium Missionariorum hujusmodi, ab hac Sancta Sede petere valeret; ad quod obtinendum plenum consensum tribuit, et praedictae Provinciae Algarbiorum consensum, quantum poterat, supplevit; haec autem concessit sub diversis conditionibus, et ordinationibus in praedicto Conventu omnino observandis, et alias prout uberius continetur in ipsius Josephi Ministri Generalis patentibus Litteris desuper emanatis, tenoris, qui sequitur videlicet: Frater Joseph Ximenes Samaniego totius Ordinis Fratrum Minorum Seraphici P. N. S. Francisci Generalis Minister, et Servus. Dilecto Nobis in Christo P. Fratri Antonio a Plagis Praedicatori Provinciae Algarbiorum Regularis observantiae alumno, salutem in Domino sempiternam. = Quandoquidem noster Seraphicus, et Apostolicus Ordo Minorum ad hoc praecipue institutus sit, ut ejusdem fratres in strictissima paupertate, auctoritate rigida, profunda humilitate, mundi contemptu, et spiritus fervore, exemplo, verboque hominibus poenitentiam praedicarent, juxta san. mem. Innocentii III. oraculum, qui in prima Ordinis nostri approbatione, Fratres ipsos Praedicatores poenitentiae instituit, eisque dedit de poenitentia praedicanda mandatum; et nostri Seraphici Patriarchae Francisci exemplum, qui Spiritu Sancto doctus, Deique zelo ductus, non sibi soli vivere, sed aliis proficere constanter statuit, et ita feliciter praestitit, ut quasi universum mundum ad Deum velle convertere videretur; Nos, qui ejusdem Seraphici Patris, licet immeriti Successores, ipsius Ordinis clavum tenemus, et nostri muneris ratione teneri judicamus, praeclara ipsa charitatis opera, ad quae vocati sumus, promovere, idipsa pro viribus curare, et Fratribus, qui Spiritu Dei acti, eisdem fructuose incumbunt, de mediis opportunis ad id facilius, et constantius praestandum providere debemus. Cum itaque non solum plurimum virorum virtute, doctrina, ac nobilitate praestantium sincera informatione, sed etiam constanti fama ipsaque rei notorietate, Nobis plene constet, te animarum Deo lucrandarum zelo ferventem cum aliis ejusdem spiritus Fratribus, quod de licentia suorum Superiorum ad id operis tecum in socios assumpsisti, per plures annos in his Portugalliae, et Algarbiorum Regnis officium Praedicatorum Missionariorum, nedum annuentibus, verum vocantibus, et poscentibus Ecclesiarum Praelatis, exercuisse, discurrentes per omnes fere eorumdem Regnorum Civitates, et oppida, more vere Apostolico, pedites, sine calceamentis, sine pera, omnimoda temporalium rerum et mundani fastus abdicatione, ex sola mendicatione pane victitantes, poenitentiam peccatoribus praedicando, et eorum confessiones audiendo, vitia extirpando, ad virtutem exhortando, dissidia com-

ponendo, inimicitias sedando, rudes in doctrina christiana instruendo, et proficientes in via spiritus dirigendo, tanta populi Christiani aedificatione, et animarum fructu, ut sola Omnipotentis Dei manu, qui sola magna, et mirabilia per vilia, et abjecta instrumenta operari consuevit, id fieri potuisse comprobetur. Idcirco ut exercitium adeo fidelibus proficuum, Christianae charitatis et instituto nostro conforme in his Regnis non solum conservetur, sed etiam radicetur, et promoveatur; Nobis de aliquorum Patrum doctrina et virtute praeditorum consilio opportunum et congruentissimum medium visum est, vobis concedere aliquem operi ipsi commodum Conventum, qui sit hujus sancti exercitii schola, et Praedicatorum Missionariorum Seminarium, in quo spiritu et doctrina tyrones informentur, roborentur veterani, ad quem post Missionum labores temporibus ad ipsas non opportunis pro viribus corporis, et spiritus reficiendis, revertantur, et ex quo obedientiae merito viribus corporis utcumque resumptis, et novo spiritus concepto fervore animati, iterum ad diversas plagas ad Verbum Dei disseminandum prodeant. Et quia ad omnia praestanda Conventus Sancti Antonii de Baratoxo Provinciae Algarbiorum Regularis Observantiae valde commodus visus est, tum ob situs solitudinem et a negotiis temporalibus abstractionem, tum ob faciliorem accessum et recessum pro expediendis Missionibus, ipsum praefato effectui duximus consignandum. Quod ut indubitata auctoritate perpetuaque firmitate fiat, praesentium tenore tibi Nostram paternam benedictionem, et facultatem concedimus, ut tamquam Ordinis Nostri honorabile negotium, praedictum Conventum Sancti Antonii de Baratoxo a Sancta Sede Apostolica tibi, et tuis sociis pro praedicto effectu petere valeas, ad quod obtinendum quantum ad Nos attinet, plenum nostrum consensum tribuimus, et auctoritate Ministri Generalis, qua fungimur, bono communi Ordinis consulentes, praedictae Provinciae Nostrae Algarbiorum consensum, in quantum possumus, supplemus. Haec autem concedimus sub conditionibus, et ordinationibus sequentibus in praedicto Conventu omnino observandis, nisi aliter a praedicta Sancta Sede fuerit dispositum. = Prima, quod praedictus Conventus in Seminarium erectus nullius Provinciae sit quantum ad Regimen, sed immediate subsit Praelato Generali ex Cismontana familia assumpto, nempe Ministro, aut Commissario Generali respective. Habeat tamen commercium fraternitatis cum aliqua ex Provinciis in his Portugalliae Regnis consistentibus, quantum ad suffragia pro defunctis Fratribus, ita ut Conventus ipse, et Fratres in eo commorantes, celebrent Officia et Missas, juxta statuta, pro quolibet Fratre illius Provinciae filio decedente, et vicissim in singulis Conventibus, et Fratribus Provinciae eadem celebrentur pro quolibet Fratre praedicti Conventus, seu Seminarii ubilibet moriente: = Secunda, ut in praedicto Seminario triginta tantum Fratres de familia admitti possint, quin hic numerus

valeat unquam augeri, ex quibus viginti sex sint Sacerdotes Missionarii, tredecim Praedicatores, et tredecim Confessarii, quatuor reliqui sint Laici pro Conventus servitio, et eleemosynarum frequenti collectione. = Tertia, quod electio Guardiani fiat a Ministro, aut Commissario Generali respective ex tribus ejusdem Seminarii Patribus, per secreta suffragia omnium Sacerdotum professorum Communitatis canonice seligendis, et Praelato Generali praesentandis. Guardianus autem per triennium tantum in officio durare poterit, et liberum erit Praelato Generali in dimidio triennii ipsum ab officio absolvere, si ipsi constiterit officio non satisfacere, habita informatione pro sua scientia, sine strepitu judiciali sicut fit in toto ordine a Congregationibus intermediis. = Quarta, quod in Seminario sint quatuor Discreti pro gravioribus ejus negotiis tractandis, qui semper erunt quatuor Missionarii antiquiores, et in absentia cujuslibet pro tempore absentiae alius, prioribus in antiquitate Missionarii immediatus substituatur. = Quinto, quod a Guardiano, et Discretis, unus e Patribus Missionariis eligatur in Vicarium Conventus, seu Praesidem in Communitatibus, et gubernio in absentia Guardiani. Qui etiam, in casu mortis Guardiani, Conventum gubernabit usque ad novi Guardiani electionem. Tenebitur tamen sub poena privationis ipso facto sui officii, die octava a morte Guardiani (convocatis Patribus absentibus, qui intra illud tempus haberi poterunt) Communitatem pro praesentatione, ut supra, a Generali facienda, congregare. In absentia Guardiani, et Vicarii, antiquior Discretus in Communitatibus, et Conventu praesideat. = Sexta, quod Guardianus cum consilio, assensu, et approbatione Discretorum possit recipere de familia in praedictum Seminarium, juxta numerum praescriptum, Religiosos ex quacumque Ordinis Provincia, qui se tanto Missionum exercitio tradere cupient, dum tamen jam sint in suis Provinciis instituti Praedicatores, aut saecularium Confessarii, sintque bonae famae, integrae vitae, sanae et sufficientis doctrinae, et talis corporis valetudinis, ut peregrinationes, et labores Missionum valeant sustinere: quorum receptionem nullus inferior Praelato Generali possit impedire, ipsi autem sic recepti non poterunt nisi post expletum in Seminario annum ad Missiones mitti, nec suffragium in Communitate habere. Possit etiam Guardianus de consilio Discretorum recipere Fratres Laicos, ex quacumque Provincia, qui sint devoti, adprobatae vitae, et omnino apti pro officiis in Seminario exercendis a Laicis, quorum receptio similiter a nullo inferiori Generalibus possit impediri. = Septima, quod Guardianus habeat facultatem recipiendi Novitios, dum tamen recipiendus praeter qualitates in Constitutionibus Apostolicis, et Ordinis requisitas, dederit probata signa specialis vocationis, habeatque supra vigesimum quartum aetatis annum, et vacaverit jam studiis vel Philosophiae, vel Theologiae scholasticae tali profectu, ut tuto possit Praedicator institui, vel Sacrorum Ca-

nonum, aut Theologiae Moralis, et in ea adeo profecerit, ut posset jam justam approbationem pro confessionibus saecularium audiendis obtinere. Quod constare debet per rigidum examen Discretorum, et eorum approbationem, sine qua Guardianus nullum possit ad habitum recipere. Novitii autem intra numerum supra praefixum Fratrum Missionariorum debent contineri, ita ut eo completo Guardianus nullum nec Novitium, nec Professum possit in Seminario admittere, quousque aliquo deficiente, locus intra numerum vacet. = Octava, quod in dicto Seminario observetur purissime Regula Fratrum Minorum, tum quantum ad paupertatem in communi, tum quantum ad praecepta particularia de qualitate, et numero vestium, excalceatione, jejuniis, et praecipue de providendi singulis Fratribus, tam in aegra, quam in sana valetudine de omnibus necessariis juxta nostrum statum, ita ut omnes omnino in communi vivant, et nullo casu alicui Fratri permittatur habere nec apud Syndicum Apostolicum, nec apud amicum spiritualem cujuscumque sit dominii eleemosynam pecuniariam pro suis particularibus necessitatibus. = Nona, quod indispensabiliter singulis diebus per duas integras horas vacent orationi mentali, alteram post primam, alteram post completorium. Officium autem divinum dicant statutis horis in Choro (sine cantu tamen, propter litterarum studium ordinandum) cum pausa conducente ad devotionem sine affectatione divertente, cui et Conventuali Missae, ceterisque Communitatibus omnes, nullo excepto, assistere, et interesse teneantur, ac omnes, a Guardiano inclusive, successive sint hebdomadarii. = Decima, quod singulis diebus habeant per duas horas lectiones, et conferentias, per unam post Conventualem Missam de materia ad exercitium Missionum conducente, vel de Theologia mystica; per alteram post vesperas de Theologia morali, et casibus conscientiae. A lectionibus autem ipsis nullus possit excusari, nec a reddenda ratione de materia lectionis si interrogetur. = Undecima, quod Missionarii tempore, quo in Seminario commorentur, poenitentiam publicam in Refectorio faciant, si inventi fuerint per Conventum vagantes, aut ociose colloquentes, cum debeant, hoc recessus tempore, unusquisque in cella sua studiis suo exercitio convenientibus vacare, dum Communitatibus non astiterit. Proptereaque nulli egrediendi ex Conventu licentia concedatur, nisi ad aliquod urgens pietatis opus superiori notum, quousque iterum ad Missiones amandentur. = Duodecima, quod nulli saeculari permittatur ingressus ad interiora Conventus, sed in Claustro inferiori disponatur aliqua camera honesta, et devota cum humilibus sedibus, ubi viri saeculares quaerentes aliquem ex Patribus pro sua spirituali consolatione, excipiantur, et consolentur. = Tertia decima, quod omnes praedicti Seminarii Patres sine aliqua inter ispos notabili differentia induant habitum exteriorem Observantium, juxta ejus reformationem in ultima Congregatione Generali Toletana

factam, ad literam observandam, et in disciplinis, jejuniis, extra Regulam, Capitulis culparum, et aliis austeritatibus, ceterisque ad Regulae vitae monasticae, et Regularis disciplinae observationem conducentibus, Constitutionibus Generalibus Cismontanis Ordinis se conforment. = Quarta decima, quod Guardianus, vel in ejus absentia, Praeses temporibus opportunis, aut quando necessarium judicaverit, mittat Missionarios binos, et binos Concionatores cum Confessario, ut in utroque munere fructificent, consignando eis civitates, tractus, et terras, in quibus singuli suas Missiones facere debent, ita ut nullum maneat in praedictis Regnis oppidum, quod hujus beneficii non fiat particeps. Relinquat tamen in Conventu aliquos, qui Communitatis exercitia expleant; et hi, aliis revertentibus, mittantur. = Quindecima, quod si aliquis Missionariorum sine legitima causa, a Discretis approbanda, se a Missionibus, juxta praescriptum Guardiani, faciendis, excusaverit, vel in eis aliquid ultra victum moderatum acceperit, vel malum aliquod exemplum dederit, aut in Seminario pacem Communitatis turbaverit, aut in assistendo Communitatibus, et aliis exercitiis supra positis explendis notabiliter defectuosus fuerit, et semel, ac iterum a Guardiano reprehensus, non se emendaverit, Guardianus ipse, cum consilio et assensu Discretorum, possit, si alicujus Provinciae filius fuerit, eum a Seminario expellere, et ad ipsam Provinciam mittere, quae ipsum recipere tenebitur sub poena privationis officii Provinciali renuenti; si vero in Seminario professus sit, teneatur monere Praelatum Generalem cum Discretorum voto in scriptis, ut illi de Provincia, in qua moretur, provideat. = Decima sexta, quod Praelatus Generalis teneatur per se, vel per suum Commissarium ad hoc specialiter instituendum, visitare praedictum Seminarium bis in singulis trienniis; et in singulis visitationibus inquiratur singillatim de observatione praemissarum omnium Ordinationum, et defectus, si qui fuerint, corrigantur, et juxta eorum qualitates possit Praelatus ipse Generalis procedere ad expulsionem Missionariorum, et Guardiani privationem; delegatus autem ipsius tantum possit ipsum Guardianum suspendere, et, adhibitis necessariis correctionibus, Generalem de majori remedio apponendo monere. = Ultima, quod si aliquo tempore Conventus ipse relaxetur, et a perfectione, ad quam instituitur, defecerit, aut non fuerit cum effectu, et exercitio Seminarium Provinciae Algarbiorum, a qua sumitur, iterum incorporetur, ejusdemque regimini, sicut ceteri Provinciae Conventus, subjiciatur. Sub his igitur ordinationibus tibi praemissas facultates, et consensus tribuimus, monemusque te in Domino, ut ad opus adeo Deo placitum Fidelibus proficuum, et nostro instituto conforme, te accingas ad quod tibi, et sociis tuis Seraphici Patris nostri Francisci benedictionem impertimur. Datis in Conventu nostro de Castannera Provinciae Sancti Antonii in Lusitania Regularis, et strictioris Observantiae

die 1. Decembris 1678. = Fr. Joseph Min. Generalis etc. = Loco ✠ Sigilli = De mandato suae Rmae Paternitatis, Fr. Joannes Baptista Cattaneus Secretarius Generalis Ordinis etc. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, praedictus Antonius litteras patentes hujusmodi, quo firmius subsistant, et serventur exactius, Apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri, et alias opportune in praemissis a Nobis provideri summopere desideret: Nos ipsum Antonium specialibus etc. volentes, et a quibusvis etc. recensentes, supplicationibus ejus nomine Nobis etc. inclinati, praeinsertas patentes litteras cum omnibus et singulis in eis contentis, auctoritate Apostolica, tenore praesentium, confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis Apostolicace firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Praeterea eidem Antonio, ejusque sociis Missionariis praedictis Conventum Sancti Antonii de Baratoxo supradictum ad fines et effectus in eisdem litteris patentibus expressos, ac cum conditionibus, et ordinationibus in eis contentis, auctoritate, et tenore praedictis concedimus, et assignamus. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective in omnibus inviolabiliter observari. Sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam etc. Auditores, judicari et definiri debere, ac irritum etc. attentari. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, nec non Provinciae, et Ordinis praedictorum etiam etc. Statutis, et Consuetudinibus, privilegiis etc. innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenore etc. derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 23. Decembris 1679. Pontificatus Nostri Anno quarto.

Conventus S. Crucis de Queretaro Provinciae de Mechoacan in Indiis Occidentalibus in Collegium Missionum mutatus, in quo et tyrones informentur, et veterani vires deficientes restaurent, Commissario Generali novae Hispaniae creditus, Apostolicam confirmationem reportat.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Sacrosancti Apostolatus officium, quod inscrutabilis divinae Sa-

pientiae atque bonitatis altitudo humilitati Nostrae, nullo licet meritorum Nostrorum suffragio, imponere dignata est, salubriter exequi, adiuvante Domino, jugiter satagentes, illa quae a Superioribus Regularibus, ad promovenda Religiosae observantiae studia, procurandamque infidelium ad veritatem Christianae Religionis conversionem, ac ad salutarem fidelium in via Domini directionem pie, prudenterque constituta, atque ordinata esse noscuntur, ut firma semper, atque inviolata persistant, Apostolici roboris praesidio cum id a Nobis petitur, libenter communimus, et alias desuper disponimus, sicut personarum, locorum, et temporum qualitatibus mature consideratis, ad Omnipotentis Dei gloriam, et animarum salutem, ac Religionis incrementum conspicimus in Domino salubriter expedire. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Angelus de Zevallos, Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, quod dilectus etiam filius Josephus Ximenez Samaniego, Minister Generalis dicti Ordinis, Collegium, sive Seminarium Fratrum Missionariorum ejusdem Ordinis in Indiis Occidentalibus ad Fidei catholicae propagationem instituendum esse existimans, de nonnullorum Fratrum doctrina, et virtute praeditorum consilio, Conventum Sanctae Crucis de Queretero Provinciae de Mechoacan in nova Hispania Ordinis praedicti ei rei duxit destinandum, ac proinde dilecto filio Antonio Linaz ejusdem Ordinis professori suam benedictionem, et facultatem concessit, ut eumdem Conventum sibi, suisque sociis ad effectum in eo instituendi Collegium Missionariorum hujusmodi, ab hac Sancta Sede petere valeret, et ad id suum consensum tribuit, ac sui Generalatus auctoritate praedictae Provinciae de Mechoacan consensum, quantum poterat, supplevit, cum diversis conditionibus, et ordinationibus, et aliis prout plenius continetur in ipsius Josephi Ministri Generalis litteris patentibus desuper emanatis tenoris, qui sequitur, videlicet: = Fr. Joseph. Ximenez Samaniego totius Ordinis Seraphici Patris nostri Francisci Minister Generalis, et Servus Dilecto Nobis in Christo Patri Fratri Antonio Linaz ejusdem Ordinis Sacrae Theologiae Lectori jubilato, et Sancti Officii Qualificatori, Provinciae nostrae Sanctorum Petri, et Pauli de Mechoacan Custodi, Provinciae vero nostrae Maioricensis Alumno, Salutem in Domino sempiternam. Cum per Patres Prominístros, et Custodes ex Provinciis nostris Indiarum occidentalium ad suffragandum in Capitulo generali proxime celebrando, accedentes, et praecipue per te Nobis innotuerit messem adhuc multam apud Indos extare, operarios autem paucos, atque idcirco Dominum messis deprecari oportere, ut mittat operarios in messem suam; Nos considerantes Religionem nostram Fratresque Minores, secundum gratiam Seraphico Institutori ex alto concessam, ob id potissimum ad vineam Domini vocatos, ut Apostolorum vestigia sequentes, euntes in mundum universum praedica-

rent Evangelium omni creaturae: Fidelibus scilicet ad morum reformationem, Infidelibus vero per Sacrum regenerationis lavacrum ad veritatis Catholicae agnitionem, et salutarem Sanctae Romanae Ecclesiae, extra quam salus non est, obedientiam praestandam, sicut per multa saecula (Deo dante) in omni loco, et tempore copioso per hujus Ordinis Fratres profuso sanguine, optimo experimento didicimus; dolentesque nimium, quod ingens adeò Indorum multitudo, etsi pretioso Christi Sanguine redempta, ex penuria tamen Ministrorum Evangelica luce orbata, ac infidelitatis tenebris obruta, beneficio tanto incassum accepto, per momenta singula miserabiliter pereat: facultatem tibi concessimus, quatenus ex nostris Hispaniae Provinciis viginti quatuor Religiosos seligeres morum integritate, litterararum peritia, et salutis animarum zelo pollentes, qui hujusmodi iter tecum aggredi, et in pio adeo, atque proficuo ministerio exerceri optarent. Legitimum Te eorumdem Praelatum, et Commissarium nostrum Delegatum cum opportuna, et necessaria facultate constituentes, sicut in litteris per Nos super hac re expeditis latius continetur. Idcirco ut exercitium hoc animarum saluti summe necessarium Christianae charitati, et Instituto nostro conforme in partibus Indiarum non solum inducatur, sed etiam radicetur, et promoveatur; Nobis de aliquorum Patrum doctrina, er virtute praeditorum consilio, opportunum, et congruentissimum medium visum est, vobis concedere aliquem operi ipsi commodum Conventum, qui sit hujus sancti exercitii schola, et Praedicatorum Missionariorum Seminarium, in quo spiritu, et doctrina tyrones informentur, roborentur veterani: ad quem post Missionum labores, temporibus ad ipsas non opportunis, pro viribus corporis, et spiritus reficiendis revertantur, et ex quo obedientiae merito, viribus corporis utcumque reassumptis, et novo spiritus fervore concepto, armati iterum in diversas plagas ad Verbum Dei disseminandum prodeant. Et quia ad haec omnia praestanda Conventus noster Sanctae Crucis de Queretero Provinciae Nostrae de Mechoacan Regularis Observantiae in nova Hispania valde commodus visus est, tum ob situs solitudinem, et a negotiis saecularibus abstractionem, tum ob ipsius cum Infidelibus, quorum intuitui praecipuè erigitur, propinquitatem, ipsum praedicto effectui duximus consignandum, quod, ut indubitata auctoritate perpetua firmate fiat, praesentium tenore Tibi nostram paternam benedictionem, et facultatem concedimus, ut tamquam Ordinis nostri honorabile negotium praedictum Conventum Sanctae Crucis de Queretero a Sancta Sede Apostolica Tibi, et tuis sociis pro praedicto effectu petere valeas, ad quod nostrum Tibi consensum tribuimus, et auctoritate Ministri Generalis, qua fungimur, bono communi Ordinis consulentes, praedictae Provinciae nostrae de Mechoacan consensum, in quantum possumus, supplemus. Haec autem concedimus sub conditionibus, et ordinationibus sequentibus,

in praedicto Seminario omnino observandis, nisi aliter a praedicta Sancta Sede fuerit ordinatum. = Prima, quod praedictus Conventus in Seminarium erectus nullius Provinciae sit quantum ad regimen, sed immediate subsit Commissario Generali novae Hispaniae pro tempore existenti, habeatque commercium fraternitatis cum eadem nostra Provincia de Mechoacan quantum ad suffragia pro defunctis Fratribus, ita ut Conventus ipse, et Fratres in eo commorantes celebrent officia, et Missas juxta statuta generalia pro quolibet Fratre ejusdem Provinciae filio decedente, et vicissim a singulis Conventibus, et Fratribus Provinciae eadem celebrentur pro quolibet Fratre praedicti Seminarii ubilibet moriente. = Secunda, ut in praedicto Seminario triginta tantum fratres de familia admitti possint, quin hic numerus valeat unquam augeri, ex quibus viginti sex sint Sacerdotes Missionarii, quatuor reliqui sint Laici pro Conventus servitio, et eleemosynarum frequenti collectione. = Tertia, quod electio Guardiani fiat a Commissario Generali novae Hispaniae ex tribus ejusdem Seminarii Patribus per secreta suffragia omnium Sacerdotum professorum Communitatis canonice eligendis, et praedicto Commissario praesentandis; Guardianus autem per triennium tantum in officio durare poterit, et liberum erit Commissario praefato in dimidio triennii ipsum ab Officio absolvere, si ipsi constiterit Officio non satisfacere, habita informatione pro sua conscientia sine strepitu judiciali, sicut fit in toto Ordine in Congregationibus intermediis. = Quarta, quod in Seminario sint quatuor Discreti pro gravioribus ejus negotiis tractandis, qui semper erunt quatuor Missionarii in Officio Missionis antiquiores, et in absentia cujuslibet, pro tempore absentiae alius prioribus in antiquitate Missionarii immediatus substituatur. = Quinta, quod a Guardiano, et Discretis unus ex Patribus Missionariis eligatur in Vicarium Seminarii, seu Praesidem in Communitatibus, et Gubernio in absentia Guardiani, qui etiam in casu mortis Guardiani, Conventum gubernabit usque ad novi Guardiani electionem: tenebitur tamen sub poena privationis ipso facto sui Officii, die octava a morte Guardiani, convocatis Patribus absentibus, qui intra illud tempus haberi poterunt, Communitatem pro praesentatione, ut supra, Commissario Generali novae Hispaniae facienda, congregare; in absentia Guardiani, et Vicarii antiquior Discretus in Communitatibus, et Seminario praesideat. = Sexta, quod Guardianus cum consilio, assensu, et approbatione Discretorum possit recipere de familia in praedictum Seminarium, juxta numerum praescriptum, Religiosos ex quacumque Indiarum Occidentalium Provincia, qui se sancto Missionum exercitio tradere cupiant, dum tamen sint bonae famae, et integrae vitae, sanae sufficientisque doctrinae et talis corporis valetudinis, ut peregrinationes, et labores Missionum valeant sustinere, quorum receptionem nullus inferior praefato Commissario Generali possit impedire. Ipsi autem sic recepti non poterunt, nisi

post expletum in Seminario annum, ad Missiones admitti, nec suffragium in Communitatibus habere, possit etiam Guardianus de consilio Discretorum recipere Fratres Laicos ex quacumque Provincia, qui sint devoti, probatae vitae, et omnino apti pro officiis in Seminario exercendis a Laicis, quorum pariter receptio a nullo inferiori praefato Commissario valeat impediri, sicut nec quod in Hispaniam mittat pro Fratribus de novo aggregandis. = Septima, quod Guardianus habeat facultatem recipiendi Novitios, dum tamen recipiendus, praeter qualitates in Constitutionibus Apostolicis, et Ordinis requisitas, dederit probata signa specialis vocationis, habeatque supra vigesimum quartum aetatis annum, et talem litteraturam, ut, accedentibus exercitiis Seminarii, in Missionum ministerio proficere valeat. Quod constare debet per rigidum Discretorum examen et eorum approbationem per suffragia secreta, sine qua Guardianus nullum possit ad habitum recipere. Novitii autem intra numerum supra praefixum Fratrum Missionariorum debent contineri, ita ut, eo completo, Guardianus nullum nec Professum, nec Novitium possit in Seminarium admittere, quousque, aliquo deficiente, locus intra numerum vacet. = Octava, quod in dicto Seminario observetur purissima Regula Fratrum Minorum, tum quantum ad paupertatem in communi, tum quantum ad praecepta particularia de qualitate, et de numero vestium, excalceatione, jejuniis etc., et praecipue de providendo necessitatibus Fratrum, tam in aegra, quam in sana valetudine, juxta nostrum statum; ita ut omnes in communi vivant, et nullo casu alicui Fratri permittatur habere nec apud Syndicum Apostolicum, nec apud amicum spiritualem, cujuscumque sit dominii, eleemosynam pecuniariam pro suis particularibus necessitatibus. = Nona, quod indispensabiliter singulis diebus per duas integras horas vacent Orationi mentali, alteram post Primam, alteram post Completorium. Officium autem Divinum dicant statutis horis in Choro (sine cantu tamen propter studium ordinandum) cum pausa conducente ad devotionem sine affectatione divertente, cui, et Conventuali Missae, ceterisque Communitatibus omnes, nullo excepto, assistere, et interesse tenentur, ac omnes, a Guardiano inclusive, successive sint hebdomadarii. = Decima, quod singulis diebus habeant per duas horas lectiones, et conferentias: per unam post Conventualem Missam de idiomate Indorum, ad quos debent fieri Missiones, per alteram post Vesperas de modo convertendi, catechizandi, et instruendi conversos. A lectionibus autem ipsis nullus possit excusari, nec a reddenda ratione de materia lectionis, si interrogetur. = Undecima, quod Missionarii tempore, quo in Seminario commorantur, poenitentiam publicam in Refectorio faciant, si inventi fuerint per Conventum vagantes, aut otiose colloquentes, cum debeat hoc recessus tempore unusquisque in Cella sua studiis suo exercitio convenientibus vacare, dum Communitatibus non adstiterit. Propterea-

que nulli egrediendi e Conventu licentia concedatur, nisi ad aliquod urgens pietatis opus Superiori notum, quousque ad Missiones iterum amandetur. = Duodecima, quod nulli saeculari permittatur ingressus ad interiora Conventus, sed in Claustro inferiori disponatur aliqua camera honesta, et devota, cum humilibus sedibus, ubi viri saeculares quaerentes aliquem ex Patribus pro sua spirituali consolatione excipiantur et consolentur. = Tertia decima, quod omnes praedicti Seminarii Patres, sine aliqua inter ipsos notabili differentia, induant habitum exteriorem Observantium, juxta ejus reformationem in ultima Congregatione Toletana factam, ad litteram observandam, et in disciplinis, jejuniis extra Regulam, Capitulis culparum, et aliis austeritatibus, ceterisque ad Regulae vitae Monasticae, et Regularis disciplinae observationem conducentibus, Constitutionibus generalibus Ordinis se conforment. = Quartadecima, quod Guardianus, vel in absentia Praeses, temporibus opportunis, aut quando necessarium judicaverit, mittat Missionarios binos, et binos, aut in majori numero, prout conversionum necessitati viderint expedire, consignando eis oppida, tractus, et terras, in quibus singuli suas Missiones facere debent. Relinquant tamen aliquos in Seminario, qui Communitatis exercitia expleant, et hi, aliis revertentibus, mittantur. = Quintadecima, quod si aliquis Missionariorum sine legitima causa a Discretis approbanda se a Missionibus, juxta praescriptum Guardiani faciendis, excusaverit, vel in eis aliquid ultra victum moderatum acceperit, vel malum aliquod exemplum dederit, aut in Seminario pacem Communitatis turbaverit, aut in assistendo Communitatibus, et aliis exercitiis supra positis explendis notabiliter defectuosus fuerit, et semel, ac iterum a Guardiano reprehensus non se emendaverit; Guardianus ipse cum consilio, et consensu Discretorum possit, si alicujus Provinciae filius fuerit, eum a Seminario expellere, et ad suam Provinciam mittere, quae ipsum recipere tenebitur, sub poena privationis Officii Provinciali renuentis; si vero in Seminario Professus sit, teneatur monere Commissarium Generalem Novae Hispaniae cum voto Discretorum in scriptis, ut illi de Provincia, in qua moretur, provideat. = Decimasexta, quod praedictus Commissarius Generalis teneatur per se, vel per suum Commissarium ad hoc specialiter institutum visitare praedictum Seminarium bis in singulis trienniis, et in singulis visitationibus inquiretur singillatim de observatione praemissarum omnium conditionum, et defectus, si qui fuerint, corrigantur, et juxta eorum qualitates possit Commissarius ipse Generalis procedere ad expulsionem Missionariorum, et Guardiani privationem. Delegatus autem ipsius possit tantum ipsum Guardianum suspendere, et, adhibitis necessariis correctionibus, Commissarium Generalem de majori remedio apponendo monere. Et quia speramus, quod Dei aspirante gratia per hos sui Verbi Ministros plures Gentilium populi ad fidem sunt con-

vertendi, quos Neophitos in accepta fide conservare, eisque Sacramenta ministrare necessum est, ordinatur, ut in conversis populis, aliqui ex praefatis Missionariis, ad praedicta obeunda necessarii remaneant, monito Guardiano Seminarii, et ab eo licentia obtenta, qui semper ejusdem Guardiani subditi remanebunt, et ejus correctioni, ut supra, subjecti. Manentes autem in oppidis conversis, non computabuntur in numero assignato Missionariorum Seminarii, sed eorum loco alii in Seminario possint recipi. In cura autem animarum sic conversarum ad fidem tamdiu soluminodo poterunt remanere, quoadusque Episcopo, ad quem Terra pertinet, vel in posterum pertinebit, placuerit Presbyteros saeculares, quibus animarum curam committat, destinare. Qnamdiu vero praedicti Missionarii in praedicta cura remanserint, nihil ex titulo Curatorum, vel doctrinarum possint recipere, sed praecise ex emendicatis eleemosynis, vel ultro oblatis vivere debent. Poterunt tamen, stabilita nostra fide, et Curatis saecularibus inibi manentibus, in oppidis magnis, aut capacibus de licentia Episcopi, et praefati Commissarii Generalis, Regio etiam consensu accedente, Conventus nostri Ordinis fundare, in quibus juxta Regulam, et Statuta, ex eleemosynis sub Regulari disciplina Fratres convenientes vivere possint: et Conventus illi Guardiano praefati principalis Seminarii erunt subjecti, quousque ex illis Custodia possit formari, vel aliter in Capitulo generali de illis provideri. = Ultima, quod si aliquando Conventus relaxetur, et a perfectione, ad quam instituitur, defecerit, aut non fuerit cum effectu, et exercitio Missionum Seminarium, eidem Provinciae de Mechoacan, a qua sumitur, iterum incorporetur, ejusdemque regimini, sicut ceteri ejusdem Conventus, subijciatur. Sub his igitur conditionibus et ordinationibus praemissas Tibi facultates, et consensus tribuimus, monemusque Te in Domino, ut ad opus Deo adeo placitum, Fidelibus proficuum, et nostro Instituto conforme Te accingas, ad quod Tibi, et sociis tuis Seraphici Patris Nostri Francisci benedictionem impartimur. Datum in Conventu nostro S.Francisci Matriti die duodecima Martii anno Domini millesimo sexcentesimo octuagesimo secundo, Fr. Joseph Minister Generalis. Loco ✠ sigilli. De mandato Rmae Paternitatis suae, Fr. Hieronymus de Sosa Secretarius Generalis Ordinis. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat, praefatus Angelus Procurator Generalis litteras patentes hujusmodi, quo firmius subsistant, et serventur exactius, Apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: Nobis propterea etiam memoratorum Josephi Ministri Generalis, et Antonii Linaz, ejusque Sociorum Missionariorum nomine humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur illos specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspen-

sionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, praeinsertas praefati Josephi Ministri Generalis patentes litteras cum omnibus, et singulis in eis contentis, auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adijcimus, ac omnes, et singulos Juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Praeterea praefatis Antonio Linaz, ejusque Sociis Missionariis supradictum Conventum S. Crucis de Queretero ad fines, et effectus in eisdem litteris patentibus expressos, ac cum conditionibus, et ordinationibus in eis contentis eadem auctoritate harum serie assignamus. Decernentes ipsas praesentes litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, et Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, nec non Provinciae, et Conventus, ac Ordinis praefatorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, et litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 8. Maii 1682. Pontificatus Nostri Anno sexto.

I. G. Slusius.

Electionem in Ruthenorum Monachorum Generalem, quam sibi studiose Archiepiscopus Kiovien. comparavit, reprobat, et quidquid iste gessit, invalidat. Eumdem hoc munere fungi non posse declarat: Monachorum jura in integrum restituit.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Ad Apostolatus Nostri notitiam non sine gravi Nostri dolore pervenit, quod licet in quodam congressu super multis rebus ad Christifideles Ruthenos S. R. E. Unitos pertinentibus coram Venerabili Fratre Opitio Archiepiscopo Ephesino Nostro, et Apostolicae Sedis apud charissimum in Christo Filium nostrum Joannem Poloniae Regem Illustrem Nuntio, ante haec habito, cui Venerabiles Patres modernus Archiepiscopus Kiovien. Metropolita Ruthenorum aliique Episcopi Ritus Graeci, una cum aliquibus Monachis Ord. S. Basilii Magni interfuerunt, conventum atque stabilitum fuisset, ut Synodus Provincialis hyeme proxima ventura haberetur, eodemque tempore etiam Congregatio, seu Capitulum Generale Monachorum dicti Ordinis in illis partibus degentium, quod ceteroquin juxta consuetum morem sub finem mensis Julii proxime praeteriti celebrandum erat, celebrari deberet, idque ex eo quod tum ad Synodum, quam ad Congregationem seu Capitulum Generale hujusmodi multi Episcopi convenire ibique, etiam praecipue ex Monachis praedictis, qui pro sua pietate atque doctrina unionem Ruthenorum cum Apostolica Sede praedicta eximie tuentur interesse debeant. Venerabiles tamen Episcopi Chelmensis et Aladimiriensis, ac forsan etiam Premisliensis Ecclesiarum suarum negotiis praepediti celebrationi Congregationis, sive Capituli Generalis hujusmodi, si praedicto mense Julio fieret interesse non potuissent, nihilominus memoratus Archiepiscopus Kioviensis, non attenta praedicta conventione, communi consensu stabilita, sed mutato proposito Congregationem, sive Capitulum Generale Monachorum praedictorum mense Julio proxime praeterito, una cum paucis Monachis a se quidem dependentibus: Dilecto autem Filio Superiori Generali eorumdem Monachorum, qui una cum suis consultoribus procul aberat parum benevolis (tam et si illum ab illa re praedictus Opitius Archiepiscopus et Nuntius per suas litteras dehortatus fuisset) celebrare voluit, seque ibidem in Superiorem Generalem dictorum Monachorum eligi curavit: quamvis autem dictus Opitius Archiepiscopus et Nuntius de his edoctus eundem Archiepiscopum Kioviensem per Epistolam exhortatus fuerit, ut serio consideraret electionem de sui persona in Generalem Superiorem sui factam, ex eo praesertim, quod ipse Archiepiscopali digni-

tate insignitus reperiretur, non posse subsistere, utque proinde per seipsum incommodis inde provenientibus remedium adhibere studeret; ipse tamen Archiepiscopus Kioviensis tam aequis adhortationibus, atque postulatis morem gerere noluit, sed Ordinem praedictum suo arbitrio gubernare, imo potius destruere coepit, illiusque facultates assumpto in se Proto-Archimandritatu in suos usus convertere, ac consultores praedictos, qui perpetui esse solent, ab eorum muneribus amovere, et alia pleraque munera Monachis inferioribus, et minus idoneis committere non dubitavit. Quare Nos, qui in Supremo Justitiae Throno a Domino constituti sumus, considerantes ex praemissis perperam atque inconsulte gestis magnam dicti Ordinis, quin imo etiam unioni praedictae labem inferri posse, multosque inde irrationabiliter laesos fuisse, ac proinde pro data Nobis potestate his aliisque gravibus incommodis jam exortis opportunum remedium paterna charitate adhibere, et imminentibus mature occurrere, ut qui in eodem Ordine omnia ad Omnipotentis Dei gloriam, Religionis incrementum, et felicem progressum ac spiritualem Christifidelium aedificationem, recte atque ordine fiant procurare cupientes, Congregationem seu Capitulum Generale Monachorum praedictorum mense Julio proxime praeterito celebratum, seu celebrandum, in illaque seu in illo factam de persona dicti Archiepiscopi Kioviensis electionem in Superiorem Generalem Monachorum hujusmodi, amotiones quoque dictorum Consultorum, et aliorum Monachorum quorumcumque a suis respective muneribus, et aliorum quorumlibet Officialium, seu Ministrorum deputationes, necnon assumptionem supradicti Archimandritatus, et alia quaecumque in praemissis ab eodem Archiepiscopo Kioviensi in vim vel pretextum Electionis hujusmodi quomodolibet factae, acta et gesta cum omnibus et singulis inde secutis, auctoritate Apostolica tenore praesenti cassamus, irritamus, invalidamus, et annihilamus, viribusque et effectu poenitus et omnino vacuamus, et cassa, irrita, invalida, nulla, viribusque et effectu vacua, et nullius omnino roboris et momenti esse, et fore decernimus, et declaramus. Praeterea supradictum Superiorem Generalem, ac praedictos Consultores et alios Monachos quoscumque a suis respective muneribus, seu officiis per memoratum Archiepiscopum Kioviensem amotos, seu destitutos ad eadem respectiva munera seu officia, ac alias in integrum et pristinum, ac eum, in quo ante celebrationem Congregationis seu Capituli Generalis praedicti quomodolibet erant, statim auctoritate et tenore praesentis restituimus, reponimus, et plenarie reintegramus. Porro Congregationem, seu Capitulum Generale dictorum Monachorum juxta conventionem supradictam hyeme proxime ventura celebrari debere, dicta auctoritate harum serie statuimus, et ordinamus. Decernentes praesentes litteras, firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obti-

nere ad quos spectat, et spectabit in futurum in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiter observari, sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter et ignoranter contigerit attentari. Quo circa memorato Archiepiscopo Opitio et Nuncio per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipse per se vel alium, vel alios ubi vel quando opus fuerit, et quoties pro parte interesse in praemissis habentium, seu alicujus eorum desuper fuerit requisitus, easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque solemniter publicans illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat auctoritate Nostra illos omnes, et singulos praesentium litterarum, et in eis contentorum eorumdem commodo et effectu pacifice frui et gaudere, et non permittat illos desuper a quopiam gravi auctoritate quomodolibet indebite molestari, perturbari, vel inquietari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras, et poenas Ecclesiasticas aliaque opportuna juris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; legitimisque super his habendis processibus sententias, censuras, et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Non obstantibus praemissis ac felic. record. Bonifacii Papae VIII. Praedecessoris Nostri de una, et Concilii Generalis de duabus dictis aliisque Apostolicis dictis, ac in Universalibus Provincialibusque Synodalibus Conciliis editis Generalibus, vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, nec non quatenus opus sit dicti Ordinis, aliisque quibusvis etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, et litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 30. Octobris 1683. Pontificatus Nostri Anno octavo.

I. S. Slusius.

Seminaria ad Missiones tam in Conventu S. Crucis de Queretaro de Mechoacan, quam in aliis Hispaniae provinciis erecta, Apostolica auctoritate confirmat, facitque in aliis provinciis Hispanicis, Philippinis, Mexicanis, et Peruanis unum, vel duo Collegia hujusmodi erigendi facultatem.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ecclesiae Catholicae per universum terrarum Orbem diffusae regimini, meritis licet imparibus, Divina dispositione praesidentes, eaque a Superioribus Regularibus pro Christianae Religionis Catholicaeque Fidei propagatione rectaque Christifidelium instructione, ac morum reformatione et animarum salute ubique locorum congruis rationibus procuranda, pie prudenterque statuta, atque ordinata esse noscuntur, ut firma semper, et illibata persistant, et optato exinde bonorum operum fructus ad Dei gloriam et Christiani populi aedificationem, benedicente Domino, consequantur, Apostolici muniminis Nostri praesidio, cum id a Nobis petitur libenter constabilimus, et alias Pastoralis Officii Nostri partes opportune desuper interponimus, prout rerum, Personarum, locorum, et temporum qualitatibus mature perpensis, salubriter in Domino expedire arbitramur. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus Diax a Sancto Bonaventura pro Ultramontana familia Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum in Romana Curia Commissarius Generalis, quod cum dilectus pariter filius Antonius de Linas dicti Ordinis professor, ac in Indiis Occidentalibus Missionum Praefectus ad Fidei propagationem, et morum in Terris fidelium reformationem unius Conventus, vel duorum ex jam fundatis in unaquaque ex Provinciis Ordinis praefati in ditionibus charissimi in Christo Filii Nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici tam apud Hispaniam, quam apud Philippinas, Mexicanas, Peruanas, et ceteras Occidentales Indias existentibus, erectionem in Seminaria seu Collegia pro Missionariis Fratribus educandis, ac instruendis a suis Superioribus petiisset, dilectus etiam filius Petrus Marinus Sormanus Minister Generalis ejusdem Ordinis erectiones Seminariorum, seu Collegiorum hujusmodi, consensum Provinciarum auctoritate sui Officii supplendo, fieri sub forma in suis litteris contenta decrevit; ac sub poenis per easdem litteras praescriptis praedictarum erectionum protractionem, et impedimentum illarum partium Superioribus interdixit: Insuper Seminaria in Hispaniae Provinciis primum erecta, et imposterum erigenda non solum ad optimam fidelium instructionem, et pravorum morum reformationem

ordinavit, sed etiam ea ad id destinata esse voluit, ut transitus in Indiarum Missiones omnibus Provinciarum Hispaniae Religiosis, qui prius per duos annos, vel aliud temporis spatium ab Indiarum Commissario Generali Matriti residente assignandum in aliquo ex praedictis Seminariis suae religiositatis, idoneitatis, ac vocationis indicia, et testimonium non dederint, servatis servandis, prohibeatur, ac simul Provinciarum in Indiis existentium reformationi si illa carent consulatur, fideliumque tam in illis, quam in Hispaniae partibus degentium aedificationi, infidelium conversioni, ac omnium animarum saluti, et Sanctae Romanae et Universalis Ecclesiae dilationi ubique indefesse inserviatur: ob idque pro praefatorum Seminariorum omnium gubernio, nonnulla matura deliberatione, et de aliquorum gravissimorum Fratrum consilio condidit, et disposuit, ac alias prout plenius continetur in ejus literis patentibus desuper emanatis etc., = Sequuntur Ordinationes Ministri Generalis etc., et sequitur confirmatio tenoris sequentis. = Cum autem sicut eadem expositio subjungebat dicta statuta absque Sedis Apostolicae approbatione, et defectuum supplemento, ac contrariorum, quibus ejusdem Sedis accessit auctoritas, legitima derogatione subsistere non valeant; Nobis propterea tam Franciscus Commissarius Generalis Curiae, quam Antonius Missionum Praefectus praefati humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsos Franciscum et Antonium specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existant, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus S. R. E. Cardinalibus Congregationi negotiis Propagandae Fidei praepositae super hoc negotio specialiter deputatorum Consilio, Collegium, seu Seminaria pro educandis Fratribus dicti Ordinis ad Missiones jam erecta tam in Conventu Sanctae Crucis de Queretaro Provinciae de Mechoacan, quam in aliis Hispaniae Provinciis auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus. At facultatem erigendi alia Collegia, seu Seminaria hujusmodi unum scilicet vel duo in qualibet ex Provinciis Ordinis praefati, qui in ditionibus dicti Caroli Regis tam apud Hispaniam, quam apud Philippinas, Mexicanas, Peruanas, et ceteras occidentales Indias ipsi Carolo Regi subjectae consistunt, eidem Ordini de Ecclesia Dei, et Sancta Sede Apostolica benemerito, auctoritate et tenore praefatis benigne concedimus; confirmando supplementum consensuum per dictum Petrum Marinum Ministrum Generalem, ut ex-

ponitur, factum, et interdicendo Superioribus Generalibus illarum partium sub poenis in praeinsertis litteris contentis, et aliis arbitrio dictae Congregationis Cardinalium reservatis, ne ultra quatuor menses a requisitione per Religiosos ad id facultatem habentes facta, seu facienda computandos, dictas erectiones protrahere seu suspendere possint, salva semper in omnibus supra relatis auctoritate ejusdem Congregationis Cardinalium ad formam Constitutionis fel. rec. Gregorii Papae XV. Praedecessoris Nostri. = Propterea statuta praeinserta pro dictis Collegii, seu Seminarii tam erectis quam erigendis, ac eorum Fratribus, et Superioribus a praefato Petro Marino Ministro Generali ut prafertur condita, dicta auctoritate horum serie confirmamus pariter, et approbamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper memoratae Congregationis Cardinalium auctoritate ea augendi, seu moderandi quatenus opus fuerit, et magis in Domino expedire videbitur; ac quoscumque juris, et facti defectus quoad Collegia praefata jam erecta supplemus. = Decernentes easdem praesentes ac praeinsertas Patentes litteras semper firmas etc. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 16. Octobris 1686. Pontificatus Nostri Anno undecimo.

J. G. Card. Slusius.

Cum in Serra Malabarium exortae essent controversiae, ad eas sedandas visitatio Apostolica indicitur, qua peracta, Sacra est de Propaganda Fide congregatio edocenda.

Venerabili Fratri Moderno Episcopo Hyerapolitano.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Venerabilis Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Cum sicut ad Apostolatus Nostri notitiam pervenit inter Venerabilem Fratrem Episcopum Serrae Malabarium, et dilectos Filios Fratres Ordinis B. M. Virginis de Monte Carmelo excalceatos nuncupatos, qui Missionibus in illis partibus dant operam, variae dissentiones, sive controversiae sint exortae; Nos de statu spirituali dictae Serrae, ac Christifidelium in ea degentium, et de dissentionibus sive controversiis hujusmodi, sinceras, atque accuratas informationes habere volentes, ac de Fraternitatis Tuae, quae in earumdem partium vicinia Vicariatus Apostolici munere fungitur, fide, pruden-

tia, dexteritate, charitate, integritate, ac christianae tranquillitatis, et Catholicae Fidei zelo plurimum in Domino confisi, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum Consilio, Te in praefata Serra Malabarium Visitatorem, cum facultatibus necessariis et opportunis, auctoritate Apostolica tenore praesentium constituimus, et deputamus, ac Tibi harum serie committimus, et mandamus, ut ad eandem Serram quam primum Te conferas, illamque ac Ecclesias, Monasteria, ac Loca pia quaecumque ibidem existentia, eorumque personas quaslibet semel tantum autoritate Nostra Apostolica visites, ac in illorum statum, vitam, mores, ritus, et disciplinam diligenter inquiras, exactasque et accuratas de statu spirituali, et dissentionibus, sive controversiis praedictis informationes capias, ac illas in scriptum redactas, et tuo Sigillo clausas ad Nos, seu praefatorum Cardinalium Congregationem, quanto citius trasmittas, ut quod desuper statuendum fuerit, matura deliberatione adhibita decernamus. Mandantes propterea in virtute Sanctae obedientiae omnibus, et singulis, ad quos spectat, et spectabit in futurum, ut Te in Visitatorem Apostolicum hujusmodi ea, qua par est, reverentia recipientes, Tibi in praemissis faveant, pareant, et assistant, tuaque salubria monita, et mandata humiliter suscipiant, et efficaciter adimplere curent, alioquin sententiam, sive poenam, quam tuleris, seu statueris in rebelles, ratam habebimus, et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus Apostolicis ac in Universalibus, Provincialibusque et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, nec non quibusvis etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenore praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die sexta Februarii Anno Domini 1687. Pontificatus Nostri Anno decimo primo.

J. G. Card. Slusius.

Facultates olim Archipresbyteris Angliae a Summis Pontificibus concessae, non secus ac illas, quibus Ordinarii in suis Dioecesibus utuntur, tribus novis Vicariis Apostolicis constitutis juxta territorii divisionem a Nuntio Apostolico ad exitum perducendam, ad beneplacitum Apostolicae Sedis impertitur.

Dilectis Filiis Philippo Ellis electo Aureliopolitan.,
Bonaventurae Gifford electo Madauren.,
et Jacobo Smith Callipolen.

INNOCENTIUS PP. XI.

Dilecti Filii, salutem et Apostolicam Benedictionem.

Super Cathedram Principis Apostolorum inscrutabili Divinae Providentiae arcano collocati, mentis Nostrae aciem per universas Christiani Orbis partes jugiter circumferimus, ut spirituali Christifidelium ubicumque existentium directioni, et curae, quantum Nobis ex alto conceditur, salubriter consulamus. Cum itaque Nos hodie, seu nuper Ecclesiis Aureliopolitan., Madauren., et Callipolen., quae in partibus infidelium consistunt, de personis vestris respective Auctoritate Apostolica possiderimus, ac te quidem, Fili Philippe Aureliopolitan., te Fili Bonaventura Madauren., te vero Fili Jacobe Callipolen., Ecclesiis hujusmodi in Episcopos praefuerimus, et Pastores, curam, regimen, et administrationem ipsarum Ecclesiarum respective vobis in spiritualibus, et temporalibus plenarie committendo, prout in aliis triplicibus Nostris in ejusmodi forma Brevis desuper expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis haberi volumus, uberius continetur. Et sicut accepimus Venerabilis Frater Joannes Episcopus Adramiten., cui alias per similes nostras litteras, ut ad solatium animarum, et spirituale bonum Christifidelium Catholicorum in Regno Angliae existentium, sive quos pro tempore ibi existere contigerit, ad Nostrum, et Sedis Apostolicae beneplacitum *omnibus*, *et singulis juribus olim Archipresbyteris Angliae* a Sede Apostolica deputatis per fel. rec. Clementem VIII., et Paulum V. Romanos Pontifices Praedecessores Nostros concessis, nec non *quibus Ordinarii in suis civitatibus et Dioecesibus utuntur*, similiter uti libere, et licite posset, et valeret auctoritate Nostra praefata facultatem impertiti fuerimus, quique hactenus in sibi demandato ministerio hujusmodi exequendo laudabiliter, et fructuose cum Dei benedictione laboravit, jam *Episcopalibus muniis in universo Angliae Regno praefato* obeundis

per amplius esse non possit, et latior ibidem, Domino incrementum dante, Catholicae Messis campos multiplicatam agricolarum operam exposcat; hinc est, quod Nos firma spe, atque fiducia in Domino freti, vel expectatione de vobis Nostrae cumulate responsuros, ac de vestra fide, prudentia, integritate, et Catholicae Religionis zelo, ac doctrina plurimum confisi; et vestrum singulares personas a quibusvis etc. censentes, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, *vos in Vicarios Apostolicos praefati Regni Angliae juxta divisionem per Ven. Fratrem Ferdinandum Archiepisc. Amasien. Nostrum, et Apostolicae Sedis apud charissimum in Christo Filium Nostrum Jacobum magnae Britanniae Regem Illustrem Nuntio inter vos faciendam*, salva ea parte Regni praefati, quam idem Ferdinandus Archiepiscopus secundum datam sibi a Domino prudentiam, praefato Joanne Episcopo relinquere judicabit, *cum solitis juribus, et facultatibus ad Nostrum, et ejusdem Sedis beneplacitum,* auctoritate praedicta tenore praesentium facimus, constituimus, deputamus, et declaramus. Mandantes propterea in virtute S. obedientiae omnibus et singulis, ad quos spectat, et spectabit quovis modo in futurum, ut vos ad demandatum vobis per praesentes Vicariatus Apostolici officium, illiusque liberum exercitium juxta earumdem tenorem praesentium recipiant, et admittant, vobisque in omnibus ad idem officium spectantibus prompte pareant, faveant, et assistant, respective, ac vestra salubria monita, et mandata humiliter suscipiant, et efficaciter adimplere procurent: alioquin sententiam, sive poenam, quam rite tuleritis, seu statueritis in rebelles, ratam habebimus, et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus praemissis, ac Apostolicis, et in Universalibus, Provincialibusque Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum etc. die trigesima Januarii 1688.

Cum praesidio suo Patres Societatis Jesu Siami Rex juvaret, et ope liberali protegeret, unumque ex illis ad Pontificem ablegasset, Iste illi rem Catholicam commendat, et ad veram Religionem plena benevolentiae epistola conversionem adprecatur.

Illustri ac Potentissimo Regi Siami.

INNOCENTIUS PP. XI.

Illustris, ac Potentissime Rex, salutem, et lumen Divinae gratiae.

Acceptus, supra quam explicare possumus, accidit Nobis adventus dilecti filii Patris Tachard e Societate Jesu, quem anceps de successu prioris alterius Missionarii, extra ordinem ad Nos ablegavit celsitudo tua; ex Regiis enim litteris tuis, quas idem Pater reddidit, et ex his, quae tuo nomine viva voce diserte exposuit, incredibili cum exultatione cognovimus, quam propensam erga Christifideles geras voluntatem, et quam paratus sis ad praedictae non modo Societatis Patres, sed etiam ad alios omnes, qui Christianam Religionem tuis in ditionibus, ceterisque Orientis in regionibus profitentur Regio Patrocinio tuendos, ac liberali ope, ubi ad te confugerint, juvandos. Et quidem cum ejusdem Religionis propagatio praecipua Pastoralis sollicitudinis Nostrae cura sit, testatum satisfacere nequimus verbis gaudium, quo superabundamus, perpendentes incrementa, quae ipsamet Religio est assecutura, fulta praesidio celsitudinis tuae. Insigni autem huic beneficio aliqua saltem ex parte responsuri, persuasum tibi esse cupimus, nullam a Nobis dimissum iri occasionem, praeclaris documentis declarandi, quo honoris, ac existimationis loco celsitudinem tuam habeamus: in primis vero non omittemus assiduis enixisque precibus rogare solem, qui nescit occasum, ut lucis suae radios tibi clementer infundat, ostendatque aperte viam, quae ducit ad vitam.

Praememoratus P. Tachard pietate, ac virtute praestans plane vir, quemque propterea iterum tibi, iterumque commendamus, animi Nostri sensus fusius significabit celsitudini tuae, nec non mensura quaedam benevolentiae, qua te prosequimur, argumenta tradet. Reliquum est, ut expectationem Nostram impleas, dum Nos celsitudini tuae prospera cuncta ab Omnipotente Deo impense precamur.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die septima Januarii 1689. Pontificatus Nostri Anno XIII.

Praecipitur septem Praesbyteris Societatis Jesu Missionariis apud Sinas, ut accedant ad Urbem, et Missionariis omnibus formula quaedam juramenti, quod praestare debeant, praescribitur.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum haec Sancta Sedes Apostolica paucis abhinc annis ad Synas, Tunchinum, Cochinchinam, Cambojam, Siamum, aliaque vicina Regna, et Provincias Indiarum nonnullos miserit Episcopos Vicarios Apostolicos, ut fides Catholica ibidem benedicente Domino propagaretur, et ex Christianis indigenis, seu incolis illarum partium instituerentur Clerici et Sacerdotes, atque ita crescente fidelium numero disciplinae Ecclesiasticae usus, et veritas introduceretur; ipsi vero Episcopi Vicarii Apostolici omnibus operariis, qui illic in vinea Domini laborarent, praeessent. Verum istorum operariorum aliqui proprii officii immemores se dictis Vicariis Apostolicis, eorumque Provicariis, et Ministris, ac illorum auctoritati acerrime opponendo, dissensiones, rixas, divisiones, et fere nova schismata suscitaverint in magnum Christianae Religionis detrimentum, atque perniciem, nec pluribus Constitutionibus Apostolicis et decretis Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum, ad occurrendum hujusmodi malis opportune promanatis, debitam obedientiam praestare voluerint. Hinc est quod Nos ex commissi Nobis caelitus Pastoralis officii debito efficaciora tanto malo remedia adhibere volentes, de nonnullorum ex memoratis Cardinalibus super hoc negotio a Nobis specialiter deputatorum, qui dilectos filios presbyteros Regulares Societatis Jesu, et praecipue Praepositum Generalem, et Secretarium ejusdem Societatis, tam viva voce, quam in scriptis super praemissis informantes pluries audierunt, consilio, auctoritate Apostolica tenore praesentium praecipimus, et mandamus, ut illico ad hanc almam Urbem nostram accedant dilecti etiam Filii Josephus Tessavier, Emmanuel Ferrere, Dominicus Fucitus, Philippus Marinus, Thomas Valgarveira, Josephus Candonus, et Bartholomaeus a Costa presbyteri Regulares dictae Societatis Jesu, nec a die intimationis praesentis mandati, ipsi, eorumque nullus audeat ullo modo exercere quodcumque munus Missionarii, sive ex facultatibus dictae Sedis Apostolicae, sive ex privilegiis praedictae Societatis Jesu, sive ex facultatibus ab alio quocumque, aut omnibus, aut singulis ipsorum quovis titulo concessis, nec confessiones audire, concionari, aut quaecumque Sacramenta quomodolibet administrare etiam tam-

quam deputati ab Episcopis, seu Ordinariis Indiarum, neque tamquam simplices dictae Societatis Jesu Sacerdotes, et Religiosi, nec alio quocumque titulo, causa, seu facultate, de quibus expressa specialis, et specialissima esset facienda mentio sub poenis infra exprimendis. Hoc autem praeceptum, et mandatum Nostrum praedicto Praeposito Generali Societatis Jesu quantocitius per dilectum Filium Magistrum Urbanum Cerrium, in utraque Signatura nostra Referendarium, ac praedictae Congregationis Cardinalium Secretarium, intimari volumus, ac eidem Praeposito Generali harum serie injungimus, ut scribat supradictis Josepho, Emmanueli, Dominico, Philippo, Thomae, alteri Josepho, et Bartholomaeo, ac Superioribus dictae Societatis in illis partibus degentibus, ad hoc, ut praeceptum et mandatum nostrum hujusmodi omni postposita mora, et cum debita obedientia exequantur: Cum declaratione, quod unica intimatio praecepti praescripti, etiam rejecta, et quovis praetextu, aut colore non acceptata, sive etiam sub quavis conditione, modificatione, vel formalitate acceptata obliget absolute, et in totum omnes ad parendum, et ad incursum poenarum; Nos enim praeceptum hujusmodi haberi volumus pro legitime intimato omnibus Presbyteris Regularibus supranominatis, et unicuique eorum eo ipso quod Praeposito Provinciali, aut alteri ejus Vicesgerenti, sive Rectoribus Collegiorum, aut Superioribus quocumque nomine appellentur, intimatum fuerit. Et quatenus intimationem hujusmodi modo praescripto personaliter fieri commode non posse dicti Vicarii Apostolici, aut eorum Pro-Vicarii, vel Ministri, ut supra deputati, arbitrentur, fiat illa per affixionem ad valvas Ecclesiarum, seu domorum Clericorum, seu Presbyterorum Regularium dictae Societatis Jesu. Si autem juramenta per quoscumque Missionarios tam saeculares, quam cujusvis Ordinis, Congregationis et Instituti etiam dictae Societatis Jesu Regulares in manibus memoratorum Vicariorum Apostolicorum, seu eorum Provicariorum, vel aliorum ab eis respective deputandorum, sicut praemittitur praestanda, postquam sùbscriptione munita fuerint, vel saltem authentica illorum exempla per eosdem Vicarios Apostolicos ad praefatam Congregationem Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositam transmittantur, si autem, et in hoc sit aliqua difficultas, fiat affixio ad valvas Ecclesiarum, seu domorum praedictorum Vicariorum Apostolicorum, seu eorum Provicariorum, et semper unica intimatio ejusdem praecepti quocumque modo facta, sive per praefatum Praepositum Generalem, sive per Vicarios Apostolicos, sive per eorum deputatos sufficiat, et obliget omnes ad observantiam ipsius praecepti, et ad poenas infrascriptas irremissibiliter incurrendas. Ac ut ejusmodi dissensionibus, dissidiis, et scissuris ansa in futurum praecidatur, eadem auctoritate harum serie perpetuo statuimus, et ordinamus, ut omnes, et singuli ecclesiastici tam saeculares, quam cujuslibet Or-

dinis, Congregationis et Instituti, etiam praedictae Societatis Jesu, Regulares in praedicta Regna et Provincias ab eorum Superioribus missi, et mittendi, sive a praedicta Congregatione Cardinalium negotiis Propagandae Fidei Praepositorum, vel ipsamet Sede Apostolica deputati, et deputandi, sive etiam cujusvis tituli magis privilegiati, ac speciali, et specialissima mentione digni, aut facultatis vigore illic existant, vel in futurum extiterint sub infrascriptis poenis juramentum juxta formulam in calce praesentium litterarum annotandam in manibus Superiorum suae Religionis, et iterum in manibus Vicarii Apostolici, in cujus jurisdictione quocumque titulo commorabuntur, sive ejus Provicarii, aut alterius ab eo deputati praestare omnino debeant, et teneantur; ita ut ante praestationem Juramenti hujusmodi et subscriptionem sub eadem formula ab unoquoque, qui juramentum ipsum praestiterit propria manu faciendam nullis omnino facultatibus uti valeant, sed quoad eos praeter, et ultra poenas praedictas, omnes et singulae facultates hujusmodi sive a S.Sede Apostolica, sive ex privilegiis dictae Societatis Jesu, sive alio quocumque titulo, ut supra etiam particulari nomine concessae, cessent omnino, ac nullius roboris, atque abolitae sint, et esse censeantur, etiamsi per Apostolicas in simili forma Brevis litteras concessae fuerint, nisi in eis praesenti Constitutioni in specie, et nominatim derogatum reperiatur. Hujus autem juramenti praestationis, et subscriptionis executionem quoad Clericos, sive Presbyteros Regulares dictae Societatis specialiter committimus, et demandamus dilectis pariter filiis Visitatori, et Praepositis Provincialibus Provinciarum Japoniae, et Sinarum ejusdem Societatis, nunc, et pro tempore existentibus, qui primo juramentum hujusmodi praestare, et illius formulae subscribere tenebuntur sub eisdem poenis, quas incurrent tam dicti Visitator, et Praepositi Provinciales si negligent obedire, et formulam praedictam inferioribus intimare, eorumque juramentum et subscriptionem exigere, et cum effectu habere, quam Religiosi quicumque, ut supra, qui jurare, et formulae praedictae subscribere detrectabunt. Omnia vero juramenta hujusmodi per quoscumque ut supra quantocitius fieri poterit transmittantur. Quinimo Superiores quoque Regulares, nempe Visitatores, et Provinciales Japoniae et Sinarum tam dictae Societatis Jesu, quam aliorum quorumvis Ordinum, Congregationum, et Institutorum pro tempore existentes sub eisdem poenis teneantur non solum juramentum praedictum praestare in manibus pariter Vicariorum Apostolicorum, vel Provicariorum, illiusque formulae subscribere, sed etiam illius praestationem, et subscriptionem, a suis respective subditis exigere, ac authentica ea super re confecta documenta quamprimum transmittere ad suos respective Superiores generales, qui illa memoratae Congregationi Cardinalium statim tradere debebunt. Praeterea mandamus supradicto Praeposito Generali Societatis Jesu, ut loco Missionariorum, qui ad Urbem,

ut praefertur vocantur, alios deputet, et coram dilecto filio Nostro ejusdem S. R. E. Cardinali praedictae Congregationis Cardinalium Praefecto praesentari faciat, in cujus manibus cum assistentia Venerabilis Fratris Francisci Episcopi Heliopolitani unius ex praedictis Vicariis Apostolicis, ac memorati Secretarii ejusdem Congregationis Cardinalium, tam ipsi sic deputandi, quam alii Missionarii dictae Societatis posthac ad illas partes destinandi pariter cum assistentia ejusdem Francisci Episcopi, si tunc temporis adhuc in hac alma Urbe fuerit, praestare, et subscribere tenebuntur juramentum praedictum, ac etiam jurare obedientiam, et subordinationem eidem Francisco Episcopo, aliisque Vicariis Apostolicis, in quorum jurisdictione respective morabuntur quoad omnia negotia, et directionem Missionum. Et fiat postea in calce de omnibus narratio, et attestatio, subscripta ab eodem Cardinale Praefecto, cui subscribant etiam dicti Franciscus Episcopus tamquam praesens, et Praepositus Generalis tamquam particeps, testando sibi omnia praedicta constare, suisque paritionem injungendo, atque hujusmodi juramenta ita subscripta consignentur eidem Francisco Episcopo, postquam tamen in actis dictae Congregationis Cardinalium registrata fuerint. Porro iisdem Missionariis mittendis praecipimus pariter, et mandamus ut, cum Indias attigerint, praescriptos sibi ordines, praesentemque Constitutionem omnibus suae Societatis Religiosis patefaciant, et per plures vias, si fieri possit, iter ad Indias arripiant, quorum duo dictum Franciscum Episcopum usque ad Indias sub ejus obedientia comitentur, ubi de ipsius Francisci Episcopi licentia ad loca sibi praescripta proficiscantur. Contrafacientes autem praesenti Constitutioni in toto, vel in parte, aut aliter quomodocumque illi non obedientes, incurrant in omnibus casibus in ea expressis, eorumve quolibet in poenam excommunicationis majoris ipso facto, absque ulla etiam declaratoria sententia, Sedi Apostolicae reservatae; ita ut nemo ab illa absolvere possit, nisi in mortis articulo constitutos, et in generali concessione facultas ab illa absolvendi concessa non intelligatur etiam vigore litterarum concessionis Jubilaei Universalis, et insuper incurrant in alias quoque poenas etiam corporales, et afflictivas arbitrio praedictae Congregationis Cardinalium imponendas. Demum tam supradicto Praeposito Generali Societatis Jesu, quam aliorum quorumcumque Ordinum, Congregationum, et Institutorum Regularium Superioribus Generalibus, nunc, et pro tempore existentibus praecipimus similiter et mandamus, ut omnia in praesenti Constitutione contenta executioni omnino demandari faciant, jubeantque ad se transmitti juramenta praestita, et subscripta prout in formula infra annotata, atque dictae Congregationi Cardinalium consignent, ac omnium executionem, et implementum injungant etiam omnibus Missionariis Societatis ac Ordinum, Congregationum, et Institutorum suorum respective in futurum ad Indias mittendis, et ab iis-

dem Juramentum observantiae, praefataeque formulae subscriptionem exigant. Si autem ipsi praemissa exequi omiserint, ac de executione quotiescumque occasio se obtulerit mutationis Missionariorum, qui transmittentur, ac notificationis, et juramenti praedicti publica documenta non tradiderint, indignationis Nostrae, aliasque poenas Nostro, et Romani Pontificis pro tempore existentis arbitrio imponendas se noverint incursuros. Hoc autem praeceptum Nostrum etiam absque ulla annotatione in solitis libris, et actis Societatis aliorumque Ordinum, Congregationum, et Institutorum hujusmodi respective omnes, et singulos in Generalatibus Successores perinde afficere volumus, ac si illorum unicuique personaliter intimatum fuisset, ipsosque Praepositos, et Superiores Generales Successores si praesenti Constitutioni contravenerint, eisdem poenis subjacere. Decernentes easdem praesentes literas, et in eis contenta quaecumque etiam ex eo quod praedicti, et alii quilibet in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, cujuscumque status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis existant, seu alias specifica, et individua mentione, et expressione digni eisdem praemissis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, et auditi, neque causae, propter quas praesentes emanarint, adductae, specificatae et justificatae fuerint, aut ex alia quantumvis justa, pia, juridica, et privilegiata causa, colore, praetextu, et capite etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimae, et totalis laesionis nullo unquam tempore, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, et substantiali, ac incogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, ad terminos Juris reduci, seu in controversiam vocari, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, et facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu proprio, et de Apostolicae potestatis plenitudine concesso, vel emanato, quempiam in judicio vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, et inconcusse observari. Sicque et non aliter in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios et Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, aliosve quoslibet quacumque praeeminentia, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari et definiri debere; ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non ob-

stantibus praemissis, ac quatenus opus sit, Nostra, et Cancellariae Apostolicae Regula de jure quaesito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, necnon cujusvis Ordinis, Congregationis, et instituti, etiam Societatis Jesu, ac quarumvis Ecclesiarum, et aliis quibuslibet, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, stylis, usibus, et consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris Apostolicis praefatis, aliisve quibusvis personis, Ordinibus, Congregationibus Institutis, Societatibus, etiam Jesu, ac Ecclesiis et locis quibuslibet etiam specifica, et individua mentione dignis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie etiam Consistorialiter, et alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis, ac pluries innovatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, praesentibus, pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes; illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, et derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque. Formula autem Juramenti sicut praemittitur praestandi est, quae sequitur, videlicet. = Cum Summus Pontifex supremam et independentem pro spirituali animarum regimine in universo terrarum orbe habeat auctoritatem, nec ad mittendos operarios, qui Religionem Christianam, fidemque Catholicam apud Infideles, et nominatim in Sinarum, Tunchini, Cochinchinae, Camboiae, Siami, aliisque vicinis Regnis, et Provinciis praedicent, annuncient, roborent, et promoveant, illius fidelis vel infidelis cujusvis status, gradus, conditionis, ac dignitatis etiam Regiae existat, licentia, vel consensu indigeat. Ego N. fideliter incumbam officio meo in Missione juxta S. Sedis Apostolicae mandata, et facultatem ab ea praescriptam; quod si Ordinarii Indiarum, vel Principes, aut Reges Catholici, vel alii de administratione Missionum in illis partibus, suaque jura, et privilegia violari conquesti fuerint, meumque consilium, et auxilium desuper requisiverint, ei rei me nullo modo ingeram, sed muneri mihi incumbenti tantum operam dabo. Praedicationem Verbi Dei, Sacramentorum administrationem, aliudve Ecclesiasticum munus quodcumque in locis Vicariorum Apostolicorum curae commissis, numquam exercebo, qui-

buscumque privilegiis propriis, vel meae Religionis, vel aliis quibusvis munitus existam, nisi prius ab ipsis Vicariis Apostolicis fuerim approbatus, et ab iisdem licentiam in scriptis acceperim. In examine Bullarum, Constitutionum, seu aliarum quarumcumque Litterarum Apostolicarum, vel S. Congregationis de Propaganda Fide, aut quorumcumque Decretorum ejusdem S. Congregationis numquam me intromittam, vel impediam, sub quovis praetextu, aut etiam legitima subreptionis, vel obreptionis causa, vel alia quacumque, sed easdem litteras, et decreta quaecumque semper cum debita reverentia recipiam, iisque ut par est, obediendo Sanctae Sedi Apostolicae postmodum exponam. Si quae contra earumdem litterarum vel decretorum usum opportuna videbuntur, numquam tamen retardata executione, ordinationes dictae Sedis, et signanter Constitutiones Summorum Pontificum Alexandri VII., Clementis IX., et Clementis X., omni qua decet reverentia, recipio, et amplector, ac nominatim litteras Apostolicas in forma Brevis expeditas, quarum initium: = Decet Romanum Pontificem, = datum die 23. Decembris 1673., quibus confirmantur Brevia, et Constitutiones, ac etiam Decreta S. Congregationis de Propaganda Fide ad favorem Vicariorum Apostolicorum apud Sinas deputatorum emanata, alias incipientes: = Illius qui charitas est etc. = expeditas eadem die 23. Decembris 1673., quibus declaratur Ordinarios Indiarum non posse exercere actus jurisdictionales in dictos Vicarios Apostolicos eorumque Provicarios, et operarios in Provinciis sibi assignatis, sed eisdem Vicariis in dictis Provinciis jurisdictionem privative quoad omnes competere, ac alias quarum initium: = Christianae Religionis, et Catholicae Fidei etc. = emanatas die 8. Junii 1674., quibus etiam severe prohibetur omnibus Ecclesiasticis Saecularibus et Regularibus, ne quisquam emendicet, procuret vel acceptet ab Ordinariis Indiarum litteras quascumque pro exercenda jurisdictione in locis iisdem Vicariis commissis. Et demum non-solum praefatis omnibus Constitutionibus, et in eis contentis Decretis S. Congregationis de Propaganda Fide, sed etiam aliis quibuscumque, quae in futurum ad favorem etiam Vicariorum Apostolicorum emanabunt, Constitutionibus et Decretis fideliter, et integre parebo. Praemissa omnia, et singula inviolabiliter observabo, et absque ulla tergiversatione adimplebo. Si autem (quod Deus avertat) quoquomodo contravenerim, me toties quoties devenerit, poenis tam per praedictas Constitutiones, quam per novissimam SSmi Domini Nostri Innocentii Divina providentia PP.XI. Constitutionem, qua praesentis juramenti formula praescripta est, respective impositis sponte, et libere subiicio. Ita tactis Sacrosanctis Evangeliis promitto, voveo, et juro; sic me Deus adjuvet, et haec sancta Dei Evangelia. Locus subscriptionis. Ego N. manu propria. Ceterum volumus, ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu

alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 10. Octobris 1678. Pontificatus Nostri Anno tertio.

I. G. Slusius.

Sinarum Principi Patres Societatis Jesu beneficiis prosequenti dat amantissimas litteras; eosdem, quos catholicae fidei propagatio illuc adducit, mirum in modum commendat, et Deum, ut eidem veritatis suae lumen ostendat, rogat impense.

Illustri ac Potentissimo utriusque Tartariae et Sinarum Imperatori.

ALEXANDER PAPA VIII.

Illustris ac Potentissime Imperator, Salutem et lumen Divinae gratiae.

Celsissimorum decorum, quibus insigniris fama, non intra Imperii, quamvis amplissimi, tui fines concluditur, sed dissitas quoque magno locorum intervallo Regiones peragrat, praeclarosque ubique terrarum inclyto nomini tuo plausus excitat. Quia vero inter ea decora praecipue recenseri propensam voluntatem, qua Societatis Jesu Missionarios respicis, ex constanti jampridem ipsiusmet famae testimonio, recenterque a P. Claudio Philippo Grimaldo ex eadem Societate uberius cognovimus, nostrarum esse partium duximus amantissimis hisce litteris, gratos tibi hac de causa cordis Nostri sensus luculenter explicare, ac beneficiis, quae in praedictos Missionarios Pekini specialiter celeberrima aula tua, ante, et post eorum obitum liberaliter effundis, aliqua saltem ratione respondere. Sane cum hi, qui ex deputatione Nostra, posthabitis omnibus mortalis hujus vitae commodis, post exantlata, terra marique, innumera pene discrimina, isthuc adveniunt, non aliud sibi lucrum propositum habeant, quam publicum Imperii tui bonum, et aeternam animarum salutem, quae a Catholicae Fidei professione unice pendet; digni profecto sunt, quos florentissimis tuis in ditionibus supremo patrocinio tuo tuearis, atque custodias.

Cum autem prae ceteris, qui arduum istud iter modo sunt aggressuri, ob familiae, ex qua originem habuit, fulgorem, nec non ob virtutum, scientiarumque, quibus abunde praeditus est, excellentiam,

Nobis admodum probetur P. Franciscns Maria Spinula e Societate pariter Jesu, insigni virorum pietate ac doctrina praestantium officina, quamque propterea magnopere diligimus: has idcirco litteras tibi reddendas eidem Patri tradidimus, et injunximus ut diserte te doceret, quo in honore, ac existimatione apud Nos sis; et quam cupiamus hujusmodi existimationem in occasionibus, quae se offerent, splendidis documentis manifestam facere.

Reliquum est, ut praefatum Patrem, una cum sociis perhumaniter excipias, dum Nos non omittimus impense rogare eum, a quo omnis potestas et imperium, ut laetos tibi faustosque successus tribuat, perfectumque imprimis veritatis suae lumen ostendat.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 24. Julii 1690, Pontificatus Nostri Anno I.

Quae Seminario Parisien. Scotorum circa ordinationem privilegia Paulus V. concesserat, quas Indulgentias plenarias Alumnis Urbanus VIII. in ingressu, vel egressu de Collegio, vel decessu de vita erat largitus, non sine nova additione, Apostolica auctoritate confirmat.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Dudum fel. rec. Paulus PP. V. Praedecessor Noster Collegio Nationis Scotorum Parisien., ejusque Superioribus, ac Alumnis nonnulla Privilegia, facultates, gratias, et indulta concessit per quasdam suas desuper in simili forma Brevis expeditas litteras tenoris qui sequitur, videlicet. = Paulus PP. V. Ad futuram rei memoriam. Dilectos Filios Alumnos Collegii Nationis Scotorum Parisiensis specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quorumlibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutos fore censentes; supplicationibus dilecti Filii Nostri Maffei tituli Sancti Honuphrii Praesbyteri Cardinalis Barberini nuncupati, Regni Scotiae apud Nos et Apostolicam Sedem Protectoris, Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ejusdem Collegii Superioribus ut arbitrio Venerabilis Fratris Guidonis Archiepiscopi Rhodien. moderni et pro tempore existentis Sedis praefatae in Regno Franciae commorantis Nuncii, in privato dicti Collegii Oratorio ad hoc decenter muro extructo, et or-

nato, seu extruendo et ornando, ab omnibus domesticis usibus libero, per Ordinarium loci prius visitando, et approbando, Sacrosanctum Missae Sacrificium in sua, ac Alumnorum et aliarum personarum dicti Collegii praesentia celebrare seu celebrari facere; nec non eisdem Alumnis ut absque litteris dimissorialibus suorum Ordinariorum, ac etiam sine titulo Beneficii Ecclesiastici vel Patrimonii, sed ad titulum tantum paupertatis, a quocumque, quem maluerint, Catholico Antistite, gratiam, et communionem Sedis praedictae habente, in propria Dioecesi residente vel in aliena, Dioecesani loci consensu Pontificalia exercente, pro eos eligendo, Clericali charactere insigniri, et ad quatuor minores, nec non Sacros Subdiaconatus, Diaconatus et Presbyteratus Ordines in temporibus ad id a Jure statutis, dummodo tamen praevio examine ad id reperti fuerint idonei, et nullum eis aliud Canonicum obstet impedimentum, nec non testimonio Rectoris, et Superiorum dicti Collegii commendentur specialemque ab ipsis licentiam obtineant, ac servatis alias servandis, promoveri et promoti in illis etiam in Altaris ministerio ministrare libere et licite possint et valeant, Apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus, ac tam Antistiti ut praedicitur eligendo, quam Alumnis praedictis licentiam desuper impertimur. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibus, et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 27. Maii 1617. Pontificatus Nostri Anno duodecimo. = Subinde vero rec. mem. Urbanus PP. VIII. etiam Praedecessor Noster ad favorem eorumdem Alumnorum alias suas pariter in forma Brevis litteras edidit tenoris sequentis, videlicet = Urbanus PP. VIII. Ad futuram rei memoriam. Ut Alumni Collegii Scoti in Civitate Parisien. canonice erecti eo ad litterarum studia prosequenda, spiritualibusque suae Patriae necessitatibus succurrendum alacriores sint, quo ampliores ab hac Sancta Sede gratias et favores receperint; illorum, nec non dilecti Filii Rectoris Collegii hujusmodi supplicationibus, Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, eisdem Alumnis ut eo temporis spatio, quo in Collegio praedicto sese continuerint, et Superiorum judicio in studiis profecerint, ad omnes etiam Sacros et Presbyteratus Ordines, etiam sine litteris dimissiorialibus, nisi habeant Episcopos proprios, a quibus illae obtineri potuerint, cum ad Collegium dirigentur, et sine beneficii Ecclesiastici, aut Patrimonii titulo, ac etiam extra legitimarum Ordinationum tempora, dummodo tamen alias ad id reperiantur idonei, promoveri possint, et valeant, Apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus: necnon de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate

confisi, omnibus et singulis scholaribus, qui in dictum Collegium recepti fuerint, in ipso ingressu, ac deinde in exitu siquidem confessi, et contriti Sacram Communionem devote receperint, atque etiam si in eodem Collegio eos decedere ab humanis contigerit, in mortis articulo plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem elargimur. Non obstantibus Apostolicis, ac in Conciliis Universalibus, Provincialibusque, Synodalibus editis generalibus vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 11. Januarii 1643. Pontificatus Nostri Anno vigesimo: Cum autem sicut pro parte dilectorum filiorum Superiorum et Alumorum Collegii supradicti Nobis nuper expositum fuit, ipsi quo praeinsertae Pauli, quae a fel. mem. Clemente PP.IX. Praedecessore pariter Nostro confirmatae fuerunt, ac Urbani Praedecessorum suorum litterae firmius subsistant, et serventur exactius, Apostolicae quoque confirmationis Nostrae patrocinio communiri ac aliis opportune sibi desuper a Nobis provideri, et ut infra indulgeri plurimum desiderent; Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes,et eorum singulares personas a quibusvis etc. censentes etc. supplicationibus eorum nomine Nobis etc. inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium in tota Republica Christiana contra haereticam pravitatem generalium Inquisitionem a Sede Apostolica specialiter deputatorum consilio, omnia et singula privilegia, facultates, gratias et Indulta Collegio, ejusque Superioribus et Alumnis praedictis a memoratis Paulo, et Urbano Praedecessoribus concessa, ut praefertur, emanatasque desuper illorum litteras praeinsertas, cum omnibus et singulis in eis respective contentis, et expressis, auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur et efficaciam adjicimus. Praeterea, ut iidem Alumni ad Sacros etiam Praesbyteratus Ordines hujusmodi, non tamen extra tempora a Jure statuta, sed etiam interstitiis a Sacro Concilio Tridentino designatis minime servatis, annique curriculo non expectato, attamen si in unoquoque ex dictis Sacris Ordinibus antequam ad alium promoveantur, se minime exercuerint, servata tamen ceteroquin earumdem praeinsertarum litterarum forma, et dispositione, promoveri et promoti in illis etiam in Altaris ministerio ministrare libere et licite possint, et valeant, auctoritate, et tenore praesentis concedimus, et indulgemus. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam etc. Auditores ac ejusdem S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos et Apostolicae Sedis Nuncios judicari, et definiri de-

bere, ac irritum etc. attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, nec non omnibus, et singulis illis, quae in praeinsertis Pauli et Urbani Praedecessorum litteris concessa sunt, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem snb Annulo Piscatoris die 27. Aprilis 1694. Anno tertio.

Tunkini regnum a Machaonensi Dioecesi sejungit ita, ut nemo ibi jurisdictionis actus possit exercere.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Ex commissae Nobis divinitus Apostolicae servitutis munere, venerabilium Fratrum Episcoporum Vicariorum Apostolicorum in Regno Tunkini ab hac S. Sede Deputatorum, eorumque operariorum quieti, quantum Nobis ex alto conceditur, consulere, contentionesque omnes, quae inter ipsos, ac Venerabilem Fratrem modernum, seu pro tempore existentem Episcopum Machaonen., ejusque ministros, et officiales quoscumque oriri, nec non maximum Catholicae Fidei, Christianaeque Religionis Propagationi impedimentum adferre possent, e medio tollere cupientes; de nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationis negotiis Propagandae Fidei praepositae super rebus Sinarum a Nobis specialiter Deputatorum consilio, Regnum Tunkini praefatum in Dioecesi Machaonensi penitus, et omnino separatum, et independens esse, et fore, ac proinde Episcopnm Machaonen. supradictum ejusque ministros et officiales quoslibet quocumque nomine nuncupatos non posse, nec debere sub quovis quaesito colore, praetextu, causa vel occasione ullos in eo jurisdictionales actus exercere, auctoritate Apostolica tenore praesentium decernimus, et declaramus; salva tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium. Decernentes pariter ipsas praesentes litteras, firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac Vicariis Apostolicis praedictis in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab illis ad quos spectat, et pro tempore spectabit inviolabiliter, et inconcusse observari, sicque, et non aliter in praemissis, per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, et alios quoslibet quacumque praeeminentia, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et

inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et ordinationibus, nec non quibusvis etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovâtis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo Personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 23. Octobris 1696. Pontificatus Nostri Anno sexto.

J. F. Card. Albanus.

Super renovatione, et confirmatione Bullae sanctae mem. Alexandri VII. circa Congregationes a Cardinalibus Protectoribus Collegii Germanici, et Ungarici Urbis, super negociis ejusdem Collegii habendas, in Collegio tamen Germanico, non in Aula Congregationis de Propaganda Fide.

INNOCENTIUS PP. XII.

Ad perpetuam rei memôriam.

In supremo Militantis Ecclesiae Solio per ineffabilem Divinae bonitatis abundantiam, nullo licet meritorum Nostrorum suffragio constituti, ea, quae a Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris pro feliciter dirigendis Seminariis, et Collegiis quibuscumque ubique locorum, sed potissimum in Alma Urbe Nostra verae Religionis arce, ex qua bonorum operum exempla in omnes Christiani Orbis partes assidue diffunduntur, institutis sapienter, ac eo, qui secundum scientiam est, Dei zelo ordinata esse noscuntur, ut firma semper, atque illibata serventur, Apostolici muniminis Nostri patrocinio libenter roboramus, ac alias desuper disponimus, sicut omnibus maturae considerationis trutina perpensis, salubriter expedire in Domino arbitramur. Alias siquidem a fel. rec. Alexandro Papa VII. Prae-

decessore Nostro pro felici, rectaque Collegii Germanici, et Hungarici de Urbe, illiusque rerum, et bonorum administratione emanarunt litterae in simili forma Brevis tenoris, qui sequitur, videlicet = Alexander Papa VII. Ad perpetuam rei memoriam. Ut Collegii Germanici, atque Hungarici de Urbe negocia maturiori consilio decernantur, ac expediantur, et Venerabiles Fratres nostri S. R. E. Cardinales dicti Collegii apud Nos, et Sedem Apostolicam Protectores, quibus ejusdem directioni praeesse incumbit, ea omnia quae ad hujusmodi munus pertinent, conjunctim, ac certo quodam ordine, et methodo valeant expedire, indeque frequentius ad Nostram, et pro tempore existentium Romanorum Pontificum Successorum Nostrorum, eaque digniora emerserint notitiam deducantur, pro commissa Nobis divinitus Pastoralis Officii cura providere volentes, necnon quarumvis litterarum Apostolicarum, etiam in simili forma Brevis super memoratorum Cardinalium Protectorum deputatione, et facultatum illis, seu uni eorum respective concessarum impartitione, Cedularumque motus proprii super praemissis, aut alias quomodolibet, et quandocumque emanatarum tenores, et datas, etiam veriores, et alia quaecumque etiam specialem, et individuam expressionem requirentia praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes: Motu proprio, ac ex certa scientia, matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium, praecipimus, ac mandamus, ut in posterum praefati Protectores proprius, ac magis praecise, quam hactenus factum fuerit, utantur facultatibus, ac jurisdictione ipsis concessis super regimine, ac directione tam spirituali, quam temporali ejusdem Collegii, eaque de causa statutis diebus, ac quoties opus fuerit, simul congregentur in Aula Congregationis Venerabilium pariter Fratrum Nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei Praepositorum ad agendum de rebus ad praefatum Collegium, et ipsius Alumnos spectantibus, cum interventu dilecti filii moderni, et pro tempore existentis Secretarii ejusdem Congregationis de Propaganda Fide, per quem ea omnia, quae decreta fuerint, de more expediantur; adeo ut Decreta quaecumque, aut mandata, quae aliter quam ad praescriptam formam fient deinceps, aut emanaverint, nullius prorsus roboris, ac momenti existant: Per eundem vero Secretarium inter acta praefatae Congregationis de Propaganda Fide inserantur, atque asserventur, et si quid dignum existimatum fuerit, ad Nos, et pro tempore existentem Romanum Pontificem deferatur, sicuti de negociis gravioribus memoratae Congregationis fieri consuevit. Decernentes easdem praesentes, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo, quod praefati, et alii quilibet cujusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae, et Dignitatis etiam specifica, et expressa mentione dignae existant, in praemissis forsan interesse quoquo modo habentes, seu habere praetendentes, illis non

consenserint, aut ad ea vocati, et auditi non fuerint, seu causae, propter qnas praesentes emanarunt, adductae aut justificatae, et verificatae non fnerint, vel ex alia quacumque quantumvis justa, juridica, et privilegiata causa, colore, praetextu, et capite, etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam incogitato, et incogitabili defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium impetrari, aut impetrato, vel etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse; sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter, et inconcusse observari. Sicque, et non aliter in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. praedictae Cardinales etiam de latere Legatos, et alios quoslibet, quavis auctoritate, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, Nostra, et Cancellariae Apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, et decretis quibuscumque tam circa facultatem uni dumtaxat ex praefatis Protectoribus concessam, quam circa alia quaecumque, quae praesentibus litteris, earumque observantiae quoquomodo adversentur emanatis, necnon supradicti Collegii erectione, ac etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, et Consuetudinibus, etiam immemorabilibus privilegiis quoque, indultis, et litteris Apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentis, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, exprimerentur, et insererentur, prae-

sentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem praesentium transumptis manu Secretarii dictae Congregationis, seu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo ejusdem Congregationis, seu alicujus personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 18. Decembris 1660. Pontificatus Nostri Anno sexto = Cum autem sicut accepimus, licet praemissa a memorato Alexandro Praedecessore provido, prudentique fuerint constituta consilio, illa nihilominus minime, observentur: Hinc est, quod Nos praefati Collegii indemnitati, prosperoque illius tam spirituali, quam temporali regimini, quantum Nobis ex alto conceditur, prospicere cupientes; Motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, praeinsertas Alexandri Praedecessoris litteras cum omnibus, et singulis in eis contentis, tenore praesentium perpetuo approbamus, et confirmamus, ac innovamus, illisque inviolabilis, et irrefragabilis Apostolicae firmitatis vim, robur, et efficaciam adjungimus, ipsasque Alexandri Praedecessoris litteras, et in eis contenta hujusmodi perpetuis futuris temporibus inviolabiliter, et inconcusse observari praecipimus, et mandamus; Ita tamen, ut in posterum memorati Cardinales dicti Collegii Protectores pro negotiis ejusdem Collegii pertractandis non amplius in Aula Congregationis secundo dictorum Cardinalium, juxta earumdem Alexandri Praedecessoris litterarum praescriptum, sed in ipso Collegio, quo commodius, ac expeditius occurrentibus illius necessitatibus consulere valeant, cum interventu memorati Secretarii dictae Congregationis, ac servata in reliquis omnibus praefatarum Alexandri Praedecessoris litterarum forma, et dispositione, congregari debeant. Decernentes easdem praesentes, et praeinsertas litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, et adimpleri, nec de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis formali, ac individuam expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, redargui, in controversiam vocari, seu ad terminos juris reduci, aut adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium impetrari, vel intentari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus concesso, vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo unquam

posse ; Sicque , et non aliter in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios , et Delegatos , etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores , ac Cardinales , et Legatos , necnon Nuncios , et alios praefatos nunc , et pro tempore existentes , sublata pariter eis , et eorum cuilibet quavis aliter judicandi , et interpretandi facultate , et auctoritate, judicari, et definiri debere , ac irritum , et inane , si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter , vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis , ac quatenus opus sit, Nostra, et Cancellariae Apostolicae regula de jure quaesito non tollendo , aliisque Constitutionibus , et ordinationibus Apostolicis , nec non omnibus , et singulis illis , quae in praeinsertis Alexandri Praedecessoris litteris concessa sunt non obstare , caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 7. Junii 1696. Pontificatus Nostri Anno quinto.

Loco ✠ Sigilli

I. F. Card. Albanus.

Patriarcham Alexandrinum hortatur , ut gentem suam ad ovile S. Matris Ecclesiae reducendi propositum suum perducat ad finem.

Venerabili Fratri Joanni Patriarchae Alexandrino.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Venerabilis Frater , Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Cum ex Brevibus a fel. rec. Innocentio XI. Praedecessore Nostro ad fraternitatem Tuam datis cognoverimus, quam paratus multis ab annis sis , ad nationem istam Copticam Romanae Ecclesiae conjungendam , gavisi plane majorem in modum sumus. Quia vero summopere cupimus , ut hujusmodi pium propositum quamprimum impleas per Religiosum Patrem Franciscum Maria a Salem ob virtutum, quibus praeditus est , praestantiam , atque ob zelum quo flagrat , Nobis admodum probatum , Tibique acceptum , validos Fraternitati Tuae stimulos duximus admovendos , firmam in spem adducti , non omissurum Te verbis Nostris absque mora respondere. Reliquum est , ut praedicto Patri animi Nostri sensus exponenti , integram fidem tribuas , eumdemque levia quaedam munuscula deferentem libenter excipias ; Fraternitati interim Tuae Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae die 16. Martii 1697.

Leopoldo in Romanorum Imperatorem electo praeclaros viros de Catholica Religione in Regno Bosniae, non sine congerie malorum benemeritos, commendat.

Charissimo in Christo filio Nostro Leopoldo Hungariae et Bohemiae Regi Illustri in Romanorum Imperatorem electo.

INNOCENTIUS PP. XII.

Charissimo in Christo Filio Nostro, Salutem etc.

Cum praeclaram operam pro tuenda, quoad licuit, in Regno Bosniae Catholica Religione impenderint Dilecti Filii Philippus, et Jacobus fratres Germani Bernacoviczy ex Seraio, cumque multas propterea gravesque perpessi sint calamitates, ita ut propriis facultatibus spoliati, Patria, domoque pulsi alio tandem divertere coacti sint, quemadmodum constanti plurimorum testimonio novimus; Nos praesenti ipsorum status causas paterna charitate respicientes, Majestati Tuae praefatos viros de orthodoxa Religione egregie meritos plurimum commendandos esse duximus, prout hisce Nostris litteris commendamus. Confidimus autem, Te nova ingenitae ac consuetae Tibi pietatis argumenta hac occasione, eisdem perhibiturum esse; et Majestati Tuae fausta ac laeta omnia ex animo praecantes Apostolicam Benedictionem amantissime impertimur.

Datum Roma etc. die 30. Decembris 1698.

Armenorum Patriarcham, quod bene de Sancta Romana Sede sentiat, quod ad verae fidei sinum gentes suas contendat adducere, quod cum Rege Persarum de religionis negotio sedulo tractare aggrediatur, laudibus affert.

Venerabili Fratri Simeoni Patriarchae Armeniorum Siruaniae.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Venerabilis Frater, Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Litteras a Fraternitate Tua anno millesimo sexcentesimo nonagesimo quinto datas libenter sane perlegimus; nam in eis obsequii,

et devotionis in hanc Sanctam Sedem insigne studium non minus humiliter, quam religiose profiteris; quod etiam animo Tuo minime novum esse, verum pluribus abhinc annis veterum, et quidem praeclariorum Armenae gentis Antistitum exemplo, a Te susceptum, et accurate deinceps hucusque custoditum vehementius in dies augeri et inflammari declaras. Hos profecto mentis Tuae sensus Pontificiae charitatis affectu praecipuo complectimur, nec dubitamus, quin zelus tam eximius egregios fructus afferre, et vel magnam istius Gregis partem ad Ecclesiae Romanae Matris suae gremium, uberaque, benedicente Domino, revocare possit, ad quam profecto reditus eas calamitates, quas tamdiu lugetis, quousque discessus invexit, auferre, aut saltem minuere poterit. Quare ut in adeo pium, ac incomparabilis in utraque vita gloriae plenum opus toto pectore incumbas, Te etiam atque etiam, pro muneris Nostri debito, hortamur atque rogamus, ut ita tergemino illo praecepto, quod Fraternitas Tua in suis litteris commemorat, pro viribus pareamus, quo Dominus Noster Jesus Christus Principi Apostolorum Petri, cujus, licet immeriti, Sedem Divina Providentia obtinemus, animarum ejus praetiosissimo Sanguine redemptarum curam strictissime injunxit. Ceterum quemadmodum florentissimae quondam Ecclesiae istius afflictionibus ex intimo sensu cordis paterni compatimur, easque removeri, vel saltem leniri posse, plane vellemus; ita in hanc causam cuncta, quae pro Te et tempore poterunt, auctoritatis adjumenta conferre, numquam desinemus; nec sane deerit, si quovis modo spes aliqua bene gerendae rei affulserit, qui de mandato Nostro, uti exoptas, negotium cum Rege Persarum sedulo aggrediatur, eique litteras, et officia Nostra deferat. Interim laboribus, et votis piis tuis adjutorem, et Protectorem Omnipotentem Deum enixe praecamur; Tibique, Venerabilis Frater, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae etc. die sexta Junii 1698.

Vlasium Episcopum, gentemque suam Armenam benevolentia complectitur; suadetque, ut mala, quae populus sustinet, pro viribus levare conetur, et boni Pastoris munus adimpleat.

Venerabili Fratri Vlasio Episcopo Armeno.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Venerabilis Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Etsi Fraternitatis Tuae in Nos, et hanc Sanctam Sedem obse-

quii luculenta significatio Pontificio animo grata, et jucunda in primis acciderit; quia tamen res Armenorum orthodoxae olim Sanctitatis exemplis longe lateque florentes summopere Nobis cordi sunt, vestramque inclytam nationem plurimi, ut par est, facimus; non sine ingenti molestiae sensu litteras tuas legere potuimus, in quibus gravissimas, quibus nunc obsessi estis, miserias commemoras, et luges: pro praecipua siquidem paternae voluntatis charitate, qua universam Gentem vestram complectimur, ampla Vos rerum omnium secundarum abundantia cum totius pacis, et tranquillitatis prosperitate plane potiri vellemus; nec sane huic rei Nostrorum officiorum, et auctoritatis adjumenta, quae opportune fructuoseque poterunt, quemadmodum exoptas, impendere, ac misericordiarum Patrem Deum enixis precibus adire unquam omittemus. Quibus utique si partes vestras adjungere, conversis vere cordibus ad Dominum, serio volueritis, nihil erit, quod sperare non possimus ab eo, qui non minus dives est in misericordia, quam potens in operibus. Illud tamen omnino mentibus Vestris unice propositum, atque fixum esse debet, ut Sanctae huic Beati Petri Apostolorum Principis Cathedrae constanter usque adhaerere studeatis, nec in devios errores abduci ullo modo in posterum patiamini. Age igitur, Venerabilis Frater, et in Pastorali vigilia, ut debes, diligenter excubans, Populis istis salutare, et Sanctum ejusmodi remedium, qua pro consequenda verae vitae gloria necessarium, qua pro temporalibus etiam, quibus anguntur, calamitatibus sublevandis proficuum fidenter exhibere, ac pro viribus urgere ne desinas, certus nihil a Te fieri posse, quo majori cum laude bonorum omnium, nedum benevolentiam Nostram, sed Omnipotentis Dei voluntatem et protectionem magis demereri queas; Tibique Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae die 6. Junii 1698.

Britanniae Catholicorum calamitatibus condolet, et postquam eleemosynarum largitate tulerit opem, praesules universos hortatur, ut illis succurrant, quos Religionis amor fecit egenos.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Venerabiles Fratres, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Quo loco posita sit, et quam graviter afflicta Catholicorum conditio in Magnae Britanniae Regno, Fraternitates Vestras satis, su-

perque compertum habere non dubitamus; illorum praesertim, qui ex Hybernia, odio Religionis, expulsi, exules, et extorres ubique suae constantiae quidem, sed et calamitatis insimul testimonia circumferunt. Quas enim aures non implevit miserorum clamor? Ubi primum ad Nos luctuosa delata vox est, paternae charitatis Nostrae viscera penetravit, et commiserationis sensus commovit usque adeo, ut dolore cordis Nos intrinsecus tacti ingemiscere nunquam destiterimus: Illis idcirco qua lacrymis, precibusque ad Patrem Misericordiarum effusis, indictis etiam publicis supplicationibus, qua officiosa contentione apud Principes, qua denique eleemosynarum largitate aut opem tulimus, aut imploravimus. Verum nec eorum necessitati, nec pietati Nostrae erga illos factum satis arbitramur, nisi etiam Vestrum omnium animos excitemus; ne tepiditatis Nostrae culpa fervor charitatis Vestrae tepescat. Postquam itaque Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus in Consistorio congregatis suasores viva voce facti sumus, ad Vos verba convertimus; obsecrantes in Domino, ac plurimum admonentes, ut veluti Patresfamilias amantissimi Ecclesiae filios adeo de Nostra Religione benemeritos, tot injuriis oppressos, tanta persecutionis tempestate agitatos, et poene submersos sublevetis, ac membra Christi jam famae, et aerumnis fere mortua revocetis ad vitam, ea illis subministrando, quae de Vestra substantia supersunt. Infelicissimi sane essent ad probrum Nostrum, si ideo essent magis calamitosi, quod fuerint in fide tuenda firmiores. Nec id tantum postulat a Vobis charitas Nostra; sed eadem Religionis professio, ipsarum miseriarum eloquium, ac demum sublimis vestri muneris ratio, in Vestram dignitatem oculos tendunt ceteri homines eadem vestigia sequuturi. Pudendum plane foret, ac abjectionis extremae, si Orthodoxorum pietas esset exemplo Haereticorum invitanda, ac forsitan etiam superaretur. Illos audivimus, pro suis, qui e patriis finibus vagantur, pecuniam colligere. Numquid ergo inter filios tenebrarum sola virtutis species magis elucescet, quam solida, ac vera virtus beneficentiae inter filios lucis? Absit a Vobis hoc dedecus, ut ex mammona iniquitatis profusior sit Haereticorum munus, quam ex Christi patrimonio liberalitas Catholicorum, quibus datum est thesaurizare thesauros non deficientes in Coelis. Nos equidem quantum per imminutas tot oneribus Aerarii vires licuit, usque in praesentem diem exulum praedictorum causam egimus opere, et sermone; nec strenue agère in posterum desinemus. Decebat sane solicitudinis Nostrae exemplum praecedere. Illud sancta emulatione decet etiam Vobis imitari. Aemulamini itaque, Venerabiles Fratres, opus perfectum; ea spe freti, quod si beatus est, qui intelligit super egenum et pauperem, quanto magis beatus, qui misereretur illorum, quos pauperes fecerit amor Religionis? Cujus studium in cordibus Vestris augeri desidera-

mus per Apostolicam Benedictionem, quam Vobis interim, Venerabiles Fratres, peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die sexta Junii 1699. Pontificatus Nostri Anno octavo.

Ulysses Joseph Gozzadinus.

Bullae, et Romani Pontifices, qui conservandis sanctis Hierusalem locis animum adjecerunt per praecones verbi Dei eleemosynas commendando recensentur, quaeque ab illis hac super re decreta sunt, a Clemente XI. confirmantur.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Bullas diversorum Summorum Pontificum quilibet Praelatus in virtute Sanctae Obedientiae tenetur in anno commendare quaestus pro locis Terrae Sanctae, et excommunicantur, excommunicatione Papae reservata, omnes cujusvis gradus, status, conditionis, et sexus, qui eleemosynas dictae Terrae Sanctae impediunt, detinent, alienant, usurpant, occupant, seu convertunt in alios usus quantumvis pios. = Primo per Sixtum V. per suam Bullam, quae incipit, Nostri Officii Pastoralis. = Secundo per Paulum V., quae incipit, Caelestis Regis, qui pro humani generis redemptione. = Tertio per Gregorium XV., quae incipit, Exposito, quod in diversis Christiani orbis partibus. = Quarto per Urbanum VIII., quae incipit, Cum autem sicut pro parte Venerabilis Fratris Aegidii Patriarchae Hierosolymitani, et dilecti Filii Andreae de Arco Ordinis Minorum S. Francisci. = Quinto per Innocentium X., quae incipit, Salvatoris, et Domini Nostri, qui pro humani generis redemptione se ipsum exinanivit. = Sexto per Alexandrum VII., quae incipit, Piis Christifidelium votis, ex quibus Sanctorum locorum venerationem, et animarum salutem provenire conspicimus. = Septimo per Clementem IX., in Bulla ejusdem tenoris Alexandri VII. = Octavo per Clementem X. = Nono per Innocentium XI. = Decimo per Innocentium XII., quae est tenoris sequentis =

Salvatoris, et Domini Nostri, qui pro humani generis redemptione seipsum exinanivit, factus obediens usque ad mortem, vices licet immeritis in terris inter multiplices gravissimasque Apostolicae servitutis curas, in eam praecipue Pastoralis sollicitudinis vigilantia incumbimus, ut tanti, et tam salubris mysterii monumenta, quae in civitate Hierusalem, et locis circumvicinis sunt, conserventur, et

omni, qua fieri poterit, majori honorificentia recolantur. Cum itaque alias fel. rec. Urbano PP. VIII. Praedecessori Nostro exposito, quod Ecclesiastica, et alia loca pia in civitate Hierusalem, et aliis Terrae Sanctae existentia fere diruta erant, et quae adhuc ibi existebant monasteria aere alieno ob impiam Turcarum, Haereticorum, Schismaticorum tyrannidem, et pro Sanctae Fidei Catholicae in ejusdem locis conservatione contracto admodum gravata reperiebantur; idem Urbanus Praedecessor Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, et aliis locorum Ordinariis, necnon omnibus, et singulis quorumvis Ordinum, Congregationum, Institutorum Regularium Generalibus commiserit, et mandaverit, ut ad minus duabus vicibus quolibet anno, Adventus, et Quadragesimae temporibus, tam per verbi Dei Praedicatores in suis Sacris concionibus, quam in actionibus, et functionibus publicis, necessitates eorumdem Sacrorum monumentorum populi proponi, et commendari curarent, et facerent, et alias, prout in ipsius Urbani Praedecessoris litteris desuper in simili forma Brevis die 3. Februarii 1624. expeditis, quarum tenore praesentibus pro expressis haberi volumus uberius continetur; et sicut pro parte dilecti Filii Bernardi ab Ecclesia Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum Professoris, ac ejusdem Terrae Sanctae Commissarii Generalis, Nobis nuper expositum fuit, ipse quo praedictae Urbani Praedecessoris litterae, quae a rec. mem. Innocentio X., Clemente etiam X., Innocentio XI., Alexandro VII., ac Innocentio XII., Romanis Pontificibus Praedecessoribus pariter Nostris confirmata fuerunt, exactius observentur, illas per Nos pariter, confirmari et innovari desideret; Nos eorumdem Sacrorum monumentorum conservationi, et manutentioni consulere velentes, praedictas Urbani Praedecessoris litteras Apostolica auctoritate tenore praesentium confirmamus pariter, et approbamus, illasque innovamus, et observari mandamus. Volumus autem, ut Patriarchae, Archiepiscopi, et Episcopi praedicti in relatione Status Ecclesiarum suarum, quando visitabunt limina Apostolorum, facienda, referant se praedictis Urbani Praedecessoris, et praesentibus Nostris litteris paruisse, contrariis non obstantibus quibuscumque. Volumus insuper, ut earumdem praesentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii Publici subscriptis, et sigillo Personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 18. Novembris 1701. Pontificatus Nostri Anno primo.

Non è meraviglia che la terra di promissione (chiamata da Ezechiele, egregia inter omnes terras) sia stata in ogni tempo mirata da Dio per farla Teatro di tutti i più stupendi prodigj, massime nel tempo della grazia. Perchè destinò Nazarette all'Incarnazione del Verbo, Betlemme al nascimento, il Tempio alla Presentazione, Ca-

pharnao ai sermoni, e Samaria, ed i convicini paesi alle opere miracolose; alla Trasfigurazione il Taborre, al nascimento della Chiesa la Galilea, alla Istituzione del SSmo Sagramento il Sagro Monte Sion, alla Passione il Calvario, alla Risurrezione il Sepolcro, all'Ascensione l'Oliveto, alla Pentecoste il Cenacolo di Gerusalemme, e finalmente alla Valle di Giosafatte l'Universal Giudizio.

Ma perchè le nostre colpe l'hanno date nelle mani degl' immondi Maomettani, è stato necessario, che la Santa Madre Chiesa abbia usata diligenza particolare, acciocchè quei Santi luoghi non fossero profanati con farli moschee, e stalle: per lo che furono inviati li Frati Minori di S. Francesco, come Missionarj per tutto l'Egitto e Terra di promissione. Onde come il sangue di quei poveri Frati martirizzati, e con miracoli operati da Dio nel tempo del martirio, e con l'ajuto dei Sommi Pontefici si è introdotto nella sudetta Terra di promissione il Rito Cattolico Romano, e con il favore di Roberto di Aragona Rè della Sicilia, quale ottenne dal Sultano, che i Frati Minori di S. Francesco potessero liberamente abitare per tutto l'Egitto, Giudea, Samaria, Siria, Soria, con privilegio, che potessero officiare tutte queste Chiese, cioè Betlemme, Nazzarette, il S. Sepolcro, ed il Sacro Monte Sion con tutti gli altri devoti Oratorii; e questo seguì l'anno di nostra Salute 1304., con aggravio di soddisfare, e pagare annualmente i dovuti Dazj. Ma perchè l'avarizia e crudeltà Maomettana molto tirannica, non contente di quello, impongono insuperabili avanie, e perchè i poveri Frati non possono queste solvere, sono da essi crudelmente strapazzati con oltraggi, villanie, carcerazioni, ceppi, e percosse, fatti in sino morir di fame; come ancora i Greci Scismatici nemici nostri sono principal causa di tanta tirannia, perchè essi offeriscono nuovo denaro, ed astringono quei cani crudeli a percuotere i Frati, come si è accennato di sopra, non per altro effetto fanno questo, se non perchè quivi in Gerusalemme non ci vorrebbero nè sentire nè vedere il Rito Cattolico Romano, quale in faccia loro li Frati Minori di S. Francesco l'esercitano, lo difendono, e lo mettono in pratica.

Si supplican gl'Illmi, e Rmi Ordinarj, e Prelati di tutta la Cristianità, acciò si compiacciano ordinare, che nelle loro giurisdizioni si facciano le suddette Collette; ed eleggere uno dei suoi Canonici, o altro pio soggetto, acciocchè raccolga l'elemosine, e poi le voglia rimettere in Roma al Marchese Francesco Nunez Sanchez, Sindaco Generalé di Gerusalemme, a disposizione del P. Commissario Generale di Terra Santa, Fra Bernardo della Chiesa, Deputato a questo fine, per trasferirle alla S. Città di Gerusalemme, essendo questa la mente di Nostro Signore, acciò i Santi luoghi della nostra Redenzione siano ajutati con il dovuto soccorso, come abbiamo accennato.

E sappiano i devoti Benefattori, che sono fatti partecipi di tutti

i beni, cioè, orazioni, digiuni, discipline, peregrinazioni, Divini Officj, e Messe, che si celebrano in diecinove Conventi, cioè in Gerusalemme, S. Salvatore, ed il S. Sepolcro; nella Palestina, Gaza, e Rama; nella Giudea, Betlemme, e S. Giovanni; nella Galilea, Nazaret, ed il Monte Tabor; nella Siria, Aleppo, Scandrona, Tripoli, Damasco, Sion, e Tolomaida; in Egitto nel gran Cairo, ed Alessandria; in Cipro, Nicosia, ed Arnica, ed altro in Costantinopoli con tutte le altre opere meritorie fatte da quei Religiosi nei luoghi, dove Cristo Nostro Signore operò i misteri della nostra Redenzione.

Ecclesiae Patriarchali Antiochenae Carolus Thoma Maillard de Tournon praeficitur, et Visitator Apostolicus ad Indos, et Sinas cum potestate etiam Legati a latere destinatur.

CLEMENS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Dilecto Filio Carolo Thomae Maillard ex Marchionibus de Tournon electo Antiochen. Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Onerosa Pastoralis officii Nobis, licet immeritis, Divina dispositione commissa sollicitudo requirit, ut inter cetera, quae undique confluunt negotia, quibusve Noster animus redditur multiplici varietate distractus, ad provisionem Ecclesiarum quarumlibet praesertim Patriarchalium, quae vacationis incommoda deplorare noscuntur, solertius intendamus, ut eis, cum vacaverint, Pastores accedant idonei, et ministri providi deputentur, qui Ecclesias ipsas, non solum gubernent utiliter, sed etiam multimodis efferant incrementis. Dudum siquidem provisiones Ecclesiarum omnium, etiam Patriarchalium tunc vacantium, et in posterum vacaturarum ordinationi, et dispositioni Nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum, et inane si secus super his per quoscumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Postmodum vero Patriarchali Ecclesia Antiochena, quae in partibus Infidelium consistit, et cui bo. mem. Michael Angelus Matthei ultimus illius Patriarcha, dum viveret, praesidebat, per obitum ipsius Michaelis Angeli Patriarchae, qui in Romana curia debitum naturae persolvit, Pastoris solatio destituta; Nos ad provisionem ejusdem Ecclesiae celerem et felicem, in qua nullus praeter Nos hac vice se intromittere potuit, sive potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne Ecclesia ipsa lon-

gae vacationis exponatur incommodis, Paternis, et sollicitis studiis intendentes, prout deliberationem, quam de praeficiendo eidem Ecclesiae personam utilem, ac etiam fructuosam cum Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus habuimus diligentem, demum ad Te Presbyterum Taurinen. I. U. D., et in Theologia Magistrum, Cubicularium Nostrum ad honores, Fidem Catholicam expresse professum, omniaque alia requisita habentem, qui, ut accepimus, de nobili genere procreatus existis, cuique apud Nos ob grata familiaritatis obsequia, quae Nobis hactenus impendisti, et adhuc sollicitis studiis impendere non desistis, de nobilitate generis, litterarum scientia, vitae munditia, honestate morum spiritualium providentia, et temporalium circumspectione, aliisque multiplicibus virtutum donis fide digna testimonia perhibentur, direximus oculos Nostrae mentis, quibus omnibus debita meditatione pensatis, Te a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, Ecclesiae Antiochen. praefatae de persona Tua Nobis, et eisdem Fratribus Nostris ob Tuorum existentiam meritorum accepta, de Fratrum eorumdem consilio Apostolica auctoritate providemus, Teque illi in Patriarcham praeficimus, et Pastorem, curam, regimen, et administratorem ipsius Ecclesiae Antiochen. Tibi in spiritualibus, et temporalibus plenarie committendo, firma fide, fiduciaque conceptis, quod dextera Domini Tibi assistente propitia, praedicta Ecclesia Antiochen. sub Tuo felici regimine regetur utiliter, et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus, et temporalibus suscipiet incrementa. Jugum igitur Domini Tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens, curam, et administrationem praefatas sic exercere studeas, sollicite, fideliter, et prudenter, quod Ecclesia ipsa Antiochen. Gubernatori provido, et fructuoso administratori gaudeat se commissam, Tuque praeter aeternae retributionis praemium, Nostram, et Apostolicae Sedis benedictionem, et gratiam exinde uberius consequi merearis. Nos enim Tibi, donec Ecelesia praedicta Antiochen. ab Infidelibus detinebitur, ad illam accedere, et apud eam personaliter residere minime tenearis Apostolica auctoritate praedicta indulgemus. Praeterea Te in Visitatorem Apostolicum in Sinarum, aliisque Indiarum Orientalium Regnis cum potestate etiam Legati de latere destinamus. Nec non ut statum Tuum juxta pontificalis dignitatis exigentiam decentius tenere valeas, motu proprio, non ad Tuam, vel alterius pro Te Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia, meraque deliberatione Nostris, Tecum quod etiam postquam in vim provisionis, et praefectionis praedictarum pacificam possessionem, seu quasi possessionem regiminis, et administrationis dictae Ecclesiae Antio-

chenae, et illius mensae Patriarchalis bonorum, seu majoris partis eorum assecutus fueris, et munus consecrationis susceperis una cum eadem Ecclesia Antiochena, quamdiu illi praefueris, omnia, et singula Beneficia Ecclesiastica, Saecularia, et quorumvis Ordinum Regularia, quae in titulum, commendam, vel administrationem, aut alias quomodolibet obtines, ac pensiones annuas super fructibus, reditibus, et proventibus Ecclesiasticis, quas percipis, ut prius quoad vixeris retinere, et obtinere, ac percipere, et de illis disponere libere, et licite possis, Apostolicis, ac Conciliorum etiam Generalium constitutionibus, et ordinationibus, nec non dictae Ecclesiae Antiochenae aliisque quibusvis etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscumque, nequaquam obstantibus, Apostolica auctoritate praedicta earumdem tenore praesentium de specialis dono gratiae dispensamus. Decernentes propterea eadem Beneficia non vacare, neque pensiones hujusmodi cessare aut extinctas esse, irritum quoque, et inane si secus super his a quoquam quavis actoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Volumus autem, quod Beneficia praedicta debitis propterea non fraudentur obsequiis, et animarum cura, si quae illis immineat, nullatenus negligatur, sed eorum congrue sopportentur onera consueta.
Datum Romae apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicae nonis Decembris 1701. Pontificatus Nostri Anno primo.

Petro Lusitaniae Regi gratulatur, quod majorum suorum virtutes aemuletur, eique Patriarcham Antiochenum Carolum Thomam de Tournon ad Indos, et Sinas proficiscentem commendat.

Charissimo in Christo filio Nostro Petro Portugalliae, et Algarbiorum Regi Illustri.

CLEMENS PAPA XI.

Charissime in Christo Fili Noster, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Etsi libenti semper animo paternae Nostrae charitatis officia erga majestatem Tuam usurpemus, alacrius tamen utimur in praesens occasione significandi Tibi ea, quae pro amplificando, ac firmius constabiliendo apud populos longe terrarnm intervallo hinc dissitos divini nominis, et Christianae Fidei cultu, Pontificia Nobis sollicitudo dictavit; probe enim scimus, quantum Tibi, majoribusque Tuis

inclytis Regibus, tum apud Deum promeriti, tum in Ecclesia laudis collata in hunc ipsum scopum propagandae veritatis studia comparaverint. Dei itaque gloria, et animarum salute unice Nobis proposita, decrevimus ad Orientales Indorum partes, praesertim vero ad amplissimas Sinarum Provincias, in quibus jam Divini verbi semen, longo, et constanti Evangelicorum ministrorum labore sparsum germinavit, operarios prope diem discessuros mittere, qui uberem illam messem, quam Deus Nobis proponit, expurgare ab innatis forte zizaniis, et caelestibus horreis satagant inferre. Ad hoc munus obeundum delegimus Ven. Fr. Carolum Komam Patriarcham Antiochenum Praelatum Nostrum domesticum, et assistentem, quem ob singularem pietatem, et eximiam in sac. potissimum rerum studiis eruditionem, atque doctrinam, idoneum ad gerendas demandatas ei a Nobis. Visitatoris Apostolici partes, fore in Domino judicavimus. Huic autem viros quosdam zelo pariter, et scientia praestantes adjunximus, ut omnes, quantum desuper unicuique eorum dabitur, in tam pium opus, abjecta omnium terrenarum rerum cura, ac cognitione indesinenter incumbant. Superest, ut pro ea spe, quam in spectata animi Tui religione merito constituimus, a Te expectamus, ut valida auctoritate Tua praefato Antistiti, ac memoratis viris adesse velis, ut particeps mercedis magnae minis, quam praeparavit Deus diligentibus se, efficiaris, et praecipuo hoc filialis in hanc S. Sedem observantiae testimonio demerearis Pontificiam Nostram benevolentiam, quae hoc etiam nomine nunquam deerit Majestati Tuae, cui Apostolicam Benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae etc. die 8. Januarii 1702. etc.

Visitatorem Apostolicum, eumque Legatum a latere Carolum Thomam de Tournon ad Sinas proficiscentem commendat, petitque, ut iis animi significationibus excipiat, quae tanto viro, talique muneri convenire videantur.

CLEMENS PAPA XI.

Venerabilis Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Cum nemo eorum, qui verum Deum per veram fidem agnoscunt, magno quamvis intercedente terrarum spatio, tam dissitus loco a Nobis sit, quin paterno Nostro cordi charitate proximus efficiatur; Nos ut Christifidelibus in remotissimis Indiarum partibus commorantibus prospectum sit, quam peculiari et intima dilectione eos

complectamur, et quam cupiamus spiritualibus eorum necessitatibus occurrere, Visitatorem Apostolicum cum potestate Nostri, et hujus Sanctae Sedis de latere Legati, deputavimus Venerabilem Fratrem Carolum Thomam Patriarcham Antiochenum, tot sane virtutibus, praeter generis praestantiam, ornatum, quot opus esse intelleximus ei, qui tantum munus Nostro nomine istic obire debet. Nec ambigimus quin fraternitas Tua Nostro innixa judicio, idem prorsus de eo sentiat, reipsa perceptura, ubi ejusdem Patriarchae integritatem, pietatem, doctrinam, atque prudentiam introspexerit. Hinc est, quod libenter a Te petimus, ut ipsi ope Tua, omnique studio, et iis, quibus par est obsequentis Nobis, et devoti huic Sanctae Sedi animi significationibus adesse cures in lustranda ista Provincia, perspectae Tuae vigilantiae commissa, juxta praefatum munus, quod ei demandavimus, et per amplas facultates, quibus eum communivimus. Cum enim probe sciamus, quo zelo Divini cultus incrementa, et animarum lucra nullo labore, nullo etiam molestiarum, aut injuriarum aspectu territus inquiras, a Te omni fraterni amoris officio exceptum iri confidimus eum, qui pari studio incensus Dei gloriam difficultatibus omnibus, atque periculis, voto, ac voci Nostrae alacriter obsecutus, praeposuit. Dum autem ab eo de Nostra in Te benevolentia certior fies, vicissim cupimus, ut fidenter ipsi explices ea omnia, quae tum Tibi, tum istarum Missionum utilitati, tum demum expedire duxeris ad augendam semper magis inter eos, qui in illis partibus ministerio Dei incumbunt, fraternam charitatem, a qua magna ex parte pendere fructum optatum arbitramur. Et Fraternitatis Tuae Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 20. Junii 1702. Pontificatus Nostri Anno secundo.

Petro Lusitaniae Regi circa Sinensium ritus se a Praedecessorum suorum Romanorum Pontificum instituto non recessurum, in eosque jam suum animum intendere significat.

Charissimo in Christo Filio Nostro Petro Portugalliae, et Algarbiorum Regi Illustri.

CLEMENS PAPA XI.

Charissime in Christo Fili Noster, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Confidere omnino debet pro sua in Nos, atque in hanc Sanctam

Sedem filiali observantia Majestas Tua, Nos in causa, quae agitur circa Sinensium ritus nullo modo recessuros esse ab instituto Praedecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum, qui in similibus controversiis nullam, quoad maturam rei inspectionem diligentiam praetermittere consueverunt, ferendi vero judiciis rationem a Patre luminum saepius consulto, ac exorato expetendam, expectandamque esse intellexerunt. Quod quam Nobis propositum sit, vel ex eo facile constare potest, quod quamvis satis compertum habeamus, quam accurato examine haec ipsa causa sub fel. rec. Innocentii XII. Praedecessore Nostro expensa fuerit, Nobis tamen ad Apostolicum munus subinde evocatis visum est cogitationes, atque consilia Nostra in eumdem scopum conferre, ipsamque controversiam ulteriori discussione subjicere, ut demum Deo Auctore, cujus opem humiliter exposcimus, et praestolamur, id quod Ecclesiae bono animarum saluti expedire docebimur, proficere valeamus. Majestati itaque Tuae, quam in sollicitudine Nostra conquietaturam esse non ambigimus, in hoc praesertim negocio, quod nullo partium studio, nullo officiorum genere urgeri potest, auspicium uberis felicitatis deferimus, et Apostolicam Benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae etc. die 9. Decembris 1702. etc.

Dissidia in Hollandia, et conterminis provinciis per Archiepiscopi Sebasteni a Vicariatus Apostolici officio suspensionem sedare contendit, et quid agere, et cui obtemperare, et a quibus cavere et populus, et clerus teneatur, hortatur, et mandat.

CLEMENS PAPA XI.

Dilecti Filii, Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Illius vices, licet immeriti, gerentes in terris, qui transiturus ex hoc mundo ad Patrem, pacem, quam nascendo nunciaverat, Ecclesiae suae velut testamento reliquit, in eam maxime curam incumbimus ut Catholici omnes iique praesertim, qui in sejunctis ab hac Sede regionibus constituti, ab omni specie mala cavere diligentius debent, remotis dissensionum fomentis, ea quae pacis sunt studiose sectentur, quive in unitate ejusdem Fidei consentiunt, concordiae quoque et charitatis vinculo conjugantur. Quamobrem turbarum ac dissidiorum mala germina, quae in Hollandicis Missionibus jampridem exorta, succrescere non sine gravi Paterni Nostri cordis amaritudine depraehendimus, resecare atque etiam favente Domino prorsus eradicare cupientes; Venerabili Fratri Nostro Petro Archiepis-

copo Sebasteno, justis gravibusque de causis a Vicariatus Apostolici Officio quod obtinebat, suspenso, Provicarioque interim, donec ab eadem Sede aliter provideretur, in ejus locum subrogato, nulli alteri Provicariatus, Archipresbyteratus aut Assertorum Capitulorum, ut vocant, Assessoratus seu cujusvis alterius muneris; aut officii obtentu, Pastores, Missionarios, Deservitores, atque alios quoscumque ad animarum curam Sacramentorumque administrationem, etiam praetextu necessitatis, constituendi, ac deputandi facultatem ullam competere declaravimus: et nihilominus ad abundantiorem cautelam et quatenus opus esset, omnes et singulas Deputationes supradictorum officiorum nomine forsitan, ut supra factas, cum omnibus inde secutis prorsus irritas, ac nullius roboris vel momenti esse decrevimus. Omnibus propterea Clericis Missionum praefatarum Apostolica Auctoritate, et sub excommunicationis ipso factu, ac absque ulla alia declaratione incurrenda poena districtus inhibentes, ne in illarum spirituali Regimine se ingerere quovis pacto auderent, aut praesumerent. Nunc vero, ut quod paucis denunciatum est, omnibus istarum Regionum Catholicis plenius innotescat, nullusque amplius de Pontificia voluntate Nostra ambigenti supersit locus, ea de re Vos omnes, Dilecti Filii, per praesentes litteras duximus admonendos, de Vestra quidem eximia pietate constantique erga Apostolicam Sedem obedientia plane confisi, nullam in posterum apud Vos fidem aut aditum inventuros paucos illos Ecclesiae simul atque Reipublicae turbatores, qui subdolis artibus falsisque narrationibus candidosque animos Vestros decipere, aut etiam si possent in errorem abducere conati sunt. Sinite illos, Dilecti Filii, quia caeci sunt, atque utinam non excaecaverit illos malitia eorum. Ostendite Vos veras Christi oves esse; quae Supremi in terris Pastoris ab eodem Domino constituti monitis obsequuntur, et non audiunt vocem alienorum. Alieni profecto sunt, qui dum gregem Dei dividere tentant, mactare potius, ac perdere, quam custodire velle deprehenduntur. Ostendunt illi quidem exactioris disciplinae speciem, ac de rigidioris Theologiae sibi fama blandiuntur; quales vero animo sensus foveant, quave mente colliment quicumque sapiens rerum aestimator facile judicabit certissima illa, qua Nos ad eos, qui veniunt in vestimentis ovium, dignoscendos, Salvator Noster instruxit, adhibita regula, *a fructibus eorum cognoscetis eos.* Quis enim, ut cetera taceamus, tot hac in causa ab iis editos libellos videat jurgiis, maledictis, mendaciis, calumniis, apertaque in Apostolicam Sedem irreverentia, ac temeritate undequaque scatentes, quos magno vel ipsis heterodoxis scandalo fuisse comperimus, quin statim agnoscat, quam longe illorum auctores, defensoresque a Spiritu Dei sunt, qui non est dissensionis Deus, sed pacis, quam longe a sincera Christi charitate, quam adeo verbis praedicant, factis destruunt; quam longe demum a verae humilitatis, et obedientiae, quae ceterarum virtutum fundamenta sunt,

tramite, dum adversus ipsam B.Petri Sedem, Christianorum omnium Matrem ac Magistram, caput attollere ejusque mandatis obviam ire, quin imo et potestatem convellere, et palam impetere non erubescunt. Vos autem, Dilecti Filii, non sic, sed in accepto a majoribus Vestris pietatis instituto perseverantes, quem Religione profitemini, Sanctae Romanae Ecclesiae principatum propterea, ut vere Catholicos decet, obedientia comprobate. Neque enim Vobis, nisi pro vestra utilitate, praecipimus, nec temporalia Vestra quaerimus, sed spiritualia Vobis charismata comparamus.

Quod vero ad Praelatum Archiepiscopum Sebastenum attinet, cum repetitis multorum officiis, atque etiam enixis Dilecti Filii Theodori De Cock a Nobis, ut praefatur, Provicarii constituti, precibus urgeremur, ut illi in Hollandiam redeundi potestas fieret, asserentibus cunctis, id quoque a saecularibus Magistratibus de restituendo, ut aiebant, in Patriam proprio cive sollicitis vehementer optari; Apostolica potius indulgentia, quam districtiori Canonum censura usi, discedendi non modo veniam, sed et mandatum ante duos fere menses ipsi ultro dedimus. Eidem vero, cum se pararet itineri, ad Nos nuperrime venienti paterne simul, ac perspicue animi Nostri sensus, ita explicavimus, ut licet novi istarum partium Vicarii Apostolici deputationem diutius adhuc Nos deferre contigeret, ipse tamen spem omnem ejusmodi munus, quod ei non nisi ad hujus Sanctae Sedis beneplacitum demandatum fuisse reperiebatur, et a quo subinde sicut praemittitur, suspensus fuerat, in posterum exercendi sibi penitus sublatam esse, non obscure intelligeret; ita siquidem re satis superque discussa, auditoque plurium Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Consilio, spirituali istarum Missionum bono magis congruere in Domino censuimus. Praeterea eidem injunximus, ut fautores suos ab omni contentione, et aemulatione, sui potissimum causa suscitatis, curaret avertere: offensiones omnes, querelas, ceterasque terrenas sapientium rationes ingenito hominibus proprii commodi studio jugiter suggerente, minime defuturas, uno hoc effato Apostolico compescendo: *Obedite Praepositis vestris, et subjacete eis; ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.*

Haec omnia, Dilecti Filii, Vobis similiter innotescere necessarium duximus, ut quicumque apud Vos Catholicorum nomine censeri volunt, non sint, sicut parvuli, sed sciant quem Pastorem in via Domini sequi, et ejus mandatis parere teneantur. Satagite igitur, ut qui recte credendi gratiam a Domino consecuti estis, bonorum operum, et praecipue charitatis, humilitatis, et obedientiae fructibus eidem Domino respondeatis. Frustra enim fuerit Catholice credidisse, suis ceterarum quoque virtutum suffragio reportetis finem fidei Vestrae salutem animarum, idque ut facilius assequamini supremum misericordiarum Patrem, pro muneris Nostri debito, pa-

ternoque, quo Vos complectimur amore, precari non desistemus, et Apostolicam interim benedictionem Vobis ex animo impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 7, Aprilis 1703. Pontificatus Nostri Anno tertio.

Aethiopiae Regi gratulatur, quod se gentemque suam ad unitatem cum Ecclesia Romana referre meditetur. Ut consilium perficiat, hortatur. Patrem Josephum ab Hierusalem, quem suum constituit Ablegatum, commendat, et ut quaedam pretio operis existimanda munuscula grate habeat, precatur.

Illustri ac Potentissimo Regi Aethiopiae

CLEMENS PAPA XI.

Illustris, ac Potentissime Rex, Salutem, et lumen Divinae Gratiae.

Omnipotenti Deo, qui fons est, et origo bonorum omnium, in humilitate cordis Nostri gratias egimus, ubi litteras Celsitudinis Tuae accepimus a Dilecto Filio Religioso viro Josepho a Hierusalem Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci strictioris Observantiae, eodemque Interprete, et multa de Te Nobis ingenti cum laude referente, cognovimus praeclarum desiderium, quod foves nedum amplectendi veram, ac sinceram cum hac Sancta Romana Ecclesia in professione et cultu Christianae Fidei unitatem, sed ad eam ineundam inducendi exemplo, et auctoritate Tua amplam istam Nationem, hoc ipso nomine olim celebrem, quia haustam ab ipsis primordiis Ecclesiae Catholicam veritatem fideliter custodivit. Credere sane par est Deum ipsum auctorem Tibi fuisse tam salutaris Consilii, ut eo per Te alacriter suscepto fluant super caput Tuum caelestis misericordiae divitiae. Monitis itaque supernis absequi ne differas; decet enim ut quando in excelso terrenae dignitatis solio constitutus ad multos late populos Tui nominis auctoritatem protulisti, conversis in caelum oculis, ad veram, atque mansuram felicitatem aspires. Frustra vero tantum bonum assequi contendes, nisi Deo placere satagas consentiendo in his, quae ad aeternam salutem pertinent, cum hac Sancta, et Apostolica ipsius Ecclesia, quae traditum sibi ab eo verae Fidei depositum fideliter semper servavit, et servat, fuitque antea, estque modo, et erit perpetuo omnium per Orbem Ecclesiarum vera, et unica Mater, ac Magistra. Cum itaque Nos, nullis quidem meritis Nostris, sed Dei ipsius ordinatione, regimen ejusdem Ecclesiae obtineamus, et ad obeundum

per totum Christianorum Orbem Universalis Pastoris munus vocati simus, libenti animo, et omni charitate amplectimur Celsitudinem Tuam probe inclinatam, hortantes, et obsecrantes Te per nomen Domini Nostri Jesu Christi, cujus vices in terris gerimus, ut inita praefata unitate, eaque ad Tuas ditiones, ac Regna, quam citius fieri poterit propagata, properes ad salutem. Curare autem potissimum debes, ut subditi Tui documentis Fidei Christianae recte instituantur, ut quae aut per longam annorum seriem de primaeva veritate istic exciderint, aut per quascumque rerum vicissitudines adversus eam inducta fuerint, sublato omni errore, ac falsitate, ad puritatem, et receptam ab hac veritatis Cathedra intelligentiam reducantur. Quod ut feliciter cum Dei ope perfici possit, iterum istic mittimus cum nonnullis sociis praefatum Religiosum virum Josephum ob singularem integritatem, ac pietatem Nobis admodum gratum, atque probatum, qui quidem omnes incensi zelo honoris Dei, pro cujus amore terrena quaeque a se abdicarunt, optime autem in praeceptis Evangelicae doctrinae versati, satagent Populos istos erudire ea lenitate, atque mansuetudine, quae publicarum rerum ordinem, ac statum nullo modo perturbare possit. Gratissimum propterea Nobis erit, si eumdem Josephum veluti Ablegatum Nostrum, aliosque ejus socios non sua, sed quae Christi sunt, quaerentes, nullique lucro, praeterquam animarum, inhiantes, benigne exceperis tamquam eos, quos Successor Principis Apostolorum, caput Ecclesiae, et Christi Vicarius istuc misit ad afferendum Tibi, ac Regno Tuo spirituale bonum, et ad detergendam omnem maculam mentibus hominum fortasse inspersam, quae in ipsis candorem Fidei inficere quoquomodo potuerit. Ut autem aliquale pignus amoris Nostri ad Te perveniat, nonnulla munuscula saepe memorato Josepho tradidimus, quorum quaedam ad tuendam, aut reparandam corporis incolumitatem valde proficua dijudicantur, ac pretiosa habentur, ut intelligas Nos dum cordi in primis habemus spiritualem Tuae animae salutem, quae profecto longe maximi momenti est, temporalis etiam rationem habere; quaedam vero raritate et industria potius operis, quam suo pretio aestimanda, quae Nostro nomine ad Te deferentur. Deum interim enixe precari non omittemus, ut Tibi sit liberalis ejus luminis, per quod ad perfectam Catholicae veritatis agnitionem ipse devenias, ac Tecum eos, qui Tibi subsunt, in gremium amantissimae Matris Ecclesiae deducas; et Celsitudinem Tuam diu laetam, et sospitem esse peroptamus.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 8. Martii 1704. Pontificatus Nostri Anno quarto.

Israelem Ory Persarum Regi commendat. Quod a Regiis Praefectis Christianae Religionis cultores male habeantur, se aegre ferre significat; quorum licentiam ut compescat, expostulat, petitque, ne in Regno suo innocentes plecti patiatur.

Illustri, ac Potentissimo Regi Persarum

CLEMENS PAPA XI.

Illustris ac Potentissime Rex, Salutem, et lumen Divinae Gratiae.

Decet sane, ut quoniam Nos propensa sumus voluntate erga Celsitudinem Tuam, multique facimus praestantiam Tuorum decorum, et spectatas animi Tui dotes, mutua a Te referamus humanitatis officia, eorum commodo, quos dignos Nostra apud Te commendatione censemus. Cum itaque Dilectus Filius Israel Ory singulari, qua praeditus est, morum integritate, atque honestate, fide quoque, atque prudentia Pontificiam Nostram charitatem peculiariter demeruerit, illum istuc proficiscentem hoc Nostro favorabili judicio, ac testimonio communire voluimus, quo Tibi declaramus gratum prorsus Nobis fore, si eum intuitu Nostro libenter exceperis, benigne audiveris, ac juveris, in his quae aequitati, ac rationi consona a Te expostulabit. Qua occasione facere non possumus, qui Tibi aperte explicemus grave admodum, atque molestum Nobis, ac ceteris Christianis Principibus esse, quod a nonnullis eorum, qui Tuo nomine praesunt Provinciis amplissimi istius Regni, male habeantur indigenae incolaeque Christiani, quorum non exigua pars cum se insidiis, atque calumniis indesinenter appeti in istis partibus senserit, libertatem, atque tranquillitatem rebus, atque fortunis praeferre maluit, et a Tuo Regno abscedere, perfugium apud alios Principes quaerere curavit. Quae res praeter quam juribus, ac rationibus Tuis valde obest, nullo modo confert ad commendationem Tui nominis, animosque, ut diximus, Principum, ac Regum, quibus cum veteres Tibi intercedunt amicitiae, a Te non parum avertit; aegre enim ferunt contemni istic, atque odio haberi illam ipsam Religionem, quam utpote unice Deo gratam, hominibusque salutarem, ipsi profitentur. Etsi autem Nos recte de Te sentientes persuasum habeamus, haec omnia non modo injussu Tuo, sed imo Te forte inscio, aut saltem falsis adversus Christianos ipsos criminationibus praeoccupato, acta fuisse (cur enim patereris plecti innocentes, qui justi, mitisque Regis laudem appetis?); ad tuendam tamen Tuae aequitatis famam oportet, ut palam compescas Tuorum licentiam, ita ut omnibus innotescat, tutum esse in Tuis ditionibus commorari omnibus iis,

qui justis legibus obsequi parati sunt, cujusmodi certe est Christianorum hominum institutum. Rati interim debitum pondus apud Te habitura esse consilia, quae ex Pontificia charitate, et sincero Nostro corde proficiscuntur, iterum iterumque eumdem Israelem, qui fusius sensus Nostros explicabit, Tibi commendamus, et Celsitudini Tuae ab Omnipotenti Deo veram salutem, quae sine ipso esse non potest, apprecamur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 15. Julii 1705. Pontificatus Nostri Anno quinto.

Declaratio nullitatis cujusdam Edicti sub nomine Fratris Augustini ab Annunciatione, Archiepiscopi Goan. contra Jurisdictionem, Auctoritatem, ac Dignitatem R. P. D. Caroli Thomae Patriarchae Antiocheni Commissarii, et Visitatoris Apostolici in Sinarum, et aliis Indiarum Orientalium Regnis promulgati, necnon omnium inde secutorum, et quandocumque secuturorum, cum illorum revocatione, annullatione, et cassatione.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Cum Nos alias pro commisso Nobis Divinitus Apostolicae servitutis munere, etiam ad remotissimas ab hac Sancta Sede regiones Pastoralis vigilantiae Nostrae curam extendentes, per quasdam Nostras in simili forma Brevis litteras Venerabilem Fratrem Carolum Thomam Patriarcham Antiochenum Nostrum, et Apostolicae Sedis Commissarium, et Visitatorem in Sinarum, et aliis Indiarum Orientalium Regnis, cum potestate etiam Nostri, et ejusdem Sedis de Latere Legati, ac diversis, et amplissimis facultatibus constituerimus, et deputaverimus, et alias, prout in praefatis Nostris die 4. Julii 1702. expeditis litteris, quarum tenorem praesentibus pro expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur. Et (sicut nuper non sine gravi animi Nostri dolore accepimus) postquam idem Carolus Thomas Patriarcha Commissarius, et Visitator in Dioecesi Meliaporen. debita, ut par erat, reverentia a Venerabili pariter Fratre Gaspare Alphonso Episcopo Meliaporen. recognitus, et exceptus fuerat, ac iustis, et rationabilibus causis adductus, censuras quasdam Ecclesiasticas in eadem Dioecesi contra nonnullos Regulares promulgaverat, Edictum quoddam sub nomine Venerabilis etiam Fratris Augustini ab Annunciatione die 22. Decembris 1704. editum prodierit, et subinde in quibusdam Oppidorum, seu

Locorum Madraspatani, et Pudicherii Ecclesiis, et forsan alibi publicatum fuerit, quo sub vanis, frivolis, falsis, ac prorsus insubsistentibus praetextibus censurae praedictae ab eodem Carolo Thoma Patriarcha, Commissario, et Visitatore, sicut praemittitur, promulgatae, inaudito ausu nullae declarantur, ipsique Regulares ad Sacramentorum Ecclesiasticorum administrationem admittuntur, necnon omnibus, et singulis tam Ecclesiasticis, quam Laicis mandatur, ne ipsi Carolo Thomae Patriarchae, Commissario, et Visitatori obediant, aut dictas censuras revereantur, ac insuper eidem Carolo Thomae Patriarchae, Commissario, et Visitatori, inverso sane poenarum per Canonicas Sanctiones irrogatarum usu, sub excommunicationis poena inibetur, quominus Jurisdictionem suam libere exerceat, aliaque temere praecipiuntur, atque ordinantur in gravissimum Apostolicae Auctoritatis, qua idem Carolus Thomas Patriarcha, Commissarius, et Visitator Nostro, et dictae Sedis nomine in illis partibus fungitur, contemptum, praejudicium, et detrimentum, et alias prout in praefato Edicto, quod non approbandi, sed penitus, et omnino reprobandi animo, praesentibus itidem pro plene, et sufficienter expresso, et de verbo ad verbum inserto haberi volumus, plenius dicitur contineri. Hinc est, quod Nos ex debito Sacrosancti Apostolatus officii, quod humilitati Nostrae, meritis licet, et viribus longe imparibus, commisit Divina dignatio, ejusdem Caroli Thomae Patriarchae, Commissarii, et Visitatoris, seu potius Nostram, et dictae Sedis dignitatem, auctoritatem, et Jurisdictionem a temerariis, et perniciosis hujusmodi conatibus illaesas, sartasque, et tectas tueri, et conservare cupientes, ac omnium, quae praefati Edicti, seu in eo contentorum occasione quovis modo acta, et gesta sunt, seriem, causas, et circumstantias etiam aggravantes, aliave quaecumque etiam specificam, et individuam mentionem, et expressionem requirentia praesentibus pariter pro plene, et sufficienter expressis, et exacte specificatis habentes, de nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationis Propagandae Fidei, negotiis praepositae super rebus Indiarum Orientalium a Nobis specialiter deputatorum Consilio, ac etiam Motu proprio, et ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, praenarratum Edictum, et quaecumque in eo contenta, cum omnibus, et singulis inde secutis, et forsan quandocumque secuturis, penitus, et omnino nulla, inania, invalida, irrita, temerarie attentata, et de facto praesumpta, nulliusque omnino roboris, et momenti esse, et perpetuo fore, tenore praesentium declaramus. Et nihilominus ad majorem cautelam, et quatenus opus sit, illa omnia, et singula, motu, scientia, deliberatione, et potestatis plenitudine paribus harum serie itidem perpetuo revocamus, cassamus, irritamus, annullamus, et abolemus, viribusque, et effectu penitus, et omnino va-

cuamus, et pro revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis, et abolitis, viribusque, et effectu penitus, et omnino vacuis semper haberi debere decernimus, et pariter declaramus. Decernentes etiam easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praefatus Augustinus Archiepiscopus, et alii quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae, et dignitatis existant, seu alias specifica, et individua mentione, et expressione digni, illis non consenserint, seu ad ea vocati, citati, et auditi, causaeque, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae, et justificatae non fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica, et privilegiata causa, colore, praetextu, et capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimae, et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, aut intentionis Nostrae, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, et substantiali, aut incogitato, et inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse; sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, et inconcusse observari. Sicque, et non aliter in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, et Sedis praefatae Nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentia, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac quatenus opus sit Nostra, et Cancellariae Apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, necnon Metropolitanae Ecclesiae Goanae, et aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, et consuetudinibus, ac usibus, et stylis etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis, et litteris Apostolicis, quibusvis personis etiam quacumque Ecclesiastica, vel mundana dignitate

fulgentibus , et quomodolibet qualificatis , ac Ecclesiis , et locis sub quibuscumque verborum tenoribus , et formis , ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus , efficacissimis , et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere , vel in specie etiam consistorialiter concessis, ac pluries, et quantiscumque vicibus confirmatis , approbatis , et innovatis. Quibus omnibus , et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis , eorumque totis tenoribus specialis , specifica , expressa , et individua, ac de verbo ad verbum , non autem per clausulas generales idem importantes, mentio , seu quaevis alia expressio habenda , aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret , tenores hujusmodi , ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso , et forma in illis tradita observata, exprimerentur , et insererentur , praesentibus pro plene, et sufficienter expressis , et insertis habentes; illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter , et expresse derogamus , ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem , ut earumdem praesentium litrarum transumptis , seu exemplis etiam impressis , et manu alicujus Notarii publici subscriptis , et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra adhibeatur , quae praesentibus ipsis adhiberetur , si forent exhibitae , vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 4. Januarii 1707. Pontificatus Nostri Anno septimo.

F. Oliverius.

Regem Congi mirificis laudibus, quod bene de Religione sit meritus, et de ea bene sentiat , exaltat. Patrem Franciscum Ticinensem illuc revertentem et Diadēma regium , et precatoriam Coronam indulgentiis ditatam dono afferentem , commendat.

Charissimo in Christo Filio Nostro Petro Congi Regi Illustri.

CLEMENS PAPA XI.

Charissime in Christo Fili Noster , Salutem , et Apostolicam Benedictionem.

Pontificiam Nostram benevolentiam singulari quodammodo sibi conciliant Reges , ac Principes , qui etsi marium , ac terrarum spatio a Nobis longe , lateque divisi , Sanctae tamen Romanae Eccle-

siae charitatis vinculo, et Fidei unitate, ut Deo misericordiarum Patri, et bonorum omnium Auctori grati sunt propter insigne beneficium Evangelicae lucis, quam a majoribus acceptam custodire meruerunt, ea imbui populos, atque nationes, quibus dominantur, eosque per viam aeternae Salutis deduci gaudent, et curant, ac proinde sacros Dei Ministros Christianae veritatis praecones, morum Institutores, disciplinae Magistros, Missionarios Apostolicos benigne excipiunt, favoribus prosequuntur, auctoritate sua fovent, ac juvant. Majestati itaque Tuae, quam hoc animo esse audivimus, voces Paterni amoris Nostri significationes deferri volumus per dilectum Filium Religiosum virum Fratrem Franciscum Ticinen., ex Ordine Fratrum Minorum Sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum, Missionum istarum Praefectura proinde functum, ac istuc modo revertentem; qui Nobis praeter Regiae Tuae stirpis decora, Tuasque ipsius praestantes dotes, hoc ipsum Tuum in Christi Fidem, et Romanam Ecclesiam cultum, ac obsequium, et Filialem in Nos, atque in Apostolicam Sedem observantiam peculiare etiam studium, ac propensionem, qua sui Ordinis Professores Missionarios Apostolicos prosequeris, prolixe Nobis exposuit. Tu vero vicissim ab eo ad Te redeunte, *quem voluntatis, animique Nostri interpretem apud Te constituimus*, percipies quam enixe a Deo postulemus, ut cum salute, ac felicitate Suae gratiae incrementa Tibi largiatur, incendatque semper magis cor tuum zelo promovendae in istis partibus Christianae Fidei, ut per haec studia Tuum apud Eum meritum cumules, amplamque Tibi mercedem pares, qua, post emensum hujus vitae spatium, perpetuo fruaris. Pignus autem qualecumque Nostri amóris esse Tibi cupimus Regium Diadema, quod Nostro nomine per eumdem Religiosum virum Tibi tradi mandavimus, et cui pretium conciliavimus Pontificia Nostra benedictione in auspicium bonorum omnium, quae Tibi a Deo impense precamur. Munus praeterea Coronae precatoriae, quod Tibi itidem elargimur cum appenso Sacro numismate argenteo, gratum Tibi fore confidimus, utpote ditatum Indulgentiis, scilicet Thesauris Ecclesiae, custodiae, ac dispensationi Nostrae desuper demandatis, prout intelliges a praefato viro Religioso, quem cum ceteris ejusdem Ordinis Missionariis Tibi etiam, atque commendatos intuitu etiam Nostro esse cupimus, iterumque Majestati Tuae Apostolicam Benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 5. Julii 1707. Pontificatus Nostri Anno septimo.

Pietatem, et liberalitatem Comitis de Montezuma commendat, quod ampla subsidia pro Missionibus Indicis et Sinensibus, et pro fundatione et dotatione Seminarii Manilae ad juvenes indigenas instituendos ab Hispaniarum Rege impetraverit.

Dilecto Filio Nobili Viro Comiti de Montezuma
Duci de Atriseo.

CLEMENS PAPA XI.

Dilecte Fili Nobilis Vir, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Afficitur peculiari gaudio Apostolica Nostra charitas, admonita relatu Venerabilis Fratris Archiepiscopi Damasceni Nuncii isthic Nostri, Nobilitatem Tuam magno studio incumbere promovendis sacris Missionibus in partibus Indiarum, ac inter cetera praeclari Tui zeli pro Fidei propagatione argumenta, factum esse Tua ope, atque consilio, ut a magnanimitate Catholici Regis et pietate attribuerentur ampla subsidia tum pro alendis, atque fovendis piis Operariis, qui in Ditionibus ejusdem Majestatis Sacri hujus ministerii partes obeunt, tum pro constructione, ac dote Seminarii, quod hortatu Venerabilis Fratris Caroli Thomae Patriarchae Antiocheni in Civitate Manilae, Venerabilis item Frater ejusdem loci Archiepiscopus ad instituendos, recteque formandos juvenes indigenos instituit. Quae cum ad Divini nominis honorem directe pertineant, et uberem ab eo mercedem sint procul dubio relatura; Paternam tamen voluntatem Nostram Tibi adeo conciliant; ut reticeri nequeant a Nobis, et propensos Nos reddant et ad ea praestanda, quae commodum, atque ornamentum afferre poterunt Nobilitati Tuae, cui interim in grati animi pignus Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum etc. die 7. Maii 1707.

Gentis Albanensis erga Apostolicam Sedem sub ipsa Turcarum tyrannide obedientiam, et devotionem confitentis, laudes celebrat, atque in dilectionis suae signum locum perpetuum adolescenti Nationis Epiri in Apostolico Collegio, constituta dote, designat.

Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, et Episcopis Albaniae.

CLEMENS PAPA XI.

Venerabiles Fratres, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Optavimus quidem hactenus praestanti aliquo, ac perenni Pontificiae Nostrae charitatis documento, ope Fraternitatum Vestrarum, testatam facere Christifidelibus Regni Albaniae haerere animo Nostro veluti cum vita, et sanguine haustam singularem quandam voluntatis propensionem, ac plane benevolentiam erga illos omnes inclytae istius Nationis homines, qui una cum Evangelicae veritatis amore constantem erga Romanos Pontifices, et Apostolicam hanc Sedem obedientiam, ac devotionem vel inter Christiani nominis hostes, et sub ipsa Turcarum tyrannide eximia suae virtutis, ac pietatis commendatione retinuerunt. Sed, quoniam aucta in dies dura nimis temporum difficultate, consilia, etsi necessaria, a consuetudine tamen Nostra magnopere aliena inire cogimur, ne fructu prorsus vacua sit, quae jugiter viget in Nobis gratificandi eisdem Fidelibus voluntas, hoc saltem ejusdem specimen in conspectu omnium extare voluimus, ut locum Alumni in Collegio Apostolico de Propaganda Fide nuncupato, adolescenti Nationis Epiri, seu Albanensis perpetuo addiceretur, id quod dote, ad id per Nos eidem Collegio attributa, auctoritate Nostra, prout Vobis notum est, constituimus. Cum autem litterae Vestrae die trigesima proxime elapsi mensis Julii ad Nos datae diserte testentur, hoc amoris Nostri testimonium tanta istic gratulatione exceptum fuisse, quanta certe animi Nostri alacritate a Nobis prolatum fuit; Nos nedum uberiorem gaudii materiem ex hac Vestra significatione percepimus, sed profecto in spem venimus fore, ut quae a Nobis coepta, ac veluti sata sunt, Deo incrementum dante, aliquando adolescant, et cedant in spirituale lucrum istius Nationis, ubi praesertim non desint studia, ac in piis sudoribus irrigatis Fraternitatum Vestrarum, de quarum vigilantia, ac sollicitudine tum in custodia crediti sibi Gregis, tum in ejusdem amplificatione plurimum Nobis in Domino pol-

licemur, dum in auspicium optati incrementi Apostolicam Benedictionem Fraternitatibus Vestris peramanter impertimur.
Datum Romae etc. die 15. Septembris 1708.

Persarum Regi Petrum Martyrem a Parma, Archiepiscopum Naxivanen. ceterosque Religiosos viros Ordinis Praedicatorum, nec non Catholicam gentem Armenam, etiam atque etiam commendat.

Illustri, ac Potentissimo Regi Persarum.

CLEMENS PAPA XI.

Illustris, ac Potentissime Rex, Salutem, et lumen Divinae Gratiae.

Gratum fore credimus Celsitudini Tuae per Nos excitari ad ea officia, quae facultatem Tibi praebeant explicandi non tam ingenitam animi Tui magnitudinem, quam sinceram, ac mutuam voluntatem, qua Te erga Nos esse arbitramur, et conciliandi Tibi cum praeclara nominis fama summum nedum apud populos Tuos, sed apud exteras etiam nationes studium, atque benevolentiam. Cum itaque Dilectum Filium Petrum Martyrem a Parma Ordinis Praedicatorum Sancti Dominici, electum Archiepiscopum Ecclesiae Armenae Naxivaniensis, propter integritatem, prudentiam, atque pietatem, qua singulariter praestat, Tuis auspiciis plane dignum esse existimemus; eum Tibi has Nostras redditurum, ac insuper Religiosos viros ejusdem Ordinis, ceterosque Catholicos Armenos in Tuis ditionibus commorantes Celsitudini Tũae plurimum commendamus, confisi, Te intuitu Nostro effecturum esse Tua auctoritate, ut eisdem privilegiis, et gratiis, quibus Tuorum Antecessorum beneficio frui consueverunt, iis etiam, et amplioribus in posterum per Te perfruantur, neque passurum esse quidquam aequum, ac honestum ab ipso electo Archiepiscopo expeti, quod non Tua liberalitate consequatur. Erit id quidem demereri et perpetuo vinculo animum Nostrum obstringere Celsitudini Tuae, quam diu sospitem, et caelestium munerum, ac luminum largitate auctam, ac cumulatam esse peroptamus.
Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 15. Junii 1709. Pontificatus Nostri Anno nono.

Israelem Ory, quem paulo antea rebus Catholicis studentem Persarum Regi commendaverat, eidem in cognitionem tanquam Fidelium persecutorem adducit, quorum libertatem, ac salutem tueri debebat, monetque Regem, ut ab insidiis et oppressione Catholicae gentis deterreat.

Illustri, ac Potentissimo Persarum Regi.

CLEMENS PAPA XI.

Illustris, ac Potentissime Rex, Salutem, et lumen Divinae Gratiae.

Cum Nostri muneris sit omnibus Pontificiae, ac Paternae Nostrae charitatis officiis adesse Christianis Catholicis Romanae Ecclesiae adhaerentibus, atque unitis, qui in diversis, etsi remotis Terrarum Partibus commorantur, quatenus ipsis ope Nostra concilietur favor, et gratia eorum Principum, quorum illi ditiones continenter incolunt, aut frequenter adeunt; hoc ipsum in primis curandum, atque agendum Nobis esse duximus apud Celsitudinem Tuam, tum propter perspectam Nobis Tuae dignitatis, atque Potentiae amplitudinem, tum quia Te aeque in omnes, sed in Christifideles peculiariter propenso animo esse arbitramur, tum demum quia de egregia Tua, et sincera in Nos voluntate plurimum Nobis pollicemur. Complexi itaque libenter oblatum Nobis tempus ante aliquot annos advenientis in istas partes Israelis Ory, plurimorum testimonio Nobis commendati, litteras eidem Nostras datas sub die quintadecima Julii anni millesimi septingentesimi quinti, ad Te perferendas tradere voluimus, in quibus praeter officiosam, et quidem sedulam, atque accuratam commendationem ipsius Israelis, quem Catholicorum rebus omni studio, ac zelo, eaque fide, qua se obstringebat, affuturum esse confidebamus, illud expresse tamquam praecipuum earum litterarum argumentum, ac votorum Nostrorum summam a Te expetebamus, ut Catholicos addictos Romanae Ecclesiae in Tuis Regnis degentes, vel in partes istas quandoque commigrantes ab Administris Tuis humaniter haberi, ac pertractari mandares, nec ullo modo sineres eos ullum, vel in personis, vel in facultatibus suis detrimentum injuriose perpeti, neque vexari ab insidiis, atque calumniis quorumdam hominum, qui cum Nostrae Fidei Desertores sint, nihil antiquius habent, quam veros Catholicos acerrime insequi, ac in extremas quasque calamitates, atque angustias conjicere. Hac itaque mente, ac proposito ad Te, arrepta ea opportunitate, perscripsimus; sed non sine ingenti animi Nostri dolore subinde intelleximus memoratum Israelem Ory eodem

officio Nostro temere abusum, viam prorsus oppositam voluntati Nostrae istic iniisse, et praesidium Catholicis, quod se allaturum diserte affirmaverat, adeo nullum praestitisse, ut imo ipsos magnopere perturbaverit, atque contristaverit, et, quod injuriosissimum est, Desertores Nostrae Fidei supra ipsos Catholicos, atque ita errorem supra veritatem, extulerit, ita demum se gesserit, tamquam si istuc a Nobis immissus fuisset ad opprimendos veros Filios Romanae Ecclesiae, quorum salutem, libertatem, atque indemnitatem, si Deum justum Judicem respexisset, aut Nobis obsequi voluisset, promovere in primis debebat. Quamobrem operae praetium esse duximus, ut a Nobis scires neque ulla honoris significatione dignum esse Israelem Ory, sed imo auctoritate Tua deterrendum esse ab iniquis attentatis contra Catholicos, qui cum Romana Ecclesia in Fidei unitate consentiunt; quibus quidem optamus, ut Te propitium in omnibus exhibeas, et vices a Nobis, ubi facultas erit in his, quae grata Tibi existimabimus, uberrime referes.

Datum Romae etc. die 2. Martii 1709.

Patribus Societatis Jesu, ac Clericis Regularibus indicitur, ut Visitatorem Apostolicum in insulis maris Aegei, et Jonii peramanter excipiant, benevole audiant, sine mora mandata perficiant.

Venerabili Fratri Joanni Vincentio Archiepiscopo Metropolitan.

CLEMENS PAPA XI.

Venerabilis Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Cum Nos Te per alias Nostras in simili forma Brevis, litteras, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expresso, Nostrum et Apostolicae Sedis Visitatorem in Insulis Maris Aegei, Zacynthi, et Cephaloniae, aliisque locis adjacentibus cum diversis facultatibus Auctoritate Apostolica deputaverimus, idcirco ut injunctum Tibi munus ad Omnipotentis Dei gloriam, et animarum salutem facilius, atque expeditius obire et exequi valeas, providere cupientes, Teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque publicis sententiis, censuris, et poenis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, omnibus, et singulis Societatis Jesu Superioribus, ac Clericis, seu Presbyteris

Regularibus, et personis quibuscumque etiam specifica, et individua mentione et expressione dignis, qui in praedicis Insulis, et Locis resident, in virtute Sanctae Obedientiae, ac sub indignationis Nostrae, aliisque arbitrio Nostro poenis, districte praecipiendo mandamus, ut Visitationem a Te in eorum Collegiis, Domibus, Hospitiis, Residentiis, aliisque Locis quibuscumque praedictarum Nostrarum litterarum vigore instituendam, omni mora, dilatione, et tergiversatione postpositis, recipiant et admittant, Teque tamquam Visitatorem Apostolicum, ut praefertur, a Nobis deputatum recognoscant, ac debitis honore, et reverentia prosequantur, necnon Tibi in omnibus Visitationem hujusmodi concernentibus prompte pareant, et obediant, Tuaque salubria monita, et mandata humiliter suscipiant, et efficaciter adimplere procurent: alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleris, seu statueris in rebellem, ratam habebimus, et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus omnibus et singulis illis, quae in litteris praedictis voluimus non obstare, et praesertim dictae Societatis, ejusque Provinciarum, Collegiorum, Domorum, Hospitiorum, Residentiarum, et Locorum quorumcumque etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alias roboratis Statutis, et Consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, et litteris Apostolicis eidem Societati, ejusque Praeposito Generali aliisque Superioribus et Clericis, seu Presbyteris Regularibus et personis quibuslibet sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis ac irritantibus, et aliis Decretis in genere vel in specie, et alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis, et quantiscumque vicibus innovatis. Quibus omnibus et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi acti de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 18. Septembris 1709. Pontificatus Nostri Anno nono.

F. Oliverius.

Vincentio Archiepiscopo Marcianopolitano, nondum Pallii honore insignito, ut Pontificalia ubique juxta Concilii Trid. Decreta exercere, et uti possit, indulget.

Venerabili Fratri Joanni Vincentio Archiepiscopo Marcianopolitano.

CLEMENS PAPA XI.

Venerabilis Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Personam Tuam Nobis, et Apostolicae Sedi devotam, Tuis exigentibus meritis, Paterna benevolentia, et specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, Teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, Tibi, et quibuscumque Locis, ubi Te pro tempore adesse contigerit quotiescumque de jure ex Sacrorum Canonum, et Concilii Tridentini decretorum praescripto Tibi licebit Pontificalia exercere, necnon Te Archiepiscopum Marcianopolitanum in quibuscumque actibus, et scripturis denominare, licet Pallium de Corpore Beati Petri desumptum, de more aliorum Archiepiscoporum, in signum plenitudinis potestatis non susceperis, libere et licite valeas, Auctoritate Apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 17. Julii 1709. Pontificatus Nostri Anno nono.

F. Oliverius.

Confraternitatem Stauropigianam, Monachos et Monasterium S. Onuphrii Eremitae gentis Ruthenorum prope Leopolim ita Sedis Apostolicae, et Congregationis de Prop. Fide subjicit auctoritati, ut nulla possit Ruthenus Episcopus in Officiales, et Monachos, eorumque bona potestate perfungi.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Pastoralis officii cura, meritis licet imparibus, Nobis ex alto com-

missa postulat, ut ea quae Locorum Piorum quorumlibet, praesertim Confraternitatum ac Domorum Regularium tranquillo statui, felicique progressui conducunt, libenter concedamus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Itaque Dilectos Filios Officiales, et Confratres Confraternitatis Stauropigianae nuncupatae Ruthenorum cum Sancta Romana Ecclesia unitorum in Civitate Leopoliensi sub Titulo, seu Invocatione Assumptionis Beatissimae Mariae Virginis canonicae erectae, nec non Monachos Monasterii Sancti Onuphrii Eremitae nationis eorumdem Ruthenorum prope, et extra moenia ejusdem Civitatis siti, et ad dictam Confraternitatem spectantis, ut Apostolico praesidio suffulti a quibusvis perturbationibus, et gravaminibus releventur, et in sua vocatione utilius perseverent; specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis etc., supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Confraternitatem praedictam, illiusque Officiales, et Confratres, ac Monachos aliasque personas praedicti Monasterii, eorum res et bona quaecumque nunc et pro tempore existentia, ab omni et quacumque jurisdictione, correctione, visitatione, superioritate, et potestate moderni, et pro tempore existentis Episcopi Leopoliensis Rutheni, illiusque Officialium, et Ministrorum quorumcumque, Apostolica Auctoritate tenore praesentium tam universim, quam singillatim perpetuo eximimus, et liberamus, illosque, et illas sub Beati Petri, ac Nostra, et Sedis Apostolicae, et Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositae protectione suscipimus, Nobisque, et pro tempore existenti Romano Pontifici, et Congregationi praedictae etiam perpetuo subjicimus, itaut modernus, et pro tempore existens Episcopus praedictus, ejusque Officiales et Ministri ullam quovis praetextu, et ex quacumque causa in Confraternitatem, Monasterium, et Monachos ejusmodi, eorumque res, et bona jurisdictionem, correctionem, potestatem, et superioritatem habere, et exercere minime possint. Decernentes praesentes litteras semper, et perpetuo validas, firmas, et efficaces existere, et fore etc. Quocirca Venerabili pariter Fratri Nicolao Archiepiscopo Thebarum, Nostro, et Apostolicae Sedis in Regno Poloniae Nuntio per praesentes committimus, et mandamus, quatenus ipse per se, vel alium seu alios ubi, et quando opus fuerit, et quoties pro parte interesse in praemissis habentium, vel alicujus eorum semper fuerit requisitus, easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque solemniter publicans, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat Auctoritate Nostra illos omnes, et singulos earumdem praesentium, et in eis contentorum quorumcumque commodo, et effectu pacifice frui, et gaudere; non permittens illos desuper a quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet indebite molestari, perturbari, vel inquietari. Con-

tradictores quoslibet, et rebelles per sententias, censuras, et poenas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his haben. etc. non obstantibus felic. record. Bonifacii Papae Octavi Praedecessoris Nostri de una, ac Concilii Generalis de duabus dictis aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibus, et Synodalibus Conciliis editis Generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, nec non quibusvis Statutis, et consuetudinibus etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis etc. Quibus omnibus et singulis tenore eorum praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 5. Aprilis 1709. Pontificatus Nostri Anno nono.

F. Oliverius.

Dolet, Sinarum Imperatoris in Cardinalem de Tournon benevolentiam esse imminutam, imo gratiam ejus in offensionem esse conversam, fortasse quod Religionis Christianae sectatoribus Sinensium rituum usus interdiceretur. Confidit in libertatem vindicandum, in Europamque reversurum, et Principem Sinensem, ad quem datur epistola, a sua sententia recessurum.

Domino Cardinali de Tournon.

CLEMENS PAPA XI.

Acceptis jampridem litteris Tuis, quibus diligenter edocti fuimus quantopere gratus, atque jucundus acciderit Potentissimo Sinarum Imperatori Tuus in istas Regiones adventus, quam amplis, et luculentis honoris significationibus, Ipse subinde Te exceperit, quamque illustria benignitatis, et munificentiae argumenta Tibi exhibuerit; ingenti sane laetitia, ut par erat, repleti fuimus, superabundavimus gaudio, et levantes manus Nostras ad Patrem misericordiarum, et Deum totius consolationis, humiles illi gratias egimus, quod in maximis, gravissimisque curis, quas pro suscepto officio assidue sustinere cogimur, laetioribus saltem Nunciis e longinquioribus Orbis Sinarum partibus opportune provenientibus reficere Nos, et consolari dignatus esset. Brevis tamen extitit laetitia Nostra, et extrema gaudii cito luctus occupavit, cum paulo post

allatum ad Nos fuerit, Imperatoris erga Te benevolentiam, et gratiam usque adeo imminutam esse, ut dubitare se declaraverit, num vere Noster, et hujus Sanctae Sedis Administer esses, offensumque, ac subiratum Tibi animum aliis etiam non obscuris indiciis patefecerit. Gravem profecto ex hujusmodi rerum conversione dolorem suscepimus, hunc tamen haud mediocriter ea consolatio levavit, quod certo arbitramur, infortunium Tuum tuae culpae assignari non posse: nullo enim pacto adduci possumus, ut credamus, Te unquam reverentiae Maximo, et Praestantissimo Principi debitae defuisse, cujus praeclaras animi dotes summis ipse apud Nos laudibus extulisti, et a quo plurimis etiam, ac insignibus beneficiis cumulatum Te fuisse palam professus es. Minus etiam vereri posse videmur, Te apud illum propterea offendisse, quod, ut fama nunciavit, Ipse moleste tulerit animo a Te istis Evangelicis Operariis significatum fuisse Nostrum, et Apostolicae Sedis sensum die 20. Novembris 1704. explicatum quoad ritus, et ceremonias Sinensium. Cum enim benignissime jamdudum permiserit in amplissimo suo, ac florentissimo Imperio Christianam Religionem libere suscipi, et exerceri; consequens omnino est, ut pari benignitate patiatur, ab ejusdem Religionis Sectatoribus eos dumtaxat observari ritus, et mores, qui Christianis legibus consonant, illosque ex opposito devitare, qui earumdem legum praescripto adversantur. Haec porro regula usque adeo rationi consentiens, et justa est, ut ab aequissimo, ac sapientissimo Principe, qualem esse probe novimus Sinarum Imperatorem, nullo modo rejicienda videatur. Quapropter datis Nostris ad ipsum litteris, quarum exemplar praesentibus adjunctum ad Te mittimus, Nostrum ea de re sensum illi diserte, ac luculenter explicavimus, et ut definitiones Nostras ab omnibus isthic degentibus Christianis observari sinat, vehementer ab eo postulavimus: nec sane perspecta Principis aequitas, humanitas, ac sapientia dubitare Nos patitur, quin, rei veritate ex Nobis intellecta, desiderio, votisque Nostris libenter obsecundatum sit: magnam insuper in spem adducimur, fore ut quod ab Ipso impensissime flagitamus, Te in pristinum honoris, et gratiae locum benigne restituat, libertatemque Tibi largiatur Europam repetendi, adeoque calamitatem, in qua positus es, brevi cessatam esse confidimus. Interea vero, Dilecte Fili Noster, etsi mala, quae pateris, quaeque praecipua, ac vere Paterna Nostra erga Te charitas Tecum Nobis communia facit, gravia quidem, et aspera sunt; non tamen ideo Te miserum agnoscere, aut nominare debemus, quem Redemptor Noster beatum appellat. Ea igitur aequo, constantique animo perferre perge, pro comperto habens, maximam apud Omnipotentem Deum retributionem Tibi paratam esse, dum Nos Divinam Bonitatem in humilitate cordis Nostri assiduis precibus rogantes, ut fortitudinem ac perseverantiam Tuam in dies magis augeat, Suaque misericordia Tibi

jugiter adesse dignetur, Apostolicam Benedictionem Tibi, dilecte Fili Noster, peramanter impertimur.

Datum Romae etc. die 2. Martii 1709.

Sinarum Imperatori, quod in Cardinalem de Tournon, et Evangelicos Operarios ab initio sua beneficia contulerat, gratulatur. Dolet tamen benevolentiam ejus esse subito imminutam, et mutatam in iram. Apostolicum Visitatorem, et rituum Sinensium prohibitionem hujus mutationis causam dedisse non potest inducere in animum. Etiam, atque etiam petit, ut Cardinali libertatem concedat, et rei Christianae defensionem suscipiat.

Illustri, ac Potentissimo utriusque Tartariae et Sinarum Imperatori.

CLEMENS PAPA XI.

Illustris ac Potentissime Imperator, Salutem, et lumen Divinae Gratiae.

Quemadmodum majori nunquam gaudio perfusum est cor Nostrum, quam cum audivimus excelsum, et longe clarissimum Principem, qualem Te esse nemo ignorat, ipsaque Imperii, cui praeses, amplitudo, et singularis, qua praeditus es, sapientia, Tuique nominis, ac potentiae celeberrima, nedum per Europam, sed per Orbem universum fama testatur, praecipuis honoris significationibus excepisse Dilectum Filium Nostrum Carolum Thomam S. R. E. Cardinalem de Tournon, tunc temporis Patriarcham Antiochenum a Nobis Ablegatum in Tuum istud amplissimum Sinarum Imperium; tum ut partes Superioris, ac Visitatoris istarum Missionum susciperet, et obiret, tum ut debitas gratias, easque uberrimas Nostro nomine Tibi ageret, quod Operarios Evangelicos istuc antea profectos multis, ac magnis beneficiis cumulares; ita profecto inexplicabili dolore correpti fuimus, tum cum percepimus felicem illam Tui favoris, ac gratiae, quam idem Cardinalis assecutus fuerat, auram, non multo post defecisse, animumque Tuum, quem ille usque adeo propitium expertus fuerat, ita subinde ab eo alienum factum fuisse, ut Tibi ambigendum esse videretur, num ille vere insignitus esset munere Administri Nostri, et fidem promereretur; demum non obscura Tuae in eum indignationis signa a Te prodiisse. In hac porro gravissima cura, ac molestia, quae his auditis a Nobis contracta nunquam profecto Nos deserit; illud saltem aliqua ex parte

Nos recreat, quod certi sumus nihil tam contrarium fuisse menti, ac proposito ejusdem Cardinalis, quam velle Te laedere, aut ullo modo Tibi displicere. Ut quid enim suspicabimur eum defuisse debito obsequio erga Te tantae dignitatis Principem, quem plurimis, et quidem effusis laudibus ob summa decora, ac sublimes dotes, quas in Te suspexit, in suis ad Nos litteris extulit, non semel professus, se verbis explicare non posse, quam multa, et quam praeclara a Te insignis clementiae, et incomparabilis munificentiae argumenta retulisset? Multo minus suadere Nobis ipsis possumus Te aegre, aut acerbe tulisse, quod ille circa ritus quosdam, ac ceremonias Sinensium Evangelicis Administris denunciaverit Nostros, et Apostolicae hujus Sedis Tibi notos sensus, quos antehac explicavimus. Cum enim Tu ipse eximio Tuae dignitatis exemplo, cujus memoria Christianorum Annalibus jam inscripta nunquam interibit, jampridem indulseris, ac edixeris fas fore in posterum in Tuis ditionibus Christianam Religionem profiteri; arbitrari profecto debuit Cardinalis Te eadem clementia annuere debere, quod illis, qui in Tuo Imperio hanc ipsam legem amplexi fuerunt, sicuti permissum est conformare se moribus huic instituto congruis, ita ab eis liceat e contra abstinere, quae ab ejusdem Legis praescripto dissentiunt. Id porro disertius explicare posse speramus, postquam ea accurate lustraverimus documenta, quae ab illis allata sunt, quae isthinc in has Nostras partes missi Romam nuperrime advenerunt; quos benigne jam, ac libenter exceptos, benignius in posterum, ac libentius audire parati sumus, eo potissimum nomine, quia prosperam salutem Tuam Nobis nunciarunt. Interim plurimum refert, ut Tibi omnino compertum sit nullo modo a Nobis improbari, quod inclyta Sinensium Natio grato et memori sit animo erga Progenitores, ac magistros suos, quibus se multum debere intelligit; sed id unum, quod aequitati esse consonum pro Tua spectata prudentia agnosces, id unum exposcimus, ut liceat Christianis hujusmodi humanitatis officia iis modis persolvere, qui non repugnent puritati, et sanctitati Nostrae Religionis, distincte vetantis ulli creaturae utcumque excellenti cultum illud adhiberi, qui uni, ac vero Deo Caeli, et Terrae Creatori, ac Domino debetur. Sed aequi jam, bonique consulas, Illustris, ac Potentissime Imperator, quod precibus Tecum agamus, et enixe a Te expectamus, ut ipsum Cardinalem in pristinam gratiam recipere velis, ac ad plenam libertatem redire facias; et, quod ad magnanimitatem Tuam in primis spectat, in eos etiam honores restituas, quos illi cum Te primum adiit, cumulate a Te delatos, Nos ipsi Tibi acceptos ferimus. Quod eo fidentius a Te requirimus, ac speramus, quod Nos eumdem Patriarchali munere in suo isthuc adventu insignitum, ubi tam splendide a Te habitum fuisse audivimus, ad Cardinalatus dignitatem eveximus, quae summae amplitudinis est in Ecclesia, et post Pon-

tificalem praecipua ; rati profecto esse summopere decorandum , qui tam honorifice a Te excipi meruit, illumque dignum , quo poteramus gradu a Nobis exornandum , qui Nostro nomine in florentissimo Tuo Imperio resideret. Admonet Nos interea Apostolica charitas, qua impellente haec omnia ad Te perscribimus , ut non omittamus Tibi impense commendare incolumitatem Christianae legis in istis Partibus , et ejusdem legis Professores quotquot in Tuis felicissimis ditionibus hoc nomine censentur , ac peculiari modo Operarios Evangelicos, qui freti Tua benignitate isthuc porrexerunt, homines Tuis auspiciis plane dignos, quorum inter cetera pietatis studia , illud est Institutum , non tam verbis , quam exemplo aliis fidelibus annunciandum, nemini dare ullam offensionem, pacem quaerere , viam mansuetudinis insistere , debitum publicae auctoritati , summisque Principibus, eorumque administris reverentiam, fidem , ac obedientiam , salva ea , quae Deo in primis debetur, praestare : a quibus studiis eos , tum sponte , tum monito Nostro , tum ad praecepta Christianae Religionis implenda , nunquam recessuros esse speramus. His itaque Operariis ne patiaris ullas molestias inferri , ullos obices opponi , quominus officio suo vacent , etiam atque etiam a Te petimus. Qud si forte aliquid gravius in eos novissime constitutum fuit, erit Tuae summae clementiae idipsum abrogare , quatenus Tuae supremae auctoritatis praesidio communitus , optata , ut prius , tranquillitate perfruantur. Atque haec sunt , quae in levamen solicitudinis Nostrae a Te exposcenda Nobis in praesens occurrunt , in quibus Te votis Nostris libenter , atque alacriter assensurum Nobis esse pollicemur , tum quia par est de aequitate , et praestantia Tuae voluntatis egregie sentire ; tum quia spem Nostram metimur ex ingenti desiderio , quod gerimus demerendi animum Tuum : si quid enim unquam a Nobis praestari poterit , quod Tibi gratum futurum esse intelligemus , illud a Nobis quantum itinerum diffiultas, et locorum intervalla patientur, paratissimum Tibi erit. Quod superest salutem Tibi, Illustris , ac Potentissime Imperator , et Supremae Gratiae lumen ex animo apprecamur.

Datum Romae etc. die 2. Martii 1709.

Fideles Angliae , Scotiae , et Hiberniae commendat , eosque a novis opinionibus , et pravis doctrinis deterret.

Dilectis Filiis Universis Christifidelibus in Regnis Angliae, Scotiae , et Hiberniae existentibus.

CLEMENS PAPA XI.

Dilecti Filii , Salutem , et Apostolicam Benedictionem.

Magnitudinem Paternae Nostrae erga vos charitatis , et Pastora-

lis zeli, quo pro spirituali vestra salute intime flagrantes ex eo praesertim perspectam vobis esse cupimus, quod solliciti praeter modum sumus, ut paritas Catholicae Fidei ita in cordibus vestris perseveret, quemadmodum eam Majorum vestrorum exemplo inter tribulationum ac persecutionum aestus magna vestri nominis laude, majori vero apud Deum meriti incremento illibatam hactenus servastis, ut bonus odor Christi a vobis in universam Ecclesiam ad aedificationem Fidelium usque magis effundatur. Quia vero ad servandum in mentibus vestris verbum veritatis, et ad retinendum candorem Fidei maxime pertinet, omnem aditum occludere doctrinis variis, ac peregrinis, quarum nimium ferax haec aetas esse dignoscitur; muneris Nostri esse duximus vos commonere, ut caveatis a novis illis opinionibus, quas veluti zizania quaedam in agrum Dominicum clam immittere inimicus homo non desinit; cujus Nos quidem gravissimi periculi pridem admoniti, ac justo timore perciti, ne qui recte, ac Catholice sentiunt hujusmodi insidiis omni arte, ac dolo paratis fallerentur, edidimus paulo ante Constitutionem Nostram incipientem = *Vineam Domini Sabaoth* =, qua detectis erroribus, quibus hujusmodi opiniones scatent, certam, absolutam, ac Sanctae Romanae Ecclesiae, Nostroque, atque Apostolicae Sedis judicio conformem sentiendi in his quaestionibus normam Fidelibus indiximus. Hujus autem Regulae magisterio facile vobis erit, propitiante Deo, declinare tensa ubique a Novatoribus offendicula, ne in ea unquam impingatis, ubi praesertim abstineatis ab investigandis, perlegendisque libris eadem pravae doctrinae labe infectis, aut certe erroris quoquo modo suspectis, quos constat a Nobis, atque a Praedecessoribus Nostris fuisse Fidelibus interdictos. Proderit praeterea vobis ad salutem devitare omni studio eorum consuetudinem, potissimum in rebus regimen conscientiae vestrae respicientibus, qui cum impense faveant hujusmodi scriptis, satis ostendunt, quam exiguam judicii de eis a Nobis lati, ac proinde Pontificiae auctoritati rationem habeant. Ac sane dolendum Nobis est non deesse in Regionibus, quae Regnis istis finitimae sunt, quosdam, qui quamvis Catholicum nomen praeferant, et Clericali militiae sint adscripti, imo etiam rigidioris moralis Professores haberi velint; Supremam tamen Cathedrae Sancti Petri auctoritatem palam impetere, eique debitam obedientiam denegare, quaesito interim apud laicos, et acatholicos Magistratus suae contumaciae praesidio, non vereantur. Atque haec vobis significanda esse duximus, ut intelligatis quomodo oporteat vos ambulare, ut abundetis magis, et assequamini fructum Fidei vestrae salutem animarum, quod ut vobis, dante Domino, contingat, Apostolicam Benedictionem vobis, dilecti Filii, peramanter impertimur.

Datum Romae etc. die 17. Augusti 1709.

Joannem Lusitaniae Regem, cujus majores pietate eluxerunt, et religione, hortatur, oratque, ut afflictis ob ritus Sinensibus rebus ea, qua potest, ratione succurrat.

Charissimo in Christo Filio Nostro Petro Portugalliae, et Algarbiorum Regi Illustri.

CLEMENS PAPA XI.

Charissime in Christo Fili Noster, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Ex his, quae Dilectus Filius Andreas de Mello de Castro Majestatis Tuae Ablegatus diserte Nobis retulit, jampridem Tibi innotuisse cognovimus gravissimas molestias, et aerumnas, quibus nunc Evangelii operarii in Sinarum Imperio vexabantur; nec plane dubitamus, quin ex illorum calamitate eum hauseris dolorem, quo affici par est piissimum Regem, qui a clarissimis majoribus suis, non tam amplissimae, florentissimaeque ditionis, quam eximiae pro Orthodoxa Religione zeli haereditatem accepit. Porro, ex eo, quo Majestas Tua premitur animi moerore, facile metiri, ac deprehendere poterit Nostrum. Quandoquidem Pastoralis muneris Nostri ratio a Nobis exigit, ut sicuti ne dum iis, qui prope, sed iis etiam, qui longe sunt, debitores sumus; ita sane pascendi, dirigendique Christiani Gregis ad viam salutis aeternae in remotioribus quoque terrae plagis sollicitudinem, quam maximam suscipiamus. Animi autem Nostri aegritudinem, quamvis acerbissimam, illud aliqua ex parte lenivit, quod Sinicas perturbationes potissimum manasse percepimus ex mandato quodam, quod dilectus Filius Noster Cardinalis de Tournon Commissarius, et Visitator a Nobis in illis partibus specialiter Delegatus, inibi promulgavit, quoad ritus quosdam et ceremonias Sinenses. Imperatori siquidem Sinarum suggestum fuisse audivimus, ipsum Cardinalem sua sponte, ac voluntate ad ejusmodi mandati promulgationem devenisse. Confidimus autem omnino fore, ut postquam ipsi Imperatori innotuerit Cardinalem hac in re ultro nihil egisse, quinimus in illius mandato contenta, iis, quae eadem in re, praevio diuturno, maturo, ac diligentissimo examine a Nobis jamdudum, nempe die 20. Novembris 1704. decreta fuerunt, consonare; idem Imperator, ea ipsa suadente aequitate, qua illum praeditum esse intelleximus, facile deponat, abiiciatque ex animo, quam in praedictum Cardinalem suscepit, indignationem; et sicut benigne dudum indulsit, edixitque in amplissimo Imperio Suo, ut quicumque vellent, libere amplecti, ac profiteri possint Christianam Religionem; ita jam profitentibus pari benignitate permittat, ut

eos sequantur mores, qui Christianae legi consentanei sunt, et ab iis contra abstineant, qui ejusdem legis praescripta repugnare noscuntur. Hac ducti fiducia, ad ipsum Imperatorem litteras dedimus, quarum exemplum Majestati Tuae mittimus, praesentibus adnectendum. Potiorem tamen spem Nostram in valido, benignoque Majestatis Tuae patrocinio reponimus, et collocamus; Eamque quanto maxime possumus animi studio rogamus, ut iis adhibitis mediis, quae ad id magis opportuna, et utilia fore judicaverit, felicem rei successum, qui tum a Majestate Tua, tum etiam a Nobis communibus votis expetitur, juvare, ac urgere vehementer velit, simulque strenuam navet operam, ut iis, ad quos pertinet, Apostolicae Sedis responsis, ut par est, morem gerant, et obsequantur; praesertim cum illos, qui a Sinarum Imperio Romam minime advenerunt, benigne audire, ac nova, quae ipsi, quoad controversias Sinicas inde attulerunt documenta, mature, ac diligenter perpendere parati simus. Ceterum, quod ex eodem Majestatis Tuae Ablegato percepimus, memoratum scilicet Cardinalem de Tournon aliqua in re apud Majestatem Tuam offendisse; id certe Nobis perinde molestum accidit, ac inopinatum. Cum vero conjicere nequeamus causas, ob quas id evenerit, de tota re diligenter edoceri curabimus, ut quod usquequaque aequum fuerit, decernere valeamus. Interea pro explorato habemus id minime impedimento futurum, quominus Majestas Tua insitum Sibi eximium, avitumque Divini honoris, et Orthodoxae Religionis zelum, hac etiam occasione luculenter explicet, testatumque omnibus palam faciat, Fidei causam reliquis humanis rationibus quibuscumque Tibi longe potiorem esse, et antiquiorem. Quod si feceris, quemadmodum egregie Te facturum esse non ambigimus, gloriosum Tuum nomen, gloriosius profecto reddes, Tibique ac Regiae Domui Tuae caelestium Benedictionum copiam uberrimam conciliabis. Pluribus Tecum super his aget Dilectus Filius Noster Cardinalis de Comitibus, Noster, et hujus S. Sedis apud Majestatem Tuam Nuncius, quem, ut libenter audire velis, magnopere a Te petimus; dum Nos (Charissime Fili Noster) praecipuae, qua Te in Domino amplectimur, Charitatis indicem, Apostolicam Benedictionem Majestati Tuae amantissime impertimur.

Datum Romae etc. 2. Martii 1709.

Paucis ea, quae antea de perturbationibus propter vetitos ritus in Sinarum Imperio edixerat, complectens, addit, quod Card. de Tournon Visitator Apostolicus Macaonensem delatus in urbem, ab Administris Regiis acerbas patitur injurias, et gravia sustinet adversa. Quare a Joanne Lusitaniae Rege contendit, ut Officiales suos a tanta in Visitatorem Apostolicum iniquitate deterreat, et, mutatis in melius rebus, hunc in Europam remeare patiatur.

Charissimo in Christo Filio Nostro Joanni Portugalliae et Algarbiorum Regi Illustri.

CLEMENS PAPA XI.

Charissimo in Christo Filio Nostro, Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Scriptis ante duos dies ad Majestatem Tuam aliis litteris Nostris eximiam, et Orthodoxo Rege vere dignam pietatem Tuam vehementer excitavimus, ut Evangelicos operarios in Sinarum Imperio laborantes benigne tueri vellet, et commotam in ipsis gravem sane procellam, opportunis interpositis officiis, componi satageret, strenuamque praeterea navaret operam, ut ii, ad quos pertinet, Apostolicae Sedis responsis circa ritus quosdam et ceremonias Sinenses, ut par est, morem gerant, ac obtemperent: nec plane dubitamus, quin Majestas Tua ad omnia praeclara opera Sua sponte satis incitata desiderio Nostro obsecundatura sit eo ipso praestanti zelo, ac studio, quo eam, ubi Divini honoris, et Catholicae Religionis negotium agitur, inflammari ac incendi probe novimus. Interea vero ex pluribus dilecti Filii Nostri Cardinalis de Tournon hesterna die ad Nos allatis litteris inaudivimus, ipsum jussu Sinarum Imperatoris mense Junio anni 1707. ad Macaonensem Civitatem fuisse deventum, ut ibi conquiesceret, usquequo antedicta procella sedaretur. Porro longe seviorem procellam in ipso ad illius quietem delecto loco subire coactus fuit: nam Didacus de Pinho Texeyra Capitaneus Generalis nuncupatus, et ceteri quotquot inibi sunt Majestatis Tuae officiales, et administri, quin, et ipse Episcopus Macaonensis, qui etiam Consiliarii Tui honore gloriatur, nulla Sac. characteris, nulla praestantissimae dignitatis, nulla Ecclesiasticarum sanctionum, nulla denique juris gentium, quod apud barbaras quoque nationes sacrosanctum, ac inviolabile est, habita ratione, eundem Cardinalem, ejusque familiares injuriis et contumeliis acerbissimis, ac pene incredibilibus affecerunt, adeo ut ipsi non sine lacrymis usurpandum multoties fuerit illud Canticorum = Filii matris meae pugnaverunt con-

tra me = Primum enim officiales, et administri Tui domum ab eo in praedicta civitate conductam multorum militum diurna, nocturnaque custodia, qui ipsum, ut captivum detinent, muniverunt; deinde illi exercitium Ecclesiasticae jurisdictionis, et facultatum Legationis Apostolicae, quas ei amplissimas attribuimus, interdixerunt; postmodum universis Macaonensibus civibus proposito edicto inhibere ausi sunt, ne cum eodem Cardinali ullum commercii genus haberent; demum ex illius familiaribus, et sociis alterum, et quidem Sacerdotali gradu insignitum in custodiam tradiderunt, alios verberibus exciderunt, omnes (uno verbo), ipsis exhorrescentibus Ethnicis, miserandum in modum, ac hostili prorsus animo afflixerunt, adeo ut Cardinalis, ejusque comites martyrii coronam, quam in Sinarum Imperio a Paganis recipere nequiverunt, a Christianis jam expectare posse videantur. Quantopere ex hujusmodi factorum atrocitate commoti sumus, quamque intimum, ac plane acerbum dolorem inde susceperimus, satis verbis explicare non possumus; certi autem sumus, haud leviori molestia piissimum Majestatis Tuae animum, cum haec audiverit, affectum iri, eaque Regiae detestationis Suae argumenta daturum; quae rei indignitas a perspecta Majestatis Tuae justitia, et consueta erga hanc S. Sedem, et Ecclesiasticum ordinem reverentia postulat; Nos interea Te de his omnibus per celerem Tabellarium edocere consentaneum duximus, ut inde certum gravissimi animi Nostri sollicitudinem deprehendas, qua impellente Majestatem Tuam hortamur, et enixe etiam rogamus, ut memorato Cardinali, ejusque sociis libertatem repetendi primo quoque tempore Europam largiaris. Reliquum est, Charissime Fili Noster, ut officiales Tuos, qui non modo ab omni humanitatis, et justitiae lege, sed ab ipsa etiam Majestati Tuae rectissima mente, ac voluntate adeo turpiter decesserunt, gravioribus jam Ecclesiae censuris, et poenis multatos, iis insuper, quae a potestate Tua pendent, animadversionibus ita coerceas, ut intelligant omnes, et praecipue Sinenses, qui Legato Apostolico omnes plane honoris, ac reverentiae significationes perpetuo exhibuerunt, Te et injurias ipsi illatas molesto accepisse animo, et eas impunitas minime reliquisse; quod ubi feceris, gravem profecto dedecoris notam inclytae Lusitanae nationi irrogatam absterseris, quae non tam amplissimis, remotissimisque dominiis suo sanguine partis, quam singulari, perpetuoque suo in hanc S. Sedem, et illius administros obsequio merito gloriatur. Omnipotens Deus, Charissime in Christo Fili Noster, det Majestati Tuae semper proficere, Eamque ad nominis Sui Gloriam, universaeque Reipublicae Christianae utilitatem diu, sicuti cupit, sospitem, incolumemque conservet, dum Nos ipsi praecipuae, ac verae Paternae charitatis Nostrae testem Apostolicam Benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 4. Martii 1709. Pontificatus Nostri Anno nono.

Agitur in hoc Brevi de Conventu ad Crucem Montis Marii erigendo pro Fratribus perfectioris vitae ductis amore : variae , et diuturnae hujus Instituti vicissitudines exponuntur , quod tandem erat in Missionum Seminarium mutandum.

CLEMENS PAPA XI.

Dilecte Fili , Salutem , et Apostolicam Benedictionem.

Exponi Nobis nuper fecerunt Dilecti Filii Vicarius Generalis et Fratres Congregationis S. Marci Florentin. Provinciae Romanae Ordinis Praedicatorum, quod alias quondam Joannes Victorius de Rubeis in suo ultimo die 21. Decembris 1646. condito Testamento, Congregationem Fratrum Beati Petri de Pisis haeredem instituit, voluitque ut extra Portam Angelicam hujus almae Urbis in loco, qui ad Crucem Montis Marii vocatur, ubi Ecclesia sub titulo seu invocatione B. Mariae Virginis de Rosario , et Febre nuncupata reperitur , novus Conventus dictae Congregationis , et Mansiones ad usum illius Fratrum , qui perfectioris vitae studio ducti se se illuc recipere vellent, aedificarentur, dictique Fratres dictae Ecclesiae Divina Officia celebrare deberent, ac declaravit tot ex dictis Fratribus ibidem permanere debere, quot, ex ejus haereditate assignatis eorum cuilibet quotannis quinquaginta scutis monetae, ab omni expensa in Ecclesiam praefatam facienda, liberis ali possent, adjecta inter alias conditione, quia praevidebat non nisi sex Fratres ex dicta ejus haereditate in hoc novo Conventu ali posse, quod praedicta Congregatio ea super re necessarias litteras Apostolicas derogatorias intra sex menses obtinere curaret, et in eventum quo illas non obtineret, sex Presbyteros saeculares a se nominatos ei substituit, cum eodem onere celebrationis Divinorum Officiorum, ac pari assignatione quinquaginta scutorum similium cuilibet tot Presbyterorum saecularium hujusmodi, quot ex ejus haereditate ali possent annuatim persolvendorum , ac cum libera facultate ut eorum quilibet sibi successorem in perpetuum eligere valeret, ac denique tam dictis Fratribus, quam Presbyteris saecularibus in adimplemento alicujus conditionis, seu rerum eis ab ipso Testatore injunctarum deficientibus, Confratres pro tempore existentes Congregationis sub invocatione B. Mariae Virginis Assumptae in Domo Professa Romana Clericorum, seu Presbyterorum saecularium Societatis Jesu erectae ad dictam suam haereditatem vocavit, et alias prout in dicto Testamento uberius dicitur contineri. Praefata vero Congregatio B. Petri cum intra praefixum sibi tempus memoratas litteras Apostolicas non obtinuisset, dictique Presbyteri saeculares ad haereditatem, et Ecclesiam hujusmodi admitti conten-

derent, post dispendiosam duodecim annorum litem, eos per concordiam ad illas admisit, facta anno 1656. cuicumque suo praetenso juri ad favorem eorumdem Presbyterorum, eorumque successorum plena renunciatione. Porro subinde, nempe anno 1687., tres tunc existentes Ecclesiae praedictae Presbyteri ceteros suos collegas, uno dumtaxat dissentiente excepto, iuduxerunt ad similem renunciationem faciendam in favorem Congregationis Piorum Operariorum Neapolitan., qui cum usque ad annum 1693. Ecclesiam et haereditatem praedictas possedissent, agnoscentes se eas minus legitime possidere, post diuturnam litem cum dicta Congregatione B. Mariae Virginis Assumptae agitatam, similiter per concordiam Ecclesiam, et haereditatem hujusmodi dimittere coacti fuerunt, ideoque eadem Congregatio B. Mariae Virginis locum tandem successioni in dictam haereditatem ad sui favorem factum esse existimans, litem etiam contra memoratos Presbyteros, qui dicto anno 1687. Ecclesiae, et haereditatis praefatarum possessores erant, in sacro causarum Palatii Apostolici Auditorio movit. Verum per primam decisionem anno 1696. ab eodem Auditorio emanatam exclusa, motae litis hujusmodi ad favorem eorumdem Presbyterorum, quorum plerique adhuc superstites existunt, pariter per concordiam renunciavit. Demum eadem Congregatio S. Josephi in Ecclesia S. Pantaleonis in Montibus de Urbe praefata Instituta cum anno 1704. super tribus dubiis litem praetensi juris ad dictas Ecclesiam et haereditatem contra dilectos etiam filios Hieronymum Berti, et Joannem Messerotti Presbyteros illarum Possessores in Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. Ecclesiae Cardinalium, et Dilectorum pariter Filiorum Romanae Curiae Praelatorum super negotiis Visitationis Apostolicae Ecclesiarum, et locorum Piorum dictae Urbis, auctoritate Apostolica instituta, similiter movisset, die 8. Maii ejusdem anni omnium votis super singulis dictorum dubiorum penitus exclusa remansit, nec unquam novam audientiam, pluries licet petitam, obtinuit: quin immo sententiam tunc existentis causarum Curiae Camerae Apostolicae Generalis Auditoris super executione Decretorum dictae Congregationis Cardinalium et Praelatorum ad favorem Hieronymi et Joannis Presbyterorum possessorum praefatorum emanavit. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat propter praenarratas, aliasque dispendiosas lites, et calamitates temporum, malamque administrationem dictae haereditatis, tempore praesertim defunctorum illius possessorum Presbyterorum, Ecclesia praedicta cum ejus facie, et quatuor Cappellis operis omnino rustici reperiantur, illiusque Tholus, et hypethrum imbribus praevia celeri reparatione indigeant, nec non murus corruerit, aliusque similis, et quidem scaphus grandior, ac alia aedificia ruinae proxima sint, quodque magis dolendum est dictae haereditatis reditus jam usque ad medietatem diminuti reperiantur, ita ut cum antea sex Presbyteri ex dictis reditibus alerentur, nunc tres tantum de hac re-

liqua illorum medietate, licet alius Presbyter partem etiam in ea praetendat, participent, adeoque ibi cultus Divinus juxta piam dicti Joannis Victorii Testatoris mentem adimpletus non fuerit; nec attento praesertim quod nunc unus tantum Presbyter ibidem resideat, adimpleri posse videatur, ac propterea dicti Hjeronymus et Joannes, duo ex tribus modernis dictarum Ecclesiae, et haereditatis possessoribus Presbyteris, habito alias de licentia Nostra super hoc cum praedicta Congregatione S. Marci tractatu die 22. Augusti proxime praeteriti, dictam haereditatem cum omnibus illius reditibus, et pertinentiis, reservato tamen sibi quoad vixerint usu Cellarum, seu Mansionum praedictae Ecclesiae annexarum, quo de praesenti gaudent, et dummodo ad id Nostrum, et hujus S. Sedis beneplacitum accedat, ad favorem ejusdem Congregationis S.Marci, quantum ad eos spectat, cesserint et renunciaverint: Ipsi vero exponentes, qui (ut asserunt) nullum in dicta Urbe, seu prope illam pro negotiis suis agendis hospitium vel diversorium habent; si dicta Ecclasia cum illis reditibus, et mansionibus dictae eorum Congregationi a Nobis concedatur, praedicto usu mansionum dictis Hjeronymo, et Joanni titulo hospitii quoad vixerint relicto, a die habitae possessionis loci, seu Ecclesiae hujusmodi, omniumque illius pertinentiarum, dilecto pariter Filio Francisco de Sanctis, qui una cum illis tertius Ecclesiae et haereditatis praedictarum possessor Presbyter existit, et hactenus cessioni hujusmodi minime consensit, quinquaginta scuta paria, quot scilicet dictus Joannes Victorius Testator singulis Presbyteris, sicut praemittitur, assignavit, illius vita durante, ex praedictis reditibus annuatim solvere, ac Dilecto etiam Filio Joanni Baptistae Perotti, qui uti quartus Presbyter jus etiam ad illos praetendit, id quod Nobis, considerata praenarrata dicti Joannis Victorii Testatoris dispositione, justum visum fuerit, ex eisdem reditibus quotannis ad ejus pariter vitam praestare; rebusque ita compositis duos Laicos Religiosos praedictae eorum Congregationis ad dictam Ecclesiam mittere, ibique collocare, ac deinde Conventum formalem, et Seminarium Religiosorum Missionariorum usque ad numerum sex Religiosorum hujusmodi ad majorem Dei gloriam, Divini Cultus incrementum, et Catholicae Fidei propagationem, modo et tempore Nobis praescribendis quantum in ipsis erit, adjuvante Domino, instituere paratos se se afferant, sibique propterea praemissis opportune a Nobis provideri, et ut infra indulgeri summopere desiderent: Nos Sacrarum Missionum incrementa promovere, ac specialem dictis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis Excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequen., harum serie absolventes et absolutos fore censentes, nec non dicti Testamenti te-

norem, et alia quaecumque etiam specificam, et individuam mentionem, et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habent, supplicationibus eorumdem exponentium nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, circumspectioni Tuae, Fili Noster Vicari, seu discretioni Tuae, Fili Vicesgerens, per praesentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, et accedente consensu dictorum Hieronymi, et Joannis, nec non exhibita Tibi valida, et authentica illorum renunciatione cuicumque juri, quod in dicta Ecclesia, illiusque aedificiis, et reditibus, ac perceptione emolumentorum habere possunt, facultate eis dumtaxat habitandi in Cellis praedictis, quatenus tamen tot aliae Cellae supersint, in quibus infrascripti Religiosi commode habitare possint, reservata, ut praefertur, non obstan. praedictorum Francisci et Joannis Baptistae, quibus ut infra providebitur, dissensu, quatenus ipsi ad praestandum consensum a Te requisiti cum assignatione termini competentis dissentiant, vel non consentiant, eandem Ecclesiam una cum omnibus illius aedificiis, juribus, pertinentiis, et introitibus universis praedictae Congregationi S. Marci, quatenus tamen prius ad sex Religiosos ipsius Congregationis Sacerdotes, qui intra septa dictae Ecclesiae degant, et Ecclesiasticis functionibus ibi exercendis juxta proprium Institutum addicti sint, simulque dicti Joannis Victorii Testatoris voluntatem in ea parte, quae cultum Ecclesiae, et bonum spirituale Christifidelium respicit, adimpleant, nec non ad munus Missionariorum explendum, et Catholicam Fidem propagandam idonei existant, intra sexennium a die executionis praesentis gratiae computandum ex dictae Ecclesiae, et propriis ipsius Congregationis reditibus perpetuo sustentandos in forma valida se obligent; itaut Conventus inibi ante dicti sexennii lapsum erigendus, sit Seminarium Missionariorum, qui mandatis Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae praedictae Cardinalium negotiis Propagande Fidei praepositae semper obtemperare debeant: interim vero statim atque praesens gratia executioni demandata fuerit, unum Regularem Laicum, et tres pariter Religiosos Sacerdotes sui Ordinis, et Instituti, qui memoratae Testatoris voluntati cultum Ecclesiae, et bonum spirituale Christifidelium concernenti obsequi debeant, intra septa Ecclesiae hujusmodi dicto sexennio durante ex eisdem reditibus etiam substentare promittat, auctoritate Nostra Apostolica concedas, et assignes: quatenus vero dicta Congregatio conditionibus praefatis intra tempus sibi, ut sicut praemittitur, a Te praefigendum, non pareat, eam quocumque jure, quod ex ejusmodi gratia sibi acquisitum fuisse praetendere posset, perinde ac si illa concessa non fuisset, omnino carere dicta auctoritate declares. Porro eamdem Congregationem ad quinquaginta scuta monetae dicto Francisco quoad vixerit, et alia quadraginta praedicto Joanni Baptistae etiam quoad vixerit, vel aliter de aequivalenti rata ei a Nobis

provisum fuerit, quotannis ex reditibus dictae Ecclesiae a die quo possessionem bonorum ejusdem Ecclesiae acquisiverit, et non ante, subministranda teneri, ac pro subministratione hujusmodi bona ipsius Ecclesiae ad illorum favorem obligata, atque hypothecata remanere eadem auctoritate decernas; non obstan. praedicti Ioannis Victorii Testatoris etiam ultima voluntate, quam quoad praemissa sufficienter, et expresse commutamus rebus judicatis, aliisque praemissis, ac rec. mem. Pauli II. et aliorum Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, aliisque Constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit Congregationis Sancti Marci et Ordinis praedictorum, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 3. Februarii 1710. Pontificatus Nostri Anno decimo.

F. Oliverius.

Alexandri totius gentis Armenorum Patriarchae inquirendae veritatis propositum commendat, hortaturque, ut ad verae Ecclesiae unitatem introire festinet.

CLEMENS PAPA XI.

Venerabilis Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Magna charitate perlegimus Fraternitatis Tuae litteras, in quibus praeter disertam, ac officiosam Tuae in Nos voluntatis explicationem, visum est Nobis elucere cum peculiari Tuo studio erga Christianam Religionem laudabile quoddam propositum scrutandae, ac inquirendae veritatis ex Sacris Scripturis, et Patrum testimoniis, ex quibus certe fontibus, si modo incorrupti sint, elici ea maxime potest. Gratum itaque habuimus hoc non vulgare specimen Tuae bonae mentis, et quia compertum Nobis est, quo loco sis, et quanto in honore habearis apud inclytam Armenorum nationem, flagravit cor Nostrum desiderio demerendi animum Tuum, adjecta etiam spe, quod Tu, explorata demum veritate, particeps futurus solicitudinis Nostrae

in promovenda aeterna Tuorum salute, et quod curaturus sis deducere oves, quae Te sequuntur, ad Christi ovile per tutam illam semitam, extra quam qui incedit prorsus aberrat, quatenus ipsae tecum per veram Fidem ad Divinam Gratiam, et per hanc ad perennem in Caelis gloriam conscendant. Illud etiam jucundum Nobis fuit ex eisdem Tuis litteris intelligere, quod supremam hanc Sancti Petri Apostolorum Principis Cathedram reverearis, exemplo praeclari Antistitis Antecessoris Tui Divi Gregorii Illuminatoris, quem tamen si vere aemulari cupis, quemadmodum Te cupere credimus, oportet ut illam ipsam Catholicam Fidem recipias, quam tenet Sancta Romana Ecclesia, omnium per universum orbem Ecclesiarum vera et unica Mater, ac Magistra. Nam etsi ista, quae Tibi tanquam Patriarchae obsequitur Armenorum natio, Christianam Fidem profiteatur, et ejusdem Fidei pleraque mysteria agnoscat, veramque doctrinam in pluribus recipiat; ab illa tamen integra et illibata Fidei regula, quam ab ipso Ecclesiae nascentis exordio Sancti Patres, atque Doctores firmiter tenuerunt, lapsu temporum sensim deflexit, et in quibusdam articulis dissensit, et actu modo dissentit, quod sine summo animi Nostri dolore commemorare non possumus ob maximum Animarum Christi Sanguine redemptarum detrimentum, omnimodamque perniciem, quae inde in dies contingit. Certum est enim, quod sine vera, ac pura Fide impossibile est placere Deo: non est autem vera ac pura Fides, quae ex aliqua parte contradicit, cum scriptum sit, quod qui in uno offenderit, factus est omnium reus. Si itaque Deus Nostris et Fidelium precibus exoratus tam misericorditer Tecum egerit, ut constituas, abrupto divisionis laqueo, conformare omnino Teipsum Tuosque in cultu Fidei huic Sanctae Romanae Ecclesiae, ac, ita ut oportet, agnoscere Caput, et Pastorem universalem omnium Fidelium, Romanum scilicet Pontificem Christi Vicarium, ac successorem Sancti Petri, cui dictum fuit pasce oves meas, Nos magna in Domino laetitia perfusi Te, et eos omnes, qui Tecum ita sentient, Paterno corde complectemur. Ut autem Tibi patet via, qua, benedicente Domino, id demum perficere possis, adjungimus his Nostris formulam Typis impressam, in qua Sanctae, ac Catholicae Fidei articuli continentur, quae non alia est ab ea, quam Sanctus Petrus et Apostoli docuerunt, et Romana Ecclesia Fidelibus omnibus servandam usque ab initio proposuit. Hortamur autem Te, et summa charitate obtestamur, ut si Tuam, Tuorumque salutem amas, ac serio quaeris, ne cuncteris Tuam subscriptionem non tam quidem calamo, quam corde exaratam huic formulae adjicere, utque eandem sic subsignatam ad Nos statim remittas, atque ut deinceps veritatis in ea contentae Praeco ac Magister Populis istis esse velis: quo in studio operam Tibi suam libenter adjungent Missionarii, et quidem ea, qua par est, humilitate, omnique erga Te reverentia; compertum est enim ipsis optari a Nobis, ut Catholicae Religionis cultus in istis partibus nulla Tuae Dignitatis imminutione augeatur. Cete-

rum grato libentique animo audivimus a Dilecto Filio religioso viro Jacobo Tillot e Societate Jesu, qui cum Oratore Christianissimi Regis isthinc pridem discessit, Te non praetermisisse auctoritate Tua confovere mutuum amorem inter Armenos, et Missionarios Europae, ob quae officia plurimum Tibi debemus, Deumque multo vehementius precamur, ut quod in Te caepit, perficiat, et super caput Tuum Gratiae Suae dona liberaliter diffundat, qua spe Apostolicam Benedictionem Fraternitati Tuae peramanter impertimur.

Datum Romae etc. die 15. Martii 1710.

Joannem Lusitaniae Regem de gemina matrimoniali alloquitur dispensatione. Per quam maximo afficitur Pontifex dolore, quod in Urbe Regia Macaonensi Cardinalis de Tournon Legatus a latere Visitator Apostolicus detineatur, exercitio auctoritatis privatus, et libertate. Hortatur, ut honori consulat, et saluti, et Pontificiis litteris responsa non deneget.

Charissimo in Christo Filio Nostro Joanni Portugalliae et Algarbiorum Regi Illustri.

CLEMENS PAPA XI.

Charissime in Christo Fili Noster, Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Confidimus Majestatem Tuam non aegre intellecturam esse, plurimum apud Nos valuisse vim, ac magnitudinem Paternae Nostrae in Te charitatis, ubi decrevimus annuere enixis Tuis precibus per Tuas litteras, perque tuum Ablegatum Nobis delatis, concessa demum gemina dispensatione super arctissimis sanguinis impedimentis inter praestantes utique istius Regni Familias intercedentibus, quatenus duplex illud matrimonium, quod tanto utrique compendio fore dicebatur, iniri posset: cum tamen urgerent in contrarium gravissimae difficultates, quas exemplum similis dispositionis favore, et commodo alterius ex eisdem Familiae a Nobis annis elapsis indultae adeo non minuebat, ut potius multo minus congruum esse videretur, plures hujusmodi gratias, raras prorsus, ac singulares in unam, eandemque Familiam utcumque nobilitate inter ceteras praecipuam, et consanguinitate Regiam stirpem attingentem congerere. Quod itaque a Te tantopere optari vidimus, hoc perficimus, ut agnosces, ex diplomatibus, in consueta forma desuper expediendis, et quidem perfecimus alacriter ac libenter, quamvis inter deliberandum, et dum res tanti momenti expenderetur, non deessent, qui existimarent, Nobisque sua-

dere curarent, congruere omnino, quod ubi Tuis votis in re annuendum esse statueremus, ne ullo modo petitas gratias a Nobis obtineri; quin prius actu assequeremur ea quae Iustitiae nomine tamdiu a Te expetita, nunc tandem a Te referenda esse videbantur: sed Nos libere gratificandum Tibi esse duximus, confisi Te aequo animo Nobis esse responsurum, satis enim superque compertum esse credimus Majestati Tuae quibus fundamentis Jura Apostolicae Sedis innitantur, circa notum nimis, et usque adeo discussum et agitatum Quindenniorum negotium. In quo quidem certi sumus Nos vias, modosque luculenter in Tua Civitate explicasse, ac interjectos ex industria obices oblatis congruis mediis sustulisse, ut res tota congrue honosteque confici, ac prorsus absolvi posset; sed tamen adhuc in expectatione optati exitus sumus. Verum longe gravius, ac profecto molestius Nobis est scandalum illud sane maximum orbi universo, oculis scilicet Fidelium, ac Infidelium propositum, quod scilicet S. R. E. Cardinalis Apostolicae Sedis Legatus, cui certe summam reverentiam inter ceteras ejus praerogativas insignes, conciliare debet zelus, ac invicti animi constantia, quam arduam, ac plenam periculis provinciam pro Catholica Religione suscepit, ab Officialibus, ac Administris Lusitanis in Tua Civitate detineatur, usu libertatis, et exercitio Auctoritatis exutus, non alio sane nomine reus, quam quia decreta, ac definitiones Apostolicae Sedis in causa Fidei palam denunciare, atque executioni demandare, quod sui muneris erat, curavit. Qua in re sine magno horrore ab his, qui pie, ac probe sentiant, nunquam exaudienda; perpendere debes quali injuria efficiatur Ecclesia, quale onus Tuae famae, et (quod magis est) Tuae conscientiae incumbat, nisi ea, quae injussu Tuo contra fas omne in hac causa ab initio admissa, deinde vero a Te rescita, re probe comperta, fuerunt, celeri, ac congrua reparatione corrigantur. Vide autem, ne forte plus nimis tribuens humanis rationibus, dum offensam, et odium terrenae potentiae declinare studes, judicium incurras Dei viventis, apud quem, nec expers culpae, nec immunis esse potest a poena, qui Apostolicos viros pro eo in terris Legatione fungentes, laedere, contristare, aut quoquomodo perturbare non veretur. Porro cum solicitudo, quam gerimus pro obtinenda, ut par est, libertate dilecti Filii Caroli Thomae S. R. E. Cardinalis de Tournon, honorem ut diximus Tui nominis, Tuaeque spiritualis salutis bonum, proxime respiciat mutuam filialis Tuae in Nos devotionis significationem, merito reposcit, ut acerbissimi doloris, quo propterea afficimur, levandi Tibi curam esse re ipsa ostendas, ac comprobes: vix enim dici potest, quam mirum ac grave Nobis acciderit, quod iis litteris, quas dudum monitis, praecibus, atque obtestationibus Nostris refertas, non semel, imo etiam aliquando per celerem Cursorem hujus rei gratia ad Te misimus, nullum hactenus responsum ad Nos pervene-

rit. Vicem itaque Paternae Nostrae benevolentiae reddere ne praetermittas, et quando Nos praecipua amoris Nostri documenta Tibi praebemus, Tuum vicissim studium Nobis explica, dum Nos in auspicium felicitatis Apostolicam Benedictionem Majestati Tuae amantissime impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem etc. die 12. Julii 1710. Pontificatus nostri anno decimo.

Nulla allata Apostolicis litteris responsione, moeret vehementer Clemens, quod Lusitaniae Rex nondum jusserit Cardinalem de Tournon a captivitate in libertatem vindicari, nec adhuc poenam sumpserit de iis, qui violentas manus in Christum Domini injecerant, monetque ut id perficiat, ad quod bonus honor, et salus aeterna compellunt.

Charissimo in Christo Filio Nostro Joanni Portugalliae, et Algarbiorum Regi Illustri.

CLEMENS PAPA XI.

Charissime in Christo Fili Noster, Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Perpendentes appropinquare jam tempus, quo Lusitanae Naves sub auspiciis Majestatis Tuae profectionem in Indias Orientales instituere solent; prae oculis autem jugiter habentes execrabile scandalum in illis partibus ab ipsis Fidelibus (quod sine horrore, et sine lacrymis referre non possumus) adversus Filium Nostrum Carolum Thomam S.R.E. Cardinalem de Tournon temere, ac palam admissum, de quo quidem statim ac Nobis innotuit per Nostras litteras die quarta Martii anni proxime elapsi datas, ac per celerem Cursorem isthuc missas graviter Tecum, prout rei magnitudo expostulabat, conquesti fuimus, ad quas tamen litteras nullum hactenus responsum Nobis afferri contigit, vim ac impetum justi, ac intimi doloris Nostri diutius cohibere non possumus, quin iterum, atque ferventius interpellemus, ac per Deum Omnipotentem obtestemur Majestatem Tuam, ut serio cogitet, ac videatne si tanto flagitio congruis remediis occurrere neglexerit, aut distulerit, magna Suo nomini nota, sive potius suae conscientiae labes inuratur. Nam quia Tuae Auctoritati subiiciuntur, Tuoque nomine praesunt illi, qui violentas manus ausi fuerunt mittere in Christum Domini, Tuum profecto est ita in eos animadvertere, ut omnes intelligant reprobatos a Te, et indignanter exauditos fuisse sacrilegos eorum ausus, es-

seque Te tum satis gnarum, cum probe memorem, qualem reverentiam Apostolicis viris adhiberi velit Deus, et quam ille tutelam eisdem polliceatur, cum dicit = Qui vos spernit, me spernit, et qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei = Cum itaque Capitaneus Generalis aliique Officiales, et Administri Tuo nomine residentes in civitate Tua Macaonensi, adstipulante ipsis in maximum Sui Ordinis dedecus ejusdem loci Episcopo, qui Tui Consiliarii nomen praefert, veriti non fuerint Sedi Apostolicae Legatum, non tum insigni muneris praerogativa, quam excelsa virtute conspicuum (quem Nos praeterea ad Cardinalitiam dignitatem subinde eveximus) ab Imperio Sinarum ob excitatam adversus eum, Christianae Religionis causa, improbam procellam; illuc jussu Imperatoris reducem, non eo, quo par erat, cultu, et obsequio, sed inhumano prorsus ac ostili modo excipere, eumque injuriis, et contumeliis affectum militari custodiae tradere, ac in ipsius familiares diversimode saevire, ac demum multo durius in eum agere, quam ipsi infideles egissent, a quibus non sine aliqua honoris significatione illuc revertebatur. Vides jam, Charissime in Christo Fili Noster, quid a Tua Auctoritate, et Justitia, quid ab eximia illa pietate, ac zelo, quo Tuorum Majorum inclytae memoriae Regum exemplo incendi debes favore Religionis, expectet Christianus Orbis, in cujus conspectu tam horrendum facinus inaudita temeritate perpetratum fuit. Quod autem attinet ad reddendam memorato Cardinali libertatem, etsi in hoc maxime versetur solicitudo Nostra, non tamen Nobis in hoc apud Te allaborandum esse ducimus; confidimus enim Te nedum praefatis monitis Nostris, sed ipsa facti iniquitate commotum, ubi primum per occasionem licuit, mandasse, ut omni, ille, ab ignominia per nefariam illam detentionem ipsi irrogata, statim eximeretur; satis enim perspectum est, quod quamdiu idem Cardinalis turpem hanc poenam subire cogetur, tamdiu acerbissimum vulnus haerebit lateri Ecclesiae: quod nec Nos ullo modo ferre possumus, nisi muneri Nostro deesse velimus, nec Deus aequissimus Judex inultum esse patietur, sed auctores, et consiliarios aut quoquomodo ejus criminis participes, suae iracundiae flagello percutiet. Certi interim, Majestatem Tuam sedulo curaturam esse consulere famae ac saluti Suae, quae, neglecta, aut dilata tam necessaria ope, periclitaretur; Apostolicam Eidem Benedictionem, sub hac spe, amantissime impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 25. Januarii 1710. Pontificatus Nostri Anno decimo.

De amplissimis facultatibus fit mentio, quae Cardinali de Tournon ad Sinas Visitatori Apostolico proficiscenti, sunt attributae. Inter quas una est, cujus vi poterat viduatis Ecclesiis Pastores praeficere. Cum ergo Claudium Visdilou Societatis Jesu Claudiopolitanae Sedi elegisset, et Provinciae Queicheu in Vicarium Apostolicum destinasset, Pontifex electionem confirmat, ea sanando, quae professio Religiosa illum exercere vetabat.

Venerabili Fratri Claudio Visdilou Episcopo Claudiopolitano.

CLEMENS PAPA XI.

Venerabilis Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Fraternitatis Tuae in Nos, et Apostolicam Sedem fides, et devotio, ac Christianae Religionis, Catholicaeque Fidei tuendae, et propagandae zelus, aliaque laudabilia pietatis, doctrinae, prudentiae, et charitatis, aliarumque Episcopalium virtutum merita, super quibus apud Nos fide digno commendaris teste, Nos inducunt, ut Te specialis favore gratiae libenter prosequamur. Cum itaque (sicut accepimus) Dilectus Filius Noster Carolus Thomas S. R. E. Cardinalis Millard de Tournon nuncupatus, quem alias per quasdam Nostras in simili forma Brevis die 4. Julii 1702. expeditas litteras, Nostri, et Apostolicae Sedis Commissarium et Visitatorem Generalem in Sinarum, et aliis Indiarum Orientalium Regnis cum potestate et Nostri, et ejusdem Sedis de latere Legati, nec non cum diversis, et amplissimis facultatibus, ac inter alias interpretandi quascumque Constitutiones Apostolicas, moderandi itidem, suspendendi, atque revocandi quibuscumque personis tam Saecularibus, quam Regularibus, et Societatis Jesu quaecumque privilegia a Sede praedicta quomodocumque, et ex quotannis causa et pluries confirmata, et innovata; praeterea Vicarios Apostolicos instituendi, et jam constitutos, seu etiam ab eo instituendos, quos in Domino magis idoneos, tantoque muneri exequendo aptiores judicasset, nonnullis Cathedralibus Ecclesiis, et signanter Claudiopolitanae, in aliis Partibus Infidelium consistentibus, et Pastoris solatio destitutis in Episcopos, et Pastores Auctoritate Apostolica praeficiendi, eisque sic praefectis munus consecrationis, cum assistentia duorum aliorum Presbyterorum, etiam si non essent Episcopi, nec in Ecclesiastica Dignitate constituti, si adfuissent, sin minus etiam sine illorum assistentia impendendi, atque etiam consecrationem hujusmodi aliis

Episcopis impendendi: Declarandi insuper et definiendi quaecumque dubia, aut difficultates, quae super omnibus, et singulis suis facultatibus insurgere, aut excitari quoque modo possent, ita ut ejus declarationi omnes tam Saeculares, quam Ecclesiastici, et cujuscumque Ordinis Regulares, etiam dictae Societatis Jesu, quacumque appellatione remota, acquiescere, et obedire tenerentur, sub certis modo et forma tunc expressis, constituimus et deputavimus. Cum Te, qui Presbyter Regularis ejusdem Societatis Jesu expresse professus eras, dictae Ecclesiae Claudiopolitanae sub praecepto obedientiae in Episcopum, et Pastorem praefecerit, curam, regimen, et administrationem illius Tibi in spiritualibus, et temporalibus plenarie committendo, ac forsan juxta memoratarum suarum facultatum tenorem, et formam Tibi dictum munus Consecrationis impenderit, seu Consecrationem hujusmodi aliis Episcopis commiserit; nec non insuper Te Provinciae Quei-cheu in Sinis Vicarium Apostolicum constituerit et deputaverit; Tu vero juxta Constitutiones dictae Societatis votum expresse emiseris, Deoque, ac Domino Nostro promiseris Te in Tui electionem ad quamcumque Praelationem, vel Dignitatem, seu munus Ecclesiasticum extra eamdem Societatem, quoad per Te fieri posset, consensum minime praestiturum, nisi coactum obedientia ejus, qui Tibi id praecipere potuisset sub poena peccati; per quasdam autem Constitutiones Apostolicas specialiter, et expresse cautum reperiatur, neminem etiam de latere Legatum, Nuncium, et quemcumque alium, et speciali nota dignum vigore quarumcumque facultatum, quavis ex causa sibi concessam super voto praedicto dispensare, seu illud commutare, vel relaxare posse; sed hujusmodi dispensationem, commutationem, del relaxationem dumtaxat Nobis, et Romano Pontifici pro tempore existenti reservatam esse: Hinc est quod Nos, ne de praemissorum validitate ullatenus dubitari contingat, illorum omnium, et dictorum robori, firmitati, et efficaciae, quantum cum Domino possumus, opportune providere, Teque specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes; de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. praedictae Cardinalium in universa Republica Christiana contra haereticam pravitatem generalium Inquisitorum a Sede praedicta specialiter deputatorum consilio, Tecum super quocumque voto a Te quomodolibet emisso et quantiscumque vicibus reiterato de non acceptanda ulla Praelatione, seu Dignitate, vel munere Ecclesiastico extra Societatem praedictam, consensuque desuper non praestando, nec non quocumque juramento, si quod forsan ea super re praestiterit, ita ut illis non obstantibus Praefectio de Tui persona

in Episcopum, et Pastorem dictae Ecclesiae Claudiopolitanae, ac constitutio et deputatio de eadem Tui persona in Vicarium Apostolicum praedictae Provinciae Quei-cheu a memorato Carolo Thoma Cardinale Commissario, et Visitatore Generali, vigore facultatum ei per supradictas Nostras litteras, quarum tenorem praesentibus haberi volumus pro expresso, attributarum, sicut praemittitur; facta nec non susceptio muneris Consecrationis, quod forsan dictus Carolus Thomas Cardinalis, Commissarius, et Visitator Generalis juxta tenorem et formam dictarum facultatum Tibi impendit, seu ab aliis Episcopis Tibi impendendum commisit, ut praefertur, ab ipso initio valeant, viribusque plene subsistant, ac Tibi in omnibus, et per omnia suffragent perinde ac si votum, et juramentum praedictum nunquam emisisses, et praestitisses, auctoritate Apostolica tenore praesentium dispensamus, votumque, et juramentum hujusmodi Tibi ad effectum praedictum relaxamus: Ac easdem de Tui persona in Episcopum, et Pastorem Ecclesiae Claudiopolitanae Praefectionem, nec non in Vicarium Apostolicum Provinciae Quei-cheu constitutionem, et deputationem, muneris quoque Consecrationis susceptionem cum omnibus, et singulis illorum vigore, a Te ceteroqui legitime factis, gestis, decretis, mandatis, et ordinatis, ac alias quomodolibet inde ceteroqui pariter legitime secutis, et secuturis, auctoritate, et tenore praesentis ab ipso pariter initio validamus, confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos juris et facti defectus, qui propter praemissa quomodolibet intervenerunt, seu intervenisse dici, censeri, vel praetendi possent, supplemus, et sanamus. Decernentes ipsas praesentes litteras firmas, validas, et efficaces existere, fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac Tibi in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. praedictae Cardinales etiam de latere Legatos, et dictae Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentia, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere; ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis etiam Conciliaribus, nec non dictae Societatis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, et litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumta-

xat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 15. Martii 1711. Pontificatus Nostri Anno undecimo.

Decretum Cardinalis de Tournon pro bono Sinensis Missionis Apostolica Auctoritate confirmat.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Cum (sicut accepimus) alias, nempe Anno 1708. dilectus Filius Noster Carolus Thomas S. R. E. Cardinalis Maillard de Tournon nuncupatus, tamquam Noster et Apostolicae Sedis Commissarius et Visitator Generalis in Sinarum, et aliis Indiarum Orientalium Regnis cum potestate etiam Nostri, et ejusdem Sedis de latere Legati a Nobis deputatus, et varios abusus, quos in Apostolicae Auctoritatis contemptum in illarum partium Missionibus irrepsisse cognoverat, emendaret per suum Edictum, seu Decretum in Civitate Macaonen. editum, districte prohibuerit, ne ullus Missionarius sive Saecularis, sive Regularis cujuscumque Ordinis absque ipsius Caroli Thomae Cardinalis Commissarii, et Visitatoris Generalis licentia Missiones Sinicas ingredi, vel, ea non obtenta, Missionarii munus in illis obire, aut etiam ea minime quaesita, sive non obtenta ab illis discedere auderet, sub poena suspensionis a Divinis per contrafacientes eo ipso incurrenda, simulque sub eadem poena interdixerit, ne ullus sive Saecularis, sive Regularis absque ejusdem Caroli Thomae Cardinalis Commissarii, et Visitatoris Generalis consensu, Superioratus cujuscumque officium in alios sui Gremii, vel ordinis Missionarios in Sinis assumere, seu exercere praesumeret, et alias prout uberius continetur in eodem Edicto, seu Decreto tenoris sequentis, videlicet = Carolus Thomas Maillard de Tournon Dei, et Sanctae Apostolicae Sedis gratia Patriarcha Antiochenus, Sanctissimi Domini Nostri Domini Clementis Divina Providentia Papae XI., Praelatus Domesticus, ejusque Pontificio solio assistens, necnon Sanctae Romanae Univers. Inquisitionis contra haereticam pravitatem Consultor, ac in Indiis Orientalibus, et Sinarum Imperio, finitimisque Regnis, et insulis Commissarius, et Visitator Apostolicus Generalis cum facultate Legati de latere, omnibus et singulis Missionariis tam Saecularibus, quam cujuscumque Ordinis Regularibus, et eorum Superioribus in hac Sinensi Missione salutem in Domino. Quasi castrorum acies ordinata Nobis exhibetur Ecclesia ab eo, qui rerum omnium est ordo perfectus, et immutabilis absque vicissitudinis obumbratione,

ut quemadmodum milites hujus saeculi sub Tribunis, Praefectis, et Ducibus bella gerunt, ita et Praepositis suis discant parere qui sub Jesu Christi Vexillo militare profitentur; et quidem cum Christi membra simus, debemus juxta Apostolicam traditionem capiti ordine hierarchico adhaerere secundum operationem in mensuram cujuscumque membri, atque in Praelatis Christi vocem audire, et imaginem venerari, docentibus Nos sacris Paginis obedire Praepositis etiam discolis, et Deo potius obedientiam afferre, quam victimam. Quod si ordo ubique apprime convenit, hic est maxime necessarius ubi Sanctitatem Christianae Religionis in recta illius Ministrorum disciplina decet praefulgere; ex quorum officio, et exemplo sanctitatis gloria stare videtur, et bonus odor notitiae Dei manifestatur. Quis enim honor Evangelii, si lapides sanctuarii in capite omnium platearum sint dispersi? Disperguntur namque cum Sacerdotes, et perfectioris Institutionis viros in Ecclesiae aedificationem compositos a solido Divini Aedificii fundamento per inobedientiam dissolutos, et petrae, a qua excisi sunt, immemores, conspicimus cum abjectis Regiminis Juribus, in Praepositos suos palam insiliunt, qui eorum deberent apparere ornamentum, et cum insalutato Pastore Dominici Gregis curam inordinate usurpare praesumunt, non attendentes, cui dictum sit a Domino - *Pasce oves meas* - neque miseram reformidantes conditionem non intrantium ad ovile per ostium. Cum itaque scandala ita sub oculis Nostris, et in positivum Apostolicae, qua fungimur, auctoritatis contemptum in has Missiones nuper irrepserint, et quod delendum magis est per quosdam Religiosos strictiori voti vinculo Sanctae Sedi Obedientiae obstrictos, lugere cogimur cum Propheta aurum obscuratum et mutatum colorem optimum, qui sane juxta Divum Gregorium commutatur, cum eorum, qui degere religiose credebantur, aestimatio anteacta minuitur; ne autem omnino inanis sit luctus Noster pro viribus commissae Nobis, licet immeritis, a Sanctissimo Domino nostro Domino Clemente Papa XI., et a Sancta Sede potestatis, abusibus hujusmodi obviam ire volentes, decernimus, et statuimus, ut quicumque Missionarius aut Presbyter sive Saecularis, sive Regularis cujuscumque Ordinis, etiam Societatis Jesu desiderio Propagandae Fidei ad has Sinenses oras appulsus, vel appulsurus, Missiones ingredi, non requisita prius Nostra licentia (quae in scriptis dabitur), vel ea non obtenta Missionarii munus obire, vel ea etiam irrequisita aut non obtenta hinc recedere praesumpserit, sit ipso facto suspensus a Divinis, non obstantibus quibuscumque Indultis, et privilegiis Apostolicis etiam Societatis Jesu, quae ad hunc effectum quatenus opus sit, ex speciali, quae Nobis est data a Sancta Sede, facultate suspendimus, et suspensum declaramus: cum illis vero, qui inordinato hoc modo ingredi in Missiones ausi sunt, benigne indulgentes, quadrimestre a publicatione praesentium concedimus ad moram purgandam; quo tempore elapso, nisi facti poenitentes veniam cum

licentia a Nobis humiliter impetraverint, sint etiam ipso facto a Divinis suspensi. Et quoniam in his non videntur innoxii eorum Superiores, qui Regiminis habenas, Nobis nequidem monitis, clam suscipientes pernicioso exemplo, et interdum etiam consilio subditos suos in foveam inobedientiae ducunt, contra quos Dominus per Prophetam queri videtur, dicens - *Oves meae, quae conculcatae pedibus vestris fuerant, pascebantur* - conculcatae siquidem Pastorum pedibus oves pascuntur, cum subjecti ea, quae aspiciunt opera pravitatis, imitantur. Iis igitur aliisque de causis praecipimus, et in virtute Sanctae Obedientiae mandamus, ut nullus sive Saecularis, sive Regularis etiam Societatis Jesu, Nobis inconsultis, et non obtento prius Nostro consensu, Superioratus cujuscumque officium in alios sui Gremii, vel Ordinis Missionarios in Sinis assumere, seu exercere praesumat. Quod si aliquis Visitatoris, Vice-Visitatoris, Provincialis, Vice-Provincialis, Commissarii aut Vicarii Provincialis titulo forsan nominandus, sive superior quicumque contrafaciet, praeter suspensionem a Divinis ipso facto incurrendam Nobis, et Sanctae Sedi reservatam, ex nunc pro tunc irritamus, et annullamus quaecumque acta, et praecepta ab eo facta, et facienda, atque illa irrita, et nulla declaramus, subditosque ab illius obedientia in utroque foro absolvimus, et liberamus. Et ita ex commissa Nobis Apostolica auctoritate etiam Legati de latere decernimus, statuimus, et ab omnibus observari mandamus. Aequum enim est, ut qui Dominicae Vineae Operariis praeest, et vices gerit universalis in terris Patris familias, illos agnoscat et sub quibus Praepositis Evangelicae culturae dent operam, non ignoret. Datum Macai ex Palatio Nostrae solitae habitationis die tertia Julii Anno Domini 1708., Pontificatus autem Sanctissimi Domini Nostri Domini Clementis Divina Providentia Papa XI. anno octavo, C. Th. Patriar. Antioch. Visit. Apost. = Andr. Candela S. Visit. Apostolicae Cancellarius ect. Sabinus Marianus Andr. etc. Loco ✠ sigilli = Nos edictum seu Decretum hujusmodi recta, ac felici dictarum Missionum directioni praesentibus potissimum rerum circumstantiis summopere conducibile esse considerantes, ac proinde inviolabili illius firmitati, robori, et efficacia debitaque executione ex commissi Nobis caelitus Pastoralis officii debito providere cupientes, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium tam in universa Republica Christiana contra haereticam pravitatem Generalium Inquisitorum a Sede praedicta specialiter deputatorum, quam aliorum ex Congregatione Propagandae Fidei negotiis praeposita super rebus Indiarum Orientalium specialiter itidem deputatorum, quos insimul coram Nobis super rebus hujusmodi congregatos pluries audivimus, consilio, ac etiam Motu proprio, et ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine Edictum, seu Decretum praeinsertum cum omnibus et singulis in eo contentis, et expressis, tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illique inviolabilis,

et irrefragabilis Apostolicae firmitatis vim, robur, et praesidium adjungimus, ac omnes, et singulos Juris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Praeterea motu, scientia, deliberatione, et Potestatis plenitudine similibus omnia, et singula quae in Edicto, seu Decreto praedicto super licentia dicti Caroli Thomae Cardinalis Commissarii, et Visitatoris Generalis, ab iis qui Missiones Sinicas supradictas ingredi, sive in eis Missionarii munus exercere volunt, requirenda, et obtinenda (sicut praemittitur), statuta, et sancita fuerunt, earumdem tenore praesentium ita extendimus, ac respective declaramus, ut non modo quoad ipsum Carolum Thomam Cardinalem Commissarium, et Visitatorem Generalem quousque in illis partibus permanserit, sed etiam quoad alios, qui ei in munere Commissarii, et Visitatoris Generalis hujusmodi pro tempore succedent, locum, et effectum, ad Nostrum, et Sedis Apostolicae beneplacitum habere debeant; dicta vero licentia sive a praedicto Carolo Thoma Cardinale, aliove Commissario, et Visitatore Generali earumdem partium, sive a personis per eos opportune subdelegandis, ut praefatur, danda, non alias concedenda sit, nisi praestito prius per eos, quibus concedetur, Juramento de exacte observando Decreto super Ritibus, seu Caeremoniis Sinicis die 25. Septembris anni proxime elapsi a Nobis promulgato, quovis contrafaciendi etiam praetensae et a Nobis improbatae conditionalitatis Decreti hujusmodi, aliove quaesito colore, seu praetextu penitus rejecto, atque sublato. Decernentes easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque etiam ex eo quod quilibet etiam cujusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae, et Dignitatis, seu alia speciali, et individua mentione et expressione digni in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas presentes emanaverint, sufficienter adductae, verificatae et justificatae fuerint, aut ex alia qualibet quantumvis justa, juridica, legitima, pia, et privilegiata causa, colore, praetextu, et capite etiam in Corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimae, et totalis laesionis unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, et formali, ac subsantiali, et incogitato, inexcogitabilique defectu notari, impugnari, infringi, retractari, limitari, modificari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aliudve quodcumque Juris gratia vel facti remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus concesso vel emanato, quempiam in Judicio, vel extra illud uti seu se juvare ullo modo posse, sed ipsos praesentes litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab

illis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia inviolabiliter et inconcusse observari. Sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. predictae Cardinales etiam de latere Legatos, et dictae Sedis Nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et ordinationibus, necnon quatenus opus sit, quarumvis Ecclesiarum, Ordinum, Congregationum, Societatum etiam Jesu Institutorum, Provinciarum, Conventuum, Collegiorum, Monasteriorum, et Locorum piorum quorumcumque, aliisve quibusvis etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris Apostolicis, Ecclesiis, Ordinibus, Congregationibus, Societatibus etiam Jesu, Institutis, Provinciis, Conventibus, Collegiis, Monasteriis, et Locis piis, quibuscumque verborum tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibusque et aliis Decretis etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, ac concistorialiter seu ad quarumcumque personarum, etiam Regum et Principum, seu alias quacumque mundana, vel Ecclesiastica potestate fulgentium, instantiam, et alias quomodolibet in genere, vel in specie in contrarium praemissorum concessis ac quantiscumque vicibus confirmatis, innovatis, et approbatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi per eorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua ac de Verbo ad Verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur ubique, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum etc. 15. Martii 1711. Anno decimoprimo.

Monitoriales litteras, quas Visitator Apostolicus Cardinalis de Tournon delinquentibus contra ejus auctoritatem Pudicherii dederat, approbat, et sub poenis inibi praescriptis jubet observari.

Dilecto Filio Nostro Carolo Thomae S. R. E. Presbytero Cardinali de Tournon.

CLEMENS PAPA XI.

Dilecte Fili Noster, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Non sine gravi animi Nostri dolore percepimus, quae a consilio Gallicae Nationis in oppido Pudichery Meliaporen., seu Sancti Thomae Dioecesis instituta contra jurisdictionem, et facultates amplissimas ab hac Sancta Sede Tibi attributas, imo contra supremam ipsius Sanctae Sedis potestatem, temere, ac perperam attentata fuerunt Edicto, seu Arresto, ut vocant, mense Septembri 1708. inibi promulgato, cujus exemplum una cum litteris Dilecto Filio Nostro Fabritio Cardinali Paulutio Secretario Nostro Status a Te scriptis die 29. Octobris 1709. communicatum Nobiscum fuit. Magna tamen suscepti doloris parte levati sumus, ubi perlegimus monitoriales litteras, quas ad propulsandam communem injuriam, tuendamque Romanae Sedis dignitatem et auctoritatem edidisti die 19. Octobris 1709., ac Regio ejusdem oppidi Praefecto, et Consilii Praesidi, ut scribis, subinde misisti. Quibus quidem Monitorialibus litteris Arrestum illud, uti Sacris Canonibus, et Apostolicis constitutionibus contrarium, libertatis Ecclesiasticae, et Jurium Sedis Apostolicae laesivum, Schismatis et Scandalorum inductivum inter Catholicos, pessimique exempli inter Gentiles, et Acatholicos improbatur, annullatur, aboletur, et revocatur, simulque monentur omnes dictum consilium Pudichery constituentes ad illud similiter improbandum, annullandum, revocandum, et lacerandum intra certum inibi praefixum terminum sub Ecclesiastici Interdicti poena eo ipso incurrenda. Zelum itaque Tuum, qui cum alias saepe, tum hac praecipue occasione mirifice eluxit, meritis in Domino laudibus prosequentes, Tuamque seu potius Nostram et dictae Sedis dignitatem, auctoritatem, ac Jurisdictionem a nefariis hujusmodi Laicorum praesertim hominum conatibus omni ex parte illaesas, sartasque et tectas pro sacrosancti Apostolatus officii debito conservare cupientes, Nos ibidem praenarratum Arrestum, et quaecumque in eo contenta, cum omnibus, et singulis inde secutis, et forsan quandocumque secuturis, penitus et omnino nulla, inania, irrita, invalida, temere attentata, et de facto praesumpta, nullius omni-

no roboris, et momenti esse, et perpetuo fore, tenore praesentium declaramus, et nihilominus ad majorem cautelam, et quatenus opus sit, illa omnia et singula perpetuo revocamus, cassamus, abolemus, damnamus, et reprobamus, viribusque et effectu penitus vacuamus, et pro revocatis, cassatis, abolitis, damnatis, et reprobatis, viribusque et effectu penitus, ac omnino vacuis semper haberi debere decernimus, et pariter declaramus. Ipsas vero monitoriales litteras a Te editas, et in iis contenta quaecumque laudamus, approbamus, et confirmamus, ac ab omnibus, et singulis ad quos spectat, inviolabiliter sub poenis inibi praescriptis observari mandamus, ac ut compertum, testatumque omnibus sit illa Pontificii judicii accessione roborata fuisse palam facias, et evulges eo modo, quem pro collata tibi a Domino prudentia magis opportunum judicaveris. Ceterum, Dilecte Fili Noster, impositum Tibi gravissimum ministerium forti, erectoque, ac fidenti in Deum animo, sicuti facis, obire pergito, et a Nobis omnia Paternae Nostrae benevolentiae argumenta, tum etiam potestatis Nobis a Domino traditae auxilia semper expectato, quorum interea pignus Apostolicam benedictionem Tibi peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum etc. Die 14. Martii 1711.

Cardinali de Tournon.

Quae in Sinis, et Indiis Visitator Apostolicus de Tournon gesserat, aerumnas, omnium contemptum, et Cardinalitiae dignitatis dimissionem, et propositum in Urbem pro bono religionis illic procurando non revertendi, nec non Decretum de ritibus Sinensibus Pontifex debita commendatione prosequitur.

Dilecto Filio Nostro Carolo Thomae S. R. E. Presbytero Cardinali de Tournon.

CLEMENS PAPA XI.

Dilecte Fili Noster, Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Si cognita Nobis, et tot, tamque illustribus argumentis testata jam non esset Apostolici zeli Tui magnitudo, eam vel maxime colligere possemus ex Tuis litteris die 30. Novembris 1709. ad Nos datis, quibus tametsi Te integra isthinc abeundi, ac Europam repetendi libertate frui contingeret, Tibi nihilominus nec praeteritarum aerumnarum recordatione, nec praesentium sensu, nec etiam metu futurarum perterrito, quippe qui non facis animam Tuam pretiosiorem, quam Te omnino fixum, constitutumque esse significas pro tuen-

da Orthodoxae Religionis, ac Iurisdictionis Apostolicae causa, in statione Tua permanere, oblata ad id, ubi opus foret, etiam ipsa Cardinalitiae Dignitatis dimissione. Studium proinde Tuum, Tuamque Sacerdotali pectore plane dignam constantiam, ac in primis excelsum illum, quem ipsis in litteris abunde prodis, quarumcumque humanarum rerum pro Divini nominis gloria, et animarum salute contemptum debitis laudibus commendamus. Ceterum, quamvis gratissimus Nobis esset Tuus ad Urbem reditus, jamdudum a Nobis magnopere exoptatus, ut praesentem Te paterna Charitate complecti, Tuisque consiliis, et opera in sancta Dei Ecclesia, hoc praesertim tam difficili, ac turbulento tempore administranda uti possemus; nihilominus cum Catholicae Fidei, et hujus S. Sedis causam desiderio Nostro anteferri aequum omnino sit, ubi aliqua spes affulgeat fore, ut Tua in istis partibus prorogata praesentia, res Missionis pacari, atque componi possint, Tibique praeterea fas sit istic commorari, Tuum ab Indiis minime discedendi consilium (quod ceteroqui spectata prudentia, arbitrioque Tuo ex integro suscipiendum relinquimus), usquequo tam sanctum opus omni ex parte perfici, absolvique contingat, Nostraque in primis ac Tua de ritibus, ac caeremoniis Sinensibus edita Decreta, ab omnibus, et singulis, ad quos spectat, debitae executioni demandata fuerint, pleno animo approbamus. Tibique interim, Dilecte Fili Noster, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum etc. die 14. Martii 1711.

Cardinali De Tournon.

Constantinum a Spiritu Sancto Visitatoris de Tournon, apud Indos, et Sinas in laboribus, in periculis, in aerumnis, in passione socium et privilegiis prosequitur, et laudibus ornat.

Dilecto Filio Constantino a Spiritu Sancto Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini Professori.

CLEMENS PAPA XI.

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Catholicae Religionis zelus, vitae ac morum honestas, aliaque laudabilia pietatis, doctrinae, prudentiae, aliarumque virtutum merita, super quibus apud Nos fide digno commendaris teste, Nos adducunt ut Te specialis favore gratiae libenter prosequamur. Cum itaque sicut accepimus, Tu, qui Frater expresse Professus Provinciae Portugalliae Ordinis Eremitarum Sancti Augustini existis, plurium annorum spa-

tio Apostolicis Missionibus ad Christianae Religionis Orthodoxaeque Fidei propagationem in Indiis Orientalibus strenuam, atque egregiam operam navaveris, ibique ob debitam Dilecto Filio Nostro Carolo Thomae S. R. E. Cardinali de Tournon nuncupato Nostro, et Sedis Apostolicae Commissario, et Visitatori Generali in Sinarum et aliis earumdem Indiarum Orientalium Regnis a Nobis deputato constanter a Te praestitam obedientiam, multiplicium persecutionum procellas aequo fortique animo sustinueris: Hinc est, quod Nos Tibi in ejusmodi laborum tuorum levamen, ac praemium Pontificiae Nostrae largitatis argumentum aliquod exhibere, atque specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, de Venerabilium Fratrum Nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium in Universa Republica Christiana contra haereticam pravitatem Generalium Inquisitorum a Sede praedicta specialiter deputatorum consilio, Tibi, ut quoad vixeris votum, sive suffragium in quibusvis Capitulis Generalibus dicti Ordinis habere, et ferre, et insuper omnibus, et singulis privilegiis, et praerogativis, quibus Provincialatus ejusdem Provinciae munere perfuncti tam de jure, usu, et consuetudine, quam alias quomodolibet utuntur, fruuntur, et gaudent, ac uti, frui, et gaudere possunt, et poterunt in futurum, pari modo uti, frui, et gaudere libere et licite possis, et valeas in omnibus et per omnia, perinde ac si Provincialatus dictae Provinciae munere perfunctus esses, Auctoritate nostra Apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus. Decernentes ipsas praesentes litteras, firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac Tibi in omnibus et per omnia plenissime suffragari. Sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, et difiniri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit praedictorum Ordinis, et Provinciae etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 18. Martii 1711. Pontificatus Nostri Anno undecimo.

Petrus de Amaral una cum Visitatore Apostolico in Indiis , et Sinis multa erat forti animo passus. In ejus laborum levamen , et praemium eum Pontifex et laudibus tollit , et privilegiis exornat.

Dilecto Filio Petro de Amaral Ordinis Fratrum Praedicatorum Professori.

CLEMENS PAPA XI.

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Orthodoxia , Religionis zelus , vitae , ac morum honestas, aliaque laudabilia pietatis, doctrinae, prudentiae , aliarumque virtutum merita super quibus apud Nos fide digno commendaris testimonio , Nos inducunt , ut Te specialis favore gratiae libenter prosequamur. Cum itaque , sicut accepimus , Tu , qui Frater expresse Professus Provinciae Portugalliae Ordinis Praedicatorum existis , Apostolicis Indiarum Orientalium Missionibus fidelem , ac diuturnam operam impendens , sollicite curaveris Te ipsum probabilem exhibere Deo , operarium inconfusibilem , recte tractantem Verbum veritatis : ob eam vero , quam inibi Dilecto Filio Nostro Carolo Thomae S. R. E. Cardinali de Tournon nuncupato Nostro , et Apostolicae Sedis Commissario et Visitatori Generali in Sinarum, et aliis eorumque Orientalium Regnis a Nobis deputato semper praestitisti obedientiam, molestias , et aerumnas plurimas magno fortique animo pertuleris: Hinc est quod Nos Tibi in ejusmodi laborum Tuorum levamen , ac praemium Pontificiae Nostrae largitatis argumentum aliquod praebere , Teque specialibus favoribus etc. volentes et a quibusvis etc. censentes : Motu proprio, ac ex certa scientia , et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, Tibi , ut omnibus , et singulis privilegiis , et praerogativis , quibus Provincialatus ejusdem Provinciae munere perfuncti tam de jure , usu, et consuetudine, quam alias quomodolibet utuntur , fruuntur, et gaudent, ac uti , frui , et gaudere possunt , et poterunt in futurum , pari modo uti , frui et gaudere libere , et licite possis, et valeas in omnibus et per omnia, perinde ac si Provincialatus dictae Provinciae munere perfunctus esses , tenore praesentium concedimus et indulgemus. Decernentes ipsas praesentes litteras firmas , validas , et efficaces existere , et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere , ac Tibi in omnibus , et per omnia plenissime suffragari ; sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, et Delegatos etiam etc. Auditores judicari , et definiri debere , ac irritum etc. attentari. Non obstan. constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus

opus sit praedictorum Ordinis et Provinciae etiam Juramento etc. statutis et consuetudinibus, privilegiis etc. innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores etc. derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum 18. Martii 1711. Anno undecimo.

Thomam de Endaya de Cardinali de Tournon, et de Apostolicis Missionariis benemeritum, et navigium suppeditantem, quo Macaum adveherentur purpureum birretum acceptum, mirifice laudat, Seque illius rebus non defuturum promittit.

Dilecto Filio Thomae de Endaya in Insulis Philippinis Castrorum Praefecto Generali.

CLEMENS PAPA XI.

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Cum ad Nos et hanc S. Sedem praecipue pertinere intelligamus praeclara benevolentiae, ac humanitatis officia, quae Dilecto Filio Nostro Carolo Thomae S. R. E. Cardinali de Tournon, et Apostolicis Missionariis abunde hactenus tribuisti, et quacumque oblata occasione tribuere non desistis: Muneri plane Nostro deesse videremur, uti auctam admodum eo nomine paternam erga Te charitatem Nostram, Tibi explicare praetermitteremus. Id vero nunc potissimum praestandum Nobis esse duximus, cum nuper acceperimus, quam alacri, ac liberali prorsus animo iis Missionariis, qui ad ipsum Cardinalem mandato Nostro purpureum Birretum detulerunt, suppeditandum curaveris navigium, quo Macaum advecti sunt. Persuasum itaque Tibi esse volumus ea omnia grata Nobis majorem in modum atque accepta fuisse, nec plane defuturos Nos unquam fore cuicumque opportunitati de Te rebusque Tuis uberius in dies benemerendi. Tibi interim a bonorum omnium auctore Deo laeta, faustaque cuncta enixe precamur, atque Apostolicam benedictionem propensae erga Te voluntatis Nostrae tèstem peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem etc. die 15. Augusti 1711.

Cum Michael de Elorriaga multa benevolentia in Cardinalem de Tournon, et Missionariis purpureum birretum adferentibus esset usus; ei animum Suum gratum per has Apostolicas litteras testatur.

Dilecto Filio Michaeli de Elorriaga in Insulis Philippinis Navigationis Praefecto Generali.

CLEMENS PAPA XI.

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Non sine ingenti animi Nostri laetitia accepimus, Te nulli deesse occasioni explicandae humanitatis, et benevolentiae Tuae tum in Dilectum Filium Nostrum Carolum Thomam S. R. E. Cardinalem de Tournon, tum etiam in alios cum eo Indiarum Missionibus collaborantes; nuperrime vero iis Missionariis, qui purpureum birretum, amplissime Dignitatis Insigne, ad ipsum Cardinalem jussu Nostro detulerunt, liberali plane animo suppeditasse navigium, quo ad Macaonensem civitatem devecti sunt. Muneris proinde Nostri esse duximus, ad quos maxime spectant omnia Evangelicos operarios tangentia, litteris hisce Nostris gratum erga Te animum Nostrum testari, uberius etiam cum reipsa declaratur, ubi opportunitates, quas magnopere cupimus, Nobis se obtulerint, Tibi aliqua in re gratificandi; cui interim Pontificiae charitatis testem, Apostolicam benedictionem, peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem etc. die 15. Augusti 1711.

Cum iste Comes de Lizzaraga Cardinalem de Tournon, et Sacros operarios collaborantes Sinarum Imperatori commendasset, et meritas ei agit gratias, et beneficiorum fidelem memoriam promittit, cum etiam in tribulatione positos defendendos susceperit.

Dilecto Filio Comiti de Lizarraga Insularum Philippinarum Gubernatori.

CLEMENS PAPA XI.

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Cum abunde certiores facti fuerimus Te plurimis humanitatis,

ac benevolentiae plenis officiis, etiam scriptis ad Sinarum Imperatorem enixis, eximiam animi Tui pietatem et Religionem undique spirantibus litteris de Dilecto Filio Nostro Carolo Thoma S. R. E. Cardinali De Tournon, et Evangelicis Operariis cum ipso collaborantibus optime mereri studuisse, atque studere in dies magis: praetereundum Nobis non esse duximus, quippe quibus honorifice ejusmodi significationes eodem in pretio sunt, ac si in Nos ipsos collatae fuissent, quin gratae mentis propensaeque voluntatis erga Te Tibi argumentum aliquod exhiberemus. Ea igitur majorem in modum grata Nobis accidisse Tibi significamus, ac uberes meritasque tribuimus Tibi laudes, quod Cardinalem inprimis virtute non minus, quam dignitate spectatissimum, Nobisque summopere acceptum, tot, tantisque vexationibus, ac injuriis propter Ecclesiae ac Religionis, adeoque Dei causam immerito exagitatum tam benigno animo juvandum, fovendumque susceperis, ac ut in egregio proposito constanter permanere velis, etiam, atque etiam a Te petimus. Qua quidem re nihil unquam contingere poterit Nobis jucundius, aut optatius, neque Tibi ipsi honestius, aut gloriosius. Ceterum parsuasum Tibi esse cupimus, Nos alacriter amplexuros omni tempore fore quascumque opportunitates palam faciendi quanti singulare tuum in Nos, et hanc Sanctam Sedem studium, cum praecipuo Religionis zelo conjunctum, aestimemus, et quanto itidem teneamur desiderio paternam, qua Te propterea in Domino complectimur, charitatem luculento aliquo testimonio declarandi. Tibique interim a bonorum operum Retributore Deo fausta omnia precamur, et Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae etc. die 15. Augusti 1711.

Cum Cyrillus Szumlanski Luceoriensis Ecclesiae administrator, ut sibi benevolentiam et patrocinium devinciret Ducis Moschoviae, in schisma fuisset lapsus, metuens Pontifex, ne et Clerum et Populum in suum consilium perduceret, Poloniae Regem vehementer precatur, ut in re tanti momenti suum potens praestet auxilium.

Charissimo in Christo Filio Nostro Augusto Poloniae Regi Illustri.

CLEMENS PAPA XI.

Charissime in Christo Fili Noster, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Grave profecto, ac peracerbum Nobis accidit nuncium, quod

nuper ex multorum litteris allatum ad Nos fuit de infelici lapsu Cyrilli Szumlanski Monaci Rutheni, quem Venerabilis Frater Russiae Metropolitanus administratorem Luceorensis Ecclesiae deputaverat, donec legitimo ejus Episcopo a Moschis detento pristina libertas restitueretur. Is porro lapsus, quemadmodum Majestati etiam Tuae innotuisse jam credimus, in eo versatur, quod praedictus Cyrillus dum Magnus Moscoviae Dux in eadem Luceoriensi Civitate non ita pridem commorabatur, sacrilega, ut opinamur, ambitione tactus se illius patrocinio subiecerit, et mox ab eo ad Pseudo-Patriarcham Kyoviensem dimissus fuerit, ut Ecclesiae, quam administrabat, Episcopus praeficeretur, simulque consecrationis munus ab ipsomet Pseudo-Patriarcha susciperet. Quo plane iniquo, detestandoque consilio nedum ille ab unione cum Catholicae Romanae Ecclesiae turpiter descivit, et alienam Sedem temere occupare molitus est, sed etiam Clerum populumque illius amplissimae Dioecesis, qui nuper schisma deseruit, facile a Nostra communione seducet, suisque partibus adiunget, ubi celeri, validoque remedio impiis ejus nutibus non obsistatur. Gravissimo itaque huic malo pro Pastoralis officii debito, quantum Nobis licet, occurrere cupientes, mentem Tuam enixe hortamur, rogamus, atque etiam in Domino obtestamur, ut universos praefatae civitatis ac Dioecesis incolas serio admonendos quamprimum curet, ne Pseudo-Episcopum Cyrillum recipiant, et admittant, ullum illi obsequii genus exhibeant, quin potius lupum a Dominici gregis caula forti constantique animo repellant, et arceant, debitamque reverentiam, ac obedientiam praestent legitimo ejusdem Ecclesiae Administratori propediem a Nobis constituendo. Ceterum de eo, quem profiteris, Divini honoris, ac Orthodoxae Religionis zelo, simulque de filiali erga Nos, et hanc Sanctam Sedem observantia praeclare sentimus vel supervacaneum prorsus arbitremur ad strenue gerendam ejusmodi aequissimam causam Te pluribus excitare. Illud proinde unum pro comperto habere Te cupimus,- voluntatem Nostram admodum, ut probe nosti, erga Te propensam arctius quoque et gravius obstringendam eo nomine fore Majestati Tuae, cui interim Apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae etc. die 15. Augusti 1711.

Perlatis ex Lusitania, et lectis Regiis litteris, tactus Pontifex cordis dolore vehementi, ad Regem iterato mittens epistolam indignationis plenam, exorat, ut quam citissime de iis sacrilegis sumat, qui Macai tot, tamque atroces injurias et Cardinali de Tournon, et ejus Missionariis intulerunt, et inferre non desinunt.

Carissimo in Christo Filio Nostro Joanni Portugalliae, et Algarbiorum Regi Illustri.

CLEMENS PAPA XI.

Carissime in Christo Fili Noster, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Ex binis Majestatis Tuae responsis, altero scilicet die 19. Maii, altero autem die 19. Septembris anni proxime elapsi ad Nos datis, grato quidem animo, ut par erat, intelleximus Te non minus enixis Nostris, iteratisque expostulationibus, quam Tui ipsius aequitate impulsum, quin etiam, ut opinamur, rei indignitate commotum, non semel Tuo in Indiis Proregi diligenter mandasse, ut in Capitaneum Generalem, aliosque Officiales, et Administros Tuos in Civitate Macaonensi residentes, qui Dilecto Filio Nostro Carolo Thomae S. R. E. Cardinali de Tournon Apostolicae Sedis Legato, ejusque familiaribus, ex quo illuc devecti fuerunt, graves adeo injurias, et contumelias intulerunt, sedulo inquirat, tantique flagitii reos debitis afficiat poenis, ac insuper eidem Cardinali, ejusque sociis ereptam jamdudum sacrilego ausu libertatem incunctanter restituat. Porro etsi persuasum habeamus nullum ea de re ad Majestatem Tuam responsum ab Indiis efferri hactenus potuisse, et ceteroquin Proregem Goanum mandatis Tuis obtemperaturum fore minime vereamur; impatientia tamen doloris, quem profecto acerbissimum hausimus ex iis, quae non ita pridem ad Nos delata sunt, Majestatem Tuam denuo interpellare Nos cogit, Tibique recentia, et sane gravissima explicare vulnera, quae a praedictis Officialibus, et Administris Tuis Legato Apostolico, ejusque Dignitati, etiam postquam ipsis illius ad Cardinalatus assumptio innotuit, temere non minus, quam impie inflicta fuere. Ea vero (quemadmodum ex postremis illarum partium litteris deprehendimus) sunt, quod in praedicta Macaonensi Civitate, jussu Goani Proregis, mense Decembri 1708. primum, et deinde mense Septembri 1709. solemni ritu promulgatum rursus fuit Edictum, quo non sine intollerabili Tibique injurioso Regiae Tuae auctoritatis abusu, sub gravissimis etiam Rebellionis poenis interdicitur universis, ne ullum obedientiae genus eidem Legato Apostolico exhibeant, ac prae-

terea mandatur, ut quicumque morem illi gesserint, sive Ecclesiastici, sive Laici fuerint, captivi Goam transmittantur. Quatuor porro Regulares Ordinis Praedicatorum, ex quibus tres Sacerdotali Dignitate insigniti, quod Edicto hujusmodi non paruissent, ipsa in Ecclesia coram Sanctissimo Eucharistiae Sacramento Fidelium cultui exposito (quod referre exhorrescimus) capti, et ad Carceres deportati fuerunt, uno excepto, qui sacris vestibus indutus cum clavi Custodiae collo appensa ad Arcem, tota spectante Civitate, ac ipsis sacrilegum facinus detestantibus Ethnicis, deductus fuit. Plures insuper alii variorum Regularium Ordinum Professores, non alio objecto crimine, nisi quod Legato Apostolico debitam obedientiam praestitissent, jussu Capitanei Generalis Macaonensis, barbaro, ac prorsus hostili modo vexati, ab Ecclesiis, aliisque Sacris Locis vi adhibita extracti, et in custodiam traditi sunt. Ad haec idem Capitaneus Generalis, ut contumelias reliquis aliis insigniores Legato Apostolico irrogaret, octo ex ejus Domesticis, praeter complures Missionarios, in ipso publico Macaonensi foro a militibus comprehendi, et in Carcerem detrudi jussit. Subinde in eos, qui cum Missionariis, et Religiosis Viris Legato obtemperantibus ullam haberent consuetudinem, vel in ipsius Legati domum pedem inferrent, gravissimas constituit poenas. Praetermittimus, ne Majestatem Tuam longiori Epistola oneremus, Tibi singillatim explicare Sacra Templa militibus bellico more circumvallata et obsessa, irruptiones in ea, vel perfractis foribus, vel fenestris, scalis occupatis, factas, Sacerdotes innocentissimos fame ac siti pene ad necem compulsos, Sanctiora quaeque per summam audaciam passim contempta, atque polluta, omnia demum, tam Divina, quam humana Jura, inaudita hactenus inter Christifideles barbarie, violata: praedicto Capitaneo Generali omnium ejusmodi flagitiorum non conscio tantum, sed etiam praecipuo auctore. Quae cum ita esse, etsi dolentes, ac inviti minime dubitare cogamur, sancte nimirum ea affirmantibus illis ipsis, quorum in oculis gesta sunt, praeterire nequaquam possumus, quin Te de iis sedulo admoneamus, Regiamque ultionem in Sacrilegos, ac violatores hujusmodi qui graviores Ecclesiae poenas, quas jampridem incurrerunt, minime pertimescunt, quanto majori possumus animi studio a Te iterum, sicuti facimus, efflagitemus, simulque expetamus, ut illatas pro Cardinali tam ingentes injurias, congruis, publicisque debitae reverentiae significationibus emendari, ac resarciri omnino valeas. Vides (Carissime in Christo Fili Noster) quid agendum Tibi sit, ut muneri officioque tuo cumulate, et quam citissime satisfacias, et consulas nedum famae, ac extimationi, sed etiam (quod longe gravius est) animae Tuae periculo, cui gravissima certe labes inureretur ubi hujusmodi nefaria scelera a Te jam rescita, et probe comperta vindicare negligeres, ac differres, eorumque proinde culpam haud dubie in districto Dei Judicio sustineres. Ceterum spectata Religio,

atque justitia Tua, immo etiam, quam in Tuis litteris luculenter profiteris, eximia, ac prorsus filialis in Nos, et hanc Sanctam Sedem devotio Nos dubitare non patitur, quin omni ope curaturus sis, ut eorumdem criminum Auctores, et conscii meritis quamprimum coerceantur poenis, et ad exhibenda Legato Pontificio ea honoris publica argumenta, quae irrogatis contumeliis sarciendis apta existimaveris, compellantur. Quae dum Nos anxio sane animo prestolabimur, Majestati Tuae Apostolicam benedictionem cum felicitatis Tuae voto conjunctam amantissime impertimur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die 14. Martii 1711. Pontificatus Nostri anno XI.

Ludovicum Congregationis Missionis propter praestitam Cardinali de Tournon debitam obedientiam in publica conjectum vincula, tribulationes, injurias, contumelias forti animo perferentem, Deo, et hominibus spectaculum factum, consolatur Clemens, hortaturque, ut a Domino levamen expectet, qui sperantes in se confundi non patitur.

Dilecto Filio Ludovico Appian. Sacerdoti Congregationis Missionis et Missionario Apostolico in Regno Sinarum.

CLEMENS PAPA XI.

Dilecte Fili, Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Multorum, qui ex istis partibus huc remigrarunt, sermone praesertim vero Dilecti Fili Nostri Caroli Thomae S. R. E. Cardinalis de Tournon gravissimo testimonio, certiores abunde facti sumus Te magnam partem subiisse procellae in ipsum Cardinalem suscitatae, et post plurimas vexationes adhuc istic et aspera custodia, et carcere detineri. Non secus profecto, ac debuimus, animo commoti vehementer Tuis aerumnis, ac doloribus condoluimus; sed cum compertum habeamus Te propter justitiam in eas, quas pateris, angustias incidisse; non mediocriter dolorem Nostrum ea consolatio levavit, quod Te, quem Redemptor Noster beatum appellat, Nos miserum agnoscere, aut nominare non possumus. Quomodo enim dicendus es miser, qui pro Omnipotentis Dei cultu in amplissimis istis Regionibus propagando tot labores suscipere, tot adire pericula non dubitasti? Qui propter Religionis Catholicae singulare studium tot molestias, et calamitates perpessus es? Qui demum ob praestitam praedicto Cardinali, ac in ejus Persona Nobis ipsis, et huic Sanctae Sedi debitam obedientiam, ac fidem, durum carcerem et vincula

tamdiu sustinuisti, et adhuc sustines? Quae quamvis tristitia difficilia, atque horrida sensus ipse Noster humanus experiatur, tamen haec omnia Divini honoris amor, qui supra omnia dulcis est, dulcia reddere potest. Id porro Tibi ipsi contingere certo credimus, dum, ut allatum ad Nos est, in tribulationibus gloriaris, exultas, quod dignus habitus sis pro Christi causa contumeliam pati, ac impavido fortique animo illam perferens, summopere gratum, atque jucundum Deo, et hominibus spectaculum exhibes. Ut ejusmodi sensus Sacerdotali pectore, ac instituto, quod profiteris, plane dignissimos constanter tueri, certamque ac firmam fiduciam in Domino, qui in se sperantes confundi non patitur, habere pergens, Te vehementer hortamur. Nos quidem, quantum situm in Nobis erit, nullo loco deerimus virtuti Tuae, quamquam, etsi deessent omnes, pro explorato tamen habemus Deum Optimum Maximum causae suae constanti Tuae in ipsum fidei, assiduis accuratisque precibus Nostris, bonorum denique omnium votis minime defuturum. Cujus rei in auspicium Tibi, Dilecte Fili, Apostolicam benedictionem Paternae etiam, qua Te complectimur, benevolentiae testem amanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem etc. die 22. Augusti 1711. Pontificatus Nostri Anno undecimo.

De morte Cardinalis Thomae de Tournon acerbe tristatur: expostulat, ut ii meritis plectantur poenis, qui illum in Carcerem Macaonensem conjecerunt, et ad mortem impulerunt, suadetque, ut quantocyus de Ritibus Decreta executioni mandanda curet.

Carissimo in Christo Filio Nostro Joanni Portugalliae et Algarbiorum Regi Illustri.

CLEMENS PAPA XI.

Carissime in Christo Fili Noster, Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Quod superioribus diebus perlatum ad Nos fuit tristissimum Nuncium acerbi sane obitus piae recordationis Caroli Thomae, dum vixit, S. R. E. Cardinalis de Tournon, Majestati Tuae jam pridem innotuisse pro comperto habemus, nec plane ambigimus, quin eo Te affecerit gravi moerore, quem a piissimi Regis animo jure postulat jactura, quam fecit Ecclesia Cardinalis meritissimi, omnique Christianarum virtutum laude praestantis. Verum eo in primis nomine ejusmodi casum moleste tulisse debet Majestas Tua, quod ut publi-

cus jam, et profecto non incertus fert rumor, ingentes eidem Cardinali iam pridem dum in Carcere Macaonensi detineretur ab Officialibus Tuis irrogatae injuriae ac contumeliae plurimae, de quibus saepius alias ad Te scripsimus, sicuti ipsum extremas in angustias adduxerunt, ita non parum ad ejus necem contulerint. Vides, Carissime in Christo Fili Noster, quid extincto Cardinali debeas, cujus sanguinis vox clamat ad Te de Terra; vides quid Divinae, humanaeque leges, quid Sac. Cardinalium Collegium, quid S. haec Sedes, quid orbis demum universus, cujus oculi conversi in Te sunt, a Majestate Tua modo flagitet et expectet. Nos certe, cum ipsa per se causa abunde loquatur ad ea, quae Tui muneris in praesens sunt, longiori oratione Te excitare supersedemus; non dubia freti Spe, quod ultro ac libens ea suscepturus consilia sis, quae celeri ac memoranda in sontes animadversione, ac insuper ea, quae defuncti Cardinalis nomini, et memoriae tribui poterit, reparatione testatum omnibus faciat, ea omnia, quae Macai in ipsum admissa sunt, quaeque ad universis Christifidelibus summo cum horrore, et obsecratione audita fuere, nihilo serius a Majestate Tua improbata, damnata, et, quod caput rei est, merito, ac graviter vindicata fuisse. Ceterum, quod attinet ad memoratam reparationem, illud persuasum Tibi esse cupimus, nullam praedicti Cardinalis memoriae gratiorem, nullamque itidem Nobis acceptiorem exhiberi a Te posse, quam cum omnem Tuae Regiae auctoritatis opem contuleris, ut ea, quae tam a Nobis, quam ab ipso de Ritibus, ac Caeremoniis Sinensibus decreta fuerunt, quavis sublata mora, debitae executioni demandentur, quemadmodum aliis Nostris litteris enixe rogavimus, ac iterum, quo majori possumus animi studio, rogamus Majestatem Tuam, cui interim Apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae etc. die 19. Septembris 1711.

Quam male de Cardinali de Tournon Archiepiscopus Goanus, et Episcopus Macaonensis meriti sint, enarratur. De persecutionis acerbitate, de excomunicationibus utrique latis, de contumeliis in Visitatorem, de injuriis in Apostolicam Sedem, de auso effraeni et indigno gestis in Ecclesiasticam Dignitatem, de humanorum et Divinorum Jurium immani perturbatione fit mentio. Eorum Praesulum facta improbantur, cooperatores excommunicationis damnati, nonnisi a Rom. Pont. absolvendi.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Ad Apostolatus Nostri notitiam, non sine gravissima animi No-

stri molestia pervenit, quod Venerabilis Fr. Joannes de Caral Episcopus Macaonensis, tametsi alias, nempe statim ac ad illius manus devenerant quaedam Nostrae in simili forma Brevis litterae, quibus ei significaveramus Nos in illas partes allegasse Dilectum Filium Nostrum Carolum Thomam S. R. E. Cardinalem de Tournon, tunc Patriarcham Antiochaenum, eique munus Nostri, et Apostolicae Sedis Commissarii, et Visitatoris Generalis in Sinarum, et aliis Indiarum Orientalium Regnis, cum potestate etiam Nostri, et ejusdem Sedis de latere Legati demandasse: Ipse Joannes Episcopus debita reverentia, atque obedientia, ut par erat, ejusdem Caroli Thomae Cardinalis tunc Patriarchae, et Commissarii ac Visitatoris Generalis, Jurisdictionem absque ulla mora agnovisset, quinimo ad ipsum per suum Edictum publice affixum ac promulgatum, toto litterarum Nostrarum praedictarum tenore inserto, palam declarasset; nihilominus postea tam acriter, atque impudenter ipsius Caroli Thomae Cardinalis tunc Patriarchae, ac Commissarii et Visitatoris Generalis auctoritatem, potestatem, ac dignitatem, adeoque etiam Nostrae, et dictae Sedis Jura impetere ausus fuit, et non modo per alium suum Edictum vigore quarumdam assertarum litterarum, sibi hac in re a Venerabili Fratre Augustino ab Annunciatione Archiepiscopo Goano scriptarum, illique forsan ejusdem Augustini Archiepiscopi Edicto consimilium, quod dudum per alias Nostras in simili forma Brevis die 4. Januarii 1707. expeditas litteras, nullum, irritum, atque invalidum declaravimus, publicatum dicto Carolo Thomae Cardinali, tunc Patriarchae, ac Commissario, et Visitatori Generali cujusvis jurisdictionis exercitium in sua Dioecesi Macaonen. interdixerit, omnemque ei a suis subditis obedientiae actum exhiberi prohibuerit; verum etiam ejus nomine a quodam Laurentio Gomez asserto illius Vicario Generali adversus Dilectum Filium Constantinum a Spiritu S. Priorem, aliosque tunc Ven. Fratres Conventus Nostrae Dominae de Gratia nuncupati Macaonen. Ordinis Eremitarum S. Augustini, eo quia ipsum Carolum Thomam Cardinalem, tunc Patriarcham ac Commissarium, et Visitatorem Generalem honorifice excepissent, ad interdicti, aliasque poenas, et censuras Ecclesiasticas non minus nulliter, quam injuste deventum fuerit. Ad haec idem Joannes Episcopus eo temeritatis processit, ut minime attendens ad Petram, unde excisus fuerat, quascumque censuras a praedicto Carolo Thoma Cardinale, tunc Patriarcha, ac Commissario, et Visitatore Generali latas, pro irritis et nullis habendas esse publice declaraverit, imo etiam contra ipsum Carolum Thomam Cardinalem tunc Patriarcham, ac Commissarium, et Visitatorem Generalem, inverso sane poenarum per Canonicas sanctiones irrogatarum usu, majoris excommunicationis sententiam promulgare non erubuerit; ita plane Apostolicae Jurisdictionis hostis, ac eversor factus, qui illius custos, et vindex praecipuus esse debuisset. Praeterea adeo se immemorem ostendit

Venerabilis Dignitatis sui Characteris, ac inviolabilis religionis illius Jurisjurandi, quo se Deo, Nobis et Ecclesiae in suscipiendo Consecrationis munere se obstrinxerat, ut Ministris, ac Officialibus Laicis earumdem partium, duriora quaeque adversus Dignitatem, imo etiam Personam praedicti Caroli Thomae Cardinalis, tunc Patriarchae ac Commissarii, et Visitatoris Generalis, molientibus se sociaverit; ac pene Dux eorum, qui Christum Domini sacrilego, ac detestabili ausu multifarie vexarunt, et forte etiam adhuc vexant, fieri non formidaverit, aliaque plura adversus ejusdem Caroli Thomae Cardinalis, tunc Patriarchae ac Commissarii, et Visitatoris Generalis, imo potius adversus Nostram, et Sedis praedictae auctoritatem ac jurisdictionem attentare praesumpserit. Innotuit pariter Nobis, quod praemissis attentis, dictus Carolus Thomas Cardinalis tunc Patriarcha, ac Commissarius et Visitator Generalis, tametsi tunc temporis in praedicta Civitate Macaonen. non quidem a Paganis, sed ab Officialibus ac Ministris Christianis, nulla Sacri Characteris, nulla praestantissimae suae Dignitatis, nulla Ecclesiasticarum Sanctionum, nulla denique Juris Gentium, quod apud barbaras quoque Nationes Sacrosanctum, et inviolabile est, habita ratione, multorum militum diurna, nocturnaque custodia et captivus detineretur, aliisque acerbissimis, ac plane incredibilibus injuriis et contumeliis, ipsis exhorrescentibus Ethnicis, afflictus reperiretur; nihilominus inter affectae valetudinis, ac tot aliarum tribulationum, quas perferebat, incommoda, crescens quotidie magis in Charitate Christi, invictoque animo illius causam agens, postquam praecipuos ejusmodi sacrilegorum excessuum adversus ejus personam ac Dignitatem commissorum auctores, ac vere iniquitatis filios Canonicae severitatis mucrone percusserat, illosque affixis publice contra eos schedulis, majoris excommunicationis poenam incurrisse pronunciaverit, inter alia ad quae ut sua, quinimo Nostra et ejusdem Sedis Jura fortiter tueretur, imperterrito animo devenit, omnia, et singula per Curiam Episcopalem Macaonen. contra ipsum ejusque Jurisdictionem gesta, ut praefatur, utpote impedientia exercitium muneris sibi a Nobis commissi, nec non Ecclesiasticae Libertatis, et Apostolicae Auctoritatis summopere laesiva, circumscripsit, annullavit, revocavit, ac uti nulliter attentate, temere et audaciter facta declaravit; sententiam insuper asserti Interdicti in Fratres, et Ecclesiam praedicti Conventus Ordinis Eremitarum S. Augustini, sicut praemittitur, latam, necnon quascumque citationes, mandata, edicta, ac scripturas, Jurisdictionem Ecclesiasticam quomodolibet laedentes, aut illo quoquo modo contrarias revocari, aboleri, deleri, ac pro nulliter factis, nulliusque roboris, ac momenti haberi et habendas esse mandavit. Ipsum vero Joannem Episcopum propter praemissa censuras omnes a Sacris Canonibus, et Apostolicis Constitutionibus, ac praesertim litteris die Coenae Domini singulis annis legi, et promulgari solitis contra similia per-

petrantes inflictas damnabiliter incurrisse, illumque pro excommunicato, et a Fidelium consortio segregato, et vitando haberi, et habendum esse similiter declaravit. Posthac cum accepisset in eadem Civitate Macaonen., non semel adversus Pontificiae Potestatis Jura et Ecclesiasticam libertatem convenisse in unum, atque in tenebrarum consilia non modo Ministros, et Officiales Laicos sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, et habentes fiduciam in umbra Aegypti, sed etiam eos qui ceteris Lucis exempla praebere, atque utpote de Altari viventes, vel Religioso strictioris vitae et obedientiae instituto addicti, Apostolicam Auctoritatem praecipue excolere debuissent, turpiter conspirasse: Omnia et singula in ejusmodi Congregationibus, seu potius Conciliabulis Decreta et Statuta, quae Sedis Apostolicae praedictae et Ecclesiasticae immunitatis Jura quovis modo laedere poterant, uti nulla, irrita, et invalida, nulliusque roboris, et momenti pariter habenda esse decrevit, omnesque et singulos cujusvis status, et conditionis, sive Laicos, sive Ecclesiasticos tam Saeculares, quam Regulares cujuscumque Ordinis, vel Instituti, qui Congregationibus seu Conciliabulis hujusmodi interfuerant, ibique aut suadendo, aut consulendo, aut subscribendo, aut mandando, aut alias quomodolibet directe, vel indirecte Decretis, et Statutis praedictis consenserant, censuras, et poenas Ecclesiasticas contra haec perpetrantes in Apostolicis Constitutionibus, ac potissimum litteris die Coene Domini legi solitis scriptis contentas incurrisse, illosque propterea pro excommunicatis ac a Fidelium gremio segregatis, et vitandis haberi, et habendos esse denunciavit. Novissime demum a remotissimis illis Regionibus Nobis significatum fuit illatas eidem Carolo Thomae Cardinali Commissario, et Visitatori Generali, ejusque dignitati multiplices ac pene inauditas vexationes, etiam postquam illuc innotuerat, cum, eximiis suis ita exigentibus meritis, ad sublimem Cardinalatus honorem a Nobis erectum fuisse, minime cessasse; prae ceteris vero supradictum Laurentium Gomez assertum Vicarium Generalem Macaonen. in alium prompsisse gravissimum excessum. Cum enim dictus Carolus Thomas Cardinalis ob justas et rationabiles causas ab eo expressas, Dilectos Filios Patres Regulares Societatis Jesu in dicta Civitate Macaonen. existentes, illorumque Ecclesiam, Collegium, ac Seminarium Ecclesiastico interdicto supposuisset; idem Laurentius non modo interdictum hujusmodi irritum, ac nullum temere declaravit, verum etiam suo ad id promulgato monitorio, seu Edicto, omnibus et singulis Episcopatus Macaonen. subditis, cujuscumque tandem gradus, conditionis et praeeminentiae existerent, ne cum dilecto Filio Petro de Amaral Fratre expresse Professo Ordinis Praedicatorum, qui pro debita eidem Carolo Thomae Cardinali semper, et constanter praestita obedientia, aerumnas plurimas magno fortique animo sustinuit, aliisque Fratribus Conventus Macaonen. dicti Ordinis, imo nec cum aliis quibuscumque sive Lai-

cis, sive Ecclesiasticis, tam Saecularibus, quam Regularibus cujuscumque Ordinis, seu Instituti dicto Carolo Thomae Cardinali obedientiam exhibentibus, consortium ullum, seu commercium haberent, sub poena excommunicationis per contravenientes eo ipso incurrendae, districte prohibuit, et interdixit. Quibus permotus aliisque pluribus supradicti Laurentii reatibus attentis, idem Carolus Thomas Cardinalis ipsum Laurentium excommunicatum publice declaravit, et tanquam putridum membrum a Christifidelium consortio abscissum pronunciavit. Subinde vero praedictum Ioannem Episcopum non modo ejusdem Laurentii sui asserti Vicarii Generalis gesta temere, ac perperam propugnantem, sed etiam secundum duritiem suam, ac impoenitens cor thesaurizantem sibi iram in die irae, ac peccatum adijcere non dubitantem, mense Septembri anni MDCCIX., Dilecto Filio Promotore Fiscali Suae Apostolicae Visitationis instante; ad comparendum infra annum in Alma Urbe Nostra coram Nobis, ac se defendendum, et purgandum de excessibus in praejudicium Ecclesiae, atque Apostolicae Sedis praedictae, et contra proprium juramentum Episcopale commissis, necnon ad dicendum causam quare contra ipsum ad depositionis aliasque graviores poenas arbitrio Nostro irrogandas procedi non deberet, citari, ac moneri jussit et mandavit. Cum autem eo omnia, quae adversus praedictum Carolum Thomam Cardinalem, sicut praemittitur, decreta, gesta, atque attentata fuerunt, quaeque profecto nonnisi summo omnium Christifidelium horrore, ac moerore audiri possunt, intolerabilem prorsus Ecclesiasticae immunitatis, Dei ordinatione, et Canonicis Sanctionibus constitutae, debitaeque huic Sanctae Sedi obedientiae violationem, imo potius eversionem importent, adeoque Romanum Pontificem in suprema dictae Sedis Specula, cum potestatis plenitudine ab Altissimo collocatum, ad quem in primis pertinent damna, et offensa, quae Christi Domini inferuntur, in tanta, et tam gravi Divini omnis, atque humani Juris perturbatione otiosum ac desidem esse minime patiantur: Hinc est quod Nos, qui ex commissi Nobis caelitus Pastoralis officii debito, quorumcumque eidem Apostolicae Sedi, Sanctaeque Dei Ecclesiae competentium Jurium, necnon quarumvis Ecclesiasticarum Personarum, praesertim non minus insignium meritorum, quam sublimis in eadem Ecclesia gradus splendore fulgentium, libertatis ac Dignitatis assertores in Terris, ac vindices a Domino constituti sumus: Tametsi dictus Carolus Thomas Cardinalis, quantum sibi inter alias, in quibus versabatur, et forsan adhuc etiam versatur angustias permissum fuit, eo omnia, quae ad ipsius munus pertinebant, quaeque proinde firma semper, et salva esse volumus, strenue, ac fideliter, ut praefertur, implere non praetermiserit: Nihilominus Pontificii etiam Judicii Nostri accessione, Ecclesiasticae Jurisdictionis indemnitati uberius consulere, Nostraeque, et dictae Sedis Jura, sarta tecta, atque illibata, quantum Nobis ex alto

conceditur, enixius tueri, et conservare cupientes, necnon omnium et singulorum in praemissis, seu eorum occasione tam ab eisdem Joanne Episcopo, ac Laurentio Gomez ejus asserto Vicario Generali, quam a praedictis Officialibus, et Ministris, aliisve quibuscumque personis sive Ecclesiasticis, sive Laicis quomodolibet actuum, et gestorum seriem, causas, et circumstantias etiam aggravantes, nec non Officialium, Ministrorum, aliorumque praedictorum qualitates, Dignitates, nomina, et cognomina, aliave quaecumque etiam specificam, et individuam mentionem, et expressionem requirentia, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac exactissime et accuratissime specificatis habentes, motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, praedicta omnia et singula Decreta, monitoria, ordinationes, litteras, censuras, declarationes, resolutiones, interdicta, mandata, et edicta, ac alia quaelibet tam a Joanne Episcopo, et Laurentio Gomez ejus asserto Vicario Generali, quam ab Officialibus, et Ministris supradictis, aliisve quibusvis personis, tam Saecularibus sive Ecclesiasticis, sive Laicis, cujuscumque tandem status, gradus, conditionis, et Dignitatis fuerint, quam cujusvis Ordinis, Congregationis, Instituti, et Societatis, etiam Jesu Regularibus, in praemissis, sive eorum occasione adversus personam, seu Dignitatem supradicti Caroli Thomae Cardinalis Commissarii, et Visitatoris Generalis, seu alias in praejudicium libertatis, immunitatis, et Jurisdictionis Ecclesiasticae, atque auctoritatis Apostolicae respective quovis modo edita, promulgata, scripta, lecta, acta, facta, gesta, et perpetrata, cum omnibus, et singulis inde secutis, et forsan quandocumque secuturis, penitus, et omnino nulla, irrita, invalida, iniqua, injusta, damnata, reprobata, inania, temeraria, et a non habentibus potestatem damnabiliter attentata, et de facto praesumpta, nulliusque roboris, vel momenti, et efficaciae esse, et ab initio fuisse, et perpetuo fore, neminemque ad illorum observantiam teneri, imo nec ea a quopiam observari posse, vel potuisse, neque illa illum statum facere vel fecisse, sed perinde ac si nunquam emanassent, nec facta fuissent, pro non extantibus, ac non factis perpetuo itidem haberi debere, tenore praesentium declaramus: Et ad majorem, et abundantiorem cautelam et quatenus opus sit, illa omnia et singula motu, licentia, deliberatione, et potestatis plenitudine paribus harum serie damnamus, reprobamus, revocamus, cassamus, irritamus, annullamus et abolemus, viribusque et effectu penitus, et omnino vacuamus, ac pro damnatis, reprobatis, revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis et abolitis, viribusque, et effectu penitus, et omnino vacuis semper haberi volumus et mandamus. Firmas praeterea, ac salvas esse similiter volumus, atque decernimus quascumque censuras, et paenas Ecclesiasticas sive a Jure, sive a praedicto Carolo Thoma Cardinale latas, et promulgatas, quas praedicti, et alii qui-

libet, qui premissa perpetrarunt, necnon adhaerentes, fautores, et defensores eorum, sive qui illis auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet praestiterunt, propter eadem praemissa quovis modo incurrerunt, a quibus post condignam Ecclesiae praestitam satisfactionem, non nisi a Nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente, vel etiam ab ipso Carolo Thoma Cardinali, aliove Commissario et Visitatore Generali dictarum partium similiter pro tempore existente, (praeterquam in mortis articulo, et tunc cum reincidentia in easdem censuras eo ipso quo convaluerit) absolvi et liberari valeant. Facultate insuper non solum Nobis, et eidem S. Sedi, sed etiam ipsi Carolo Thomae Cardinali, seu pro tempore existenti Commissario et Visitatori Generali praedicto expresse reservata, quatenus illi minime redierint ad cor, sed in sua contumacia persistentes, censuras, et poenas Ecclesiasticas hujusmodi animo, quod absit, sustinuerint indurato, ad alia Canonica, et severiora remedia quandocumque procedendi. Decernentes etiam easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praedicti et alii quicumque in praemissis, seu eorum aliquo, jus vel interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes cujusvis status, gradus, Ordinis, praeeminentiae, et Dignitatis existant, seu alias specifica et individua mentione, et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, et auditi, causaeque, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae, et justificatae non fuerint, aut ex alia qualibet etiam quantumvis juridica, et privilegiata causa, colore, praetextu, et capite, etiam in Corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimae, et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio seu intentionis Nostrae, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali, ac incogitato, et inexcogitabili defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos Juris reduci, seu adversus illas aperationis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque Juris, facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato, quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus, sortiri, et obtinere, ac ab illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, et inconcusse observari. Sicque et non aliter in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. praedictae Cardinales, etiam de latere Legatos, et ejusdem Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentia, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et inter-

pretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum etc. attentari. Non obstantibus praemissis, ac quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de Jure quesito non tollendo, aliisque Apostolicis et Generalibus Provincialibusque et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, nec non Ecclesiae Macaonen. et quorumcumque Ordinum, Congregationum, Institutorum, et Societatum etiam Jesu, aliisve quibusvis etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ac usibus et stylis etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis, et litteris Apostolicis, Ecclesiae Macaonen., Ordinibus, Congregationibus, Institutis, et Societatibus etiam Jesu praedictis illorumque respective Praesulibus, Superioribus et Personis, aliisve quibuslibet etiam quantumvis sublimibus, et specialissima mentione dignis, sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, ac cum quibus etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque Decretis, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, seu ad quarumcumque personarum, etiam Imperiali, Regali, aliave qualibet mundana, vel Ecclesiastica Dignitate fulgentium, instantiam, aut eorum contemplatione, seu alias quomodolibet in genere, vel in specie, etiam Consistorialiter in contrarium praemissorum concessis, editis, factis ac pluries iteratis, et quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro eorum sufficienti derogatione de illis servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut eorumdem praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo Personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique adhibeatur, quae eisdem presentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 15. Martii 1711. Pontificatus Nostri Anno undecimo

De saeviente persecutione tristatur; de zelo ejus in Religionem gratulatur; ut in suscepto patiendi consilio persistat, hortatur.

Dilecto Filio Filiberto Blanc Vicario Apostolico Provinciae Junnaniae in Regno Sinarum.

CLEMENS PAPA XI.

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Ubi primum renunciata Nobis fuit persecutionis acerbitas in istis Partibus adversus Apostolicos Missionarios exortae, eum doloris sensum inde suscepimus, quem Paterna charitas debebat calamitati filiorum. Majorem tamen in modum commoti fuimus ex vexationibus, et molestiis, quas ea occasione illatas Tibi fuisse, et adhuc inferri cognovimus, cum ob ea, quae Dilectus Filius Noster Carolus Thomas S. R. E. Cardinalis de Tournon de Tua pietate, Orthodoxae Religionis zelo, summoque atque imperterrito in ipsum studio ad Nos praescripsit, Te singulari quadam benevolentia complectamur. Paterni itaque animi in Te Nostri argumentum aliquod Tibi extare cupientes, primum constantiam Tuam gratam admodum Nobis accidisse Tibi significamus, eamque meritis in Domino prosequimur laudibus: Deinde vero Te magnopere hortamur ac admonemus, ut in suscepto consilio persistas, et angustias, in quibus positus es, alacri, strenuoque animo sustinere pergas. Neque enim conqueri, sed gloriari cum Apostolo debemus in tribulationibus nostris: scientes, quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit. Quae quidem spes omnino certa, ac firma Tibi, qui persecutionem pateris propter justitiam, reponenda in Domino est. Non enim in perpetuum irascetur, neque in aeternum comminabitur, sed faciens misericordiam et judicium injuriam patienti, mittet Tibi, cum sibi placuerit, auxilium de Sancto, et de Sion tuebitur Te. Ceterum ad Nos quod pertinet, omne a Pontificia Auctoritate, et paterna Charitate Nostra praesidium polliceri Tibi perpetuo debes, Dilecte Fili, cui interim Apostolicam benedictionem amanter impertimur.

Datum Romae etc. die 22. Augusti 1711.

Cum declarasset Pontifex Decretum Cardinalis de Tournon circa Ritus, quaeque in eo continentur, opere esse complenda, cumque nonnullae interpretationes a Pontificis mente alienae a quibusdam essent factae, tum Decreti executionem, tum ipsum Visitatorem Apostolicum Lusitaniae Regi commendat.

Carissimo in Christo Filio Nostro Joanni Portugalliae et Algarbiorum Regi Illustri.

CLEMENS PAPA XI.

Carissime in Christo Fili Noster, Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Dudum procul dubio Majestati Tuae innotuisse non dubitamus responsa illa, quae in celebri causa Rituum, seu Caeremoniarum Sinensium, praevio diuturno, diligentissimoque examine prius edita, Pontificiae subinde Auctoritatis Nostrae accessione ante sex annos confirmanda, et approbanda esse censuimus, ut antiqua inter Evangelicos Missionarios illarum Partium ea de re oborta dissidia, quae saluberrimo, sanctissimoque Catholicae Religionis propagandae operi magnum adeo injiciebat, et, quod dolentes dicimus, adhuc injiciunt impedimentum, e medio penitus novisse pariter Majestatem Tuam non ambigimus, quae postea Dilectus Filius Noster Carolus Thomas S. R. E. Cardinalis de Tournon, tunc Patriarcha Antiochenus, Commissarius et Visitator Generalis in Sinarum, aliisque Indiarum Orientalium Regnis a Nobis specialiter deputatus, eadem in re per suum Decretum die 25. Januarii 1707. editum Apostolicae Nostrae decisioni inhaerens, mandavit. Aequum nunc ducimus Te itidem sive aliud novissime a Nobis in eadem Causa promulgatum fuisse Decretum, quo post maturam accuratamque discussionem eorum omnium, quae adversus mandatum praefati Cardinalis de Tournon postremo deducta fuerunt, tum antedicta responsa, tum etiam ipsum mandatum, seu Decretum Cardinalis supradicti ab omnibus, ad quos spectat, inconcusse, ac inviolabiliter sub censuris, et poenis in mandato, seu Decreto hujusmodi expressis observanda esse declaravimus, quovis contrafaciendi quaesito colore, vel praetextu penitus sublato, ac potissimum non obstante quacumque appellatione a quibusvis personis, sive Saecularibus, sive Regularibus, etiam specifica, ac individua mentione, et expressione dignis, ac quavis Ecclesiastica dignitate fulgentibus ad hanc Apostolicam Sedem interposita, quam propterea rejiciendam esse duximus, ac re ipsa rejecimus, quemadmodum ex eodem Decreto die 25. Septembris proxime praeterito edito, cujus exemplum hisce Nostris litteris adjungetur, uberius intelliges. Ad

haec Majestatem Tuam latere nolumus, Nos cum subinde non sine gravi animi Nostri molestia acceperimus, a nonnullis interpretationes quasdam nedum a mente Nostra prorsus alienas, verum etiam satis perspicuo novissimo hujus Decreti sensu repugnantes, statim ac illud promulgatum fuit, vulgatas fuisse: Illico mentem Nostram, germanumque sensum ipsius Decreti primum quidem Dilecto filio Praeposito Generali Societatis Jesu, postea vero Dilectis etiam Filiis Ordinum Fratrum Praedicatorum, Eremitarum S. Augustini, nec non Minorum S. Francisci de Observantia, ac Reformatorum respective nuncupatorum Superioribus Generalibus diserte aperiendum, denunciandumque curavisse; eisdem propterea sedulo injungentes, ut suis quique Religiosis in Sinica Missione collaborantibus id ipsum patefaceret, ne alias ejusdem Decreti executionem tantopere a Nobis optatam inanium, ac futilium explicationum obtentu nullatenus retardari, aut etiam eludi contingeret. Nosse demum Te etiam volumus, Decreti supradicti, eorumque omnium, quae in ejusmodi causa ab hac S. Sede hactenus constituta fuere, executionem enixe a Nobis demandatam fuisse praefato Cardinali, quem, scilicet, in pristinam libertatem jampridem restitutum fuisse jam credimus ex iis, quae Tuo in Indiis Proregi non semel injunxisse Nobis significasti: nec plane veremur, quin ipse Cardinalis pro eo, quo praeditus est singulari zelo, sedulam, strenuamque operam daturus sit, ut voluntati Nostrae, munerique suo cumulate satisfaciat. Quoniam vero probe compertum habemus quantum rebus gerendis momentum accessurum sit, ubi Majestas Tua eidem Cardinali praemissorum executionem, aliaque in hoc ipsum tendentia, quibus optatam tamdiu pacem Missionibus illis reddendum foret confidimus promovere satagendi, Regio Suo patrocinio suffragari dignetur, vehementer idcirco a Te petimus, et majori, quo possumus animi conatu, Te hortamur, atque etiam rogamus, ut pro eo, quo polles Orthodoxae Religionis conservandae, et amplificandae studio plane eximio, ipsi Cardinali Regiae Tuae Auctoritatis ope, atque praesidio adesse, Tuisque in illis Partibus Administris opportuna mandata in eum finem tradere accurate velis, quibuscumque hactenus interjectis impedimentis penitus, et omnino submotis. Quod certe et insigni Tua, majorumque Tuorum inclytae memoriae Regum pietate maxime dignum erit, et Omnipotentis Dei, cujus causa in primis agitur, benedictiones Tibi, Regiaeque Domui Tuae, sicuti optamus, uberrimas conciliabit. Nos interim, Carissime Fili Noster, praecipuae, qua Te in Domino complectimur, Charitatis testem, Apostolicam benedictionem Majestati Tuae amantissime impertimur.

Datum Romae etc. die 17. Januarii 1711.

Cum esset postulatum ut facultas dispensandi in gradibus a jure vetitis ampliaretur, respondet Pontifex ab Alexandri VIII. litteris, et Suis non esse recedendum.

Dilecto Filio Religioso viro Ludovico de Andrada Societ. Jesu Missionario in Indiis Occidentalibus.

CLEMENS PAPA XI.

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Delata nuper jussu Nostro ad Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium in tota Christiana Republica adversus Haereticam pravitatem Generalium Inquisitorum, ibique mature discussa fuit Tua, ac plurium Episcoporum istarum partium postulatio, ut facultatem dispensandi in gradibus a Jure vetitis alias a nonnullis Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris, ac etiam a Nobis, omnibus Ordinariis, et Missionariis earumdem Partium ad certum tempus, et cum certis dumtaxat Personis attributam, ad primum affinitatis gradum, etiam ex copula licita resultantis, ampliare ac extendere dignaremur. Ejus autem Congregationis sententia fuit, observandas esse litteras tum a fel. rec. Alexandro Octavo die 30. Martii anni 1690; tum etiam a Nobis diebus secunda, et 29. Aprilis, ac 11. Junii anni 1701. ea de re editas. Quapropter ab ejusmodi sententia, quam justissimam et hujus Sanctae Sedis mori consentaneam arbitramur, Nobis discedendum non esse rati, Te monitum volumus, ut limites in praefatis Apostolicis litteris constitutos, quantum ad Te attinet, omnino custodias, nec tamen omittas omnem operam, diligentiam, laborem ac studium pro spectato zelo Tuo in id conferre, ut mala, quae magna cum animi Nostri molestiis istic invaluisse percepimus, omnino tollantur. Quod ut felicius exequaris, Apostolicam Tibi benedictionem amanter impertimur.

Datum Romae etc. die 9. Aprilis 1712 etc.

Nec Ritus superstitionis labe infectos probasse, nec Decreta Cardinalis de Tournon Pudichery edita vel rescissa vel abrogata a se fuisse contendit.

Venerabili Fratri Episcopo Meliaporensi.

CLEMENS PAPA XI.

Venerabilis Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Non sine gravi animi Nostri molestia istis in Partibus evulgatum fuisse audivimus, quod praescripta in quodam Decreto die vigesima tertia Junii anno 1704. Pudichery edito a bo: me: Cardinali de Tournon, cum illuc ad Sinensis Imperii oras transmigraturus accessit, a Nobis rescissa, et obrogata, ac simul Caeremonias, et Ritus, qui eodem Decreto superstitionis labe infecti declarantur, vel omni, vel aliqua ex parte approbati, ac permissi fuerint. Cum autem maxime cupiamus, ut in re tanti momenti non modo Fraternitati Tuae, verum etiam, Te curante, ceteris istarum Partium Antistitibus, ac Missionariis aperte veritas innotescat; Tibi conjuncta folia a Notario Sanctae Romanae, ac Universalis Inquisitionis subscripta, ac ejusdem Inquisitionis signo roborata, mittenda duximus, ex quibus abunde, ac luculenter intelliges, quaenam ejusmodi in rebus hactenus fuerit, et adhuc sit Nostra mens, donec a Nobis, et Apostolica Sede aliter decernatur. Quod superest, Pastorum Principem enixe rogamus, ut in arduis Pastoralis Officii curis caelesti sua ope Tibi jugiter adesse velit, et Fraternitati Tuae Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.
Datum Romae etc. die 17. Septembris 1712.

A Joanne Lusitaniae Rege postulat, ut Carmelitarum Discalceatarum Congregatio in possessionem Conventus Goae existentis, qui Presbyteris Oratorii S. Philippi Nerii fuerat attributus, redintegretur. Imo et Hospitium in Urbe Dium existens, ad eamdem pertinens Congregationem, restitui petit.

Carissimo in Christo Filio Nostro Joanni Portugalliae et Algarbiorum Regi Illustri.

CLEMENS PAPA XI.

Carissime in Christo Fili Noster, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Expenso nuper, qua par erat sedulitate, negotio Conventus Or-

dinis Fratrum Carmelitarum Excalceatorum Congregationis Italiae in Civitate Goae existentis, quem reservato Apostolico beneplacito Praesbyteris Congregationis Oratorii Sancti Philippi Nerii illarum Partium concessum fuisse accepimus, consentaneum Nobis visum non est, ut ejusmodi concessio approbetur, cum nulla justa, et legitima occurrat causa, propter quam fundatio, ac assignatio ejusdem Conventus ab antiquis temporibus ad favorem praedicti Ordinis Fratrum Carmelitarum Excalceatorum facta, abrogari, atque rescindi jure possit. Quamvis enim superioribus annis in eodem Conventu tot Religiosi viri, quod ad Regularem observantiam, et disciplinam ibidem sustinendam necessarii extitissent, (quod forte mentem Tuam ad ejusmodi concessionem promovendam impulerunt) re ipsa non degerent; nihilominus cum eadem Congregatio Carmelitarum Discalceatorum numerum incolarum praedicti Conventus ita modo augere constituerit, ut Divinis officiis persolvendis, ac Regularibus explendis muniis satis sint, quin etiam, hunc eumdem in scopum, tres jam Religiosas viros isthuc miserit, Goam prima navigatione transmigraturos, et alios subinde, quotquot necessarii existimabuntur, statim ac certior facta fuerit praedictum Conventum sibi fuisse restitutum, illuc mittere parata sit; aequum omnino videtur, ut ad illius possessionem prorsus redintegretur. His itaque adducti rationibus, Nos, quo majori possumus animi studio, a mente Tua petimus, ut praedictae Congregationis precibus, ac votis annuere benigne velit, eique restitui curet quamprimum non Conventum modo Goanum, verum etiam Hospitium ad eam pertinens in Civitate Dium, quod Regularibus Ordinis S. Joannis de Deo proxime attributum fuisse asseritur, cum utroque loco iidem Fratres Carmelite Excalceati maxime indigeant, iisque ambo plurimum utiles, et commodi sint, ad ineundas ulteriores in Indiis Apostolicas Missiones, et ad Orthodoxam Fidem, quemadmodum praeclare faciunt, in illis Regionibus propagandam. Ea vero aequitate praedictorum Regularium petitio nititur, ut supervacaneum prorsus arbitremur eam pluribus promovere, ac urgere apud mentem Tuam, quam inter eximia sua decora praecipuo loco aequitatem, ac justitiam colere palam est. Et menti Tuae Apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae etc. die 14. Maii 1712.

Agit de Pallio Samueli Patriarchae Alexandrino tradendo, qui Graecorum Schisma ejuravit, et Fidei professionem emisit.

Dilecto Filio Laurentio a Sancto Laurentio Fratri expresse Professo Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupato, necnon Conventus dicti Ordinis in Civitate Hierosolymitana Custodi.

CLEMENS PAPA XI.

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Cum Nos nuper receptis Ven. Fratris Samuelis Patriarchae Alexandrini litteris, quibus se Divino illustratum lumine vetus Graecorum schisma, ejusque errores amplissime ejurasse, necnon Orthodoxae Fidei professionem libere non minus ore, quam sincero corde emississe, opportunis ea de re ad Nos transmissis documentis, ad Apostolatus Nostri notitiam detulerat; plenam, ac debitam ab eodem Samuele Patriarcha, tam per suas litteras praedictas, quam per Dilectum Filium Joannem Josephum Mazet Fratrem expresse Professum Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, ejus Nuncium, Nobis, et huic Sanctae Sedi praestitam Obedientiam magna cum animi Nostri exultatione, una cum Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus in Consistorio dictus Joannes Josephus legitimo ad id suffultus mandato Orthodoxae Fidei professionem hujusmodi, juxta formam Graecis ad Unitatem S. R. E. praedictae redeuntibus a Sede Apostolica praescriptam, ultra aliam a memorato Samuele Patriarcha, sicut praemittitur, emissam in manibus Nostris iterum emiserit, addita promissione quod ipse Samuel Patriarcha illam ratam habebit, et suscipiet, et intra tempus conpetens ratificabit, et homologabit, ac de novo juxta eamdem formam de verbo ad verbum, Graeco tamen idiomate, faciet, et emittet, ac sua manu subscriptam ad Nos et eamdem Sedem transmittet, insimul vero pro parte dicti Samuelis Patriarchae per praedictum Joannem Josephum ejus Nuncium fuerit Nobis humiliter supplicatum, ut statui suo in praemissis opportune providere, necnon ea qua decuit instantia postulatum fuerit; ut Pallium, insigne scilicet plenitudinis Pontificalis Officii, ipsi Samueli Patriarchae tradere, atque assignare de benignitate Apostolica dignaremur: Nos hujusmodi suppositionibus, ut infra, annuere, ipsumque Pallium de Corpore Beati Petri sumptum a Te ipsi Samueli Patriarchae assignandum per praedictum ejus Nuncium ad Te perferendum duximus. Tibi itaque per praesentes committimus, et

mandamus, ut per Te ipsum, vel aliam Personam Ecclesiasticam Communionem S. R. E. habentem a Te deputandam, eumdem Samuelem Patriarcham, si et postquam Orthodoxae Fidei professionem a praedicto Joanne Josepho ejus Nuncio coram Nobis emissam ratificaverit, illamque juxta eamdem formam, Graeco tamen idiomate, de novo emiserit, ut praefertur, ac sua manu subscriptam ad Nos transmittendam consignaverit, a Censuris, Sententiis, et poenis Ecclesiasticis quibuslibet, quas propter Schisma, Haereses, et errores, quos alias tenuit, et nuper ejuravit, quovis modo incurrit, auctoritate Nostra Apostolica, in utroque foro absolvas in forma Ecclesiae consueta; necnon cum illo super irregularitate per eum praemissorum occasione quomodolibet contracta, itaut illa et iisdem praemissis minime obstant. Clericali Charactere, quo antea insignitus fuit, illiusque privilegiis uti, ac in omnibus etiam Sacris, et Presbyteratus Ordinibus antea pariter susceptis, etiam in Altaris ministerio ministrare, nec non Patriarchali Ecclesiae Alexandrinae, cui nunc praeest, quoad vixerit, praeesse, et munere consecrationis per eum etiam antea suscepto uti libere et licite possit, et valeat, auctoritate praedicta in utroque pariter foro dispenses, omnemque inhabilitatis maculam, sive notam contra eum ex praemissis quomodolibet consurgentem, seu resultantem ab illo penitus et omnino abstergas, et aboleas; ipsumque Samuelem Patriarcham, ad haec omnia et singula, et aliis ad quemcumque effectum adversus praemissa opportune rehabilites: His vero peractis, eidem Samueli Patriarchae Pallium supradictum similiter per Teipsum, vel eamdem, aut aliam Personam Ecclesiasticam simul Communionem habentem, a Te pariter deputandam, assignes juxta unam ac ab eo juxta alteram formas praesentibus annotatas, Nostro, et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae solitum recipias juramentum, et formam juramenti hujusmodi, quod ipse Samuel Patriarcha praestabit, Nobis de verbo ad verbum per suas patentes litteras, suo sigillo munitas, per proprium Nuncium quantocitius destinare procures. Ceterum praedictum Samuelem Patriarcham moneri a Te volumus, ut Pallio hujusmodi caute, et prudenter intra Ecclesiam suam Alexandrinam illis diebus dumtaxat utatur, qui expressi in ejusdem Ecclesiae Alexandrinae privilegiis continentur: Praeterea ut signum non discrepet a Signato; sed quod ille exterius gerit, interius servet in mente, eumdem Samuelem Patriarcham attente horteris, quatenus humilitatem, et justitiam, dante Deo, qui dat praemia, et largitur munera, observare studeat, quae suum servant, et promovent Servatorem, ac dictam Ecclesiam Alexandrinam sponsam suam curet sollicite auctore Domino spiritualiter et temporaliter augmentare; forma autem, qua in assignatione Pallii ipsi Samueli Patriarchae facienda uteris, haec est = Ad honorem Dei omnipotentis, et Beatae Mariae semper Virginis, ac Beatorum Apostolorum Petri et Pauli,

et Domini Nostri Clementis PP. XI. ac S. R. E., necnon Ecclesiae Patriarchalis Alexandrinae Tibi commissae, tradimus Tibi Pallium de Corpore Beati Petri sumptum, in quo est plenitudo Pontificalis officii, cum Patriarchalis nominis appellatione; ut eo utaris intra Ecclesiam Tuam certis diebus, qui exprimuntur in Privilegiis ei ab Apostolica Sede concessis = Forma vero juramenti, quod memoratus Samuel Patriarcha, Graeco tamen idiomate, praestare debebit, talis est = Ego Samuel Patriarcha Alexandrinus ab hac hora in antea fidelis, et obediens ero B. Petro Apostolo, Sanctaeque Apostolicae Romanae Ecclesiae, et Domino nostro Domino Clementi PP. XI. Suisque Successoribus etc. = Inseratur prout in Pontificali.

Datum in Arce Gandulphi Albanen., die 20. Junii 1713. Anno decimotertio.

Quod in Regno Persarum Religionem Catholicam defendendam susceperit, laudat, oratque ut Georgiae Princeps, qui in aula Regis Persici detinetur invitus, in libertatem ad bonum Fidei Catholicae vindicetur.

Carissimo in Christo Filio Nostro Ludovico Francorum Regi Christianissimo.

CLEMENS PAPA XI.

Carissime in Christo Fili Noster, Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Quaecumque ad Orthodoxae Fidei tutelam, et incrementa pertinent, prae ceteris omnibus cordi esse Majestati Tuae assidua, eaque eximia Regiae pietatis testimonia hactenus comprobarunt. Hujusmodi autem zelus, quo Dei gloriam, et animarum salutem indesinenter promoves, si unquam alias, nunc maxime elucet, quando, sicut accepimus, Missiones in Regno Persarum institutas benigne foves, patrocinio tueris animique magnitudine Te plane digna opportunis etiam subsidiis juvare, ac instruere paratus es; ut infelices illi populi, etsi pretiosissimo Domini Nostri Jesu Christi Sanguine redempti, adhuc tamen vel in infidelitatis tenebris misere caecutientes, vel in Schismatis errore fluctuantes, ad amplectendam Catholicam veritatem adduci possint. Nos, qui Divini cultus amplificationem, animarumque salutem praecipuum Pontificiae solicitudinis munus esse arbitramur, ubi recens hoc, et sane praeclarum consilium Tuum audivimus, repleti sumus consolatione, superabundavimus gaudio, atque ingentem in praevalida Majestatis Tuae auctoritate fiduciam

constituimus fore, ut illorum, qui praedictas Missiones evertere , vel saltem perturbare nituntur, audacia coerceatur, earumque fructus uberius in dies, benedicente Domino, multiplicetur. Exploratum habemus nihil a Tua virtute ulla ex parte desideratum iri, quod e re futurum existimaveris, ut spirituali illius nationis bono consultum sit. Verum pro illa, quam cunctis gentibus debemus, charitate, et pro eo studio, quo veram illis felicitatem exoptamus, facere non possumus, quin id ipsum a Te magnopere postulemus, quod sponte, ac egregie Te praestiturum esse non ambigimus. Cum autem ex iis, quae Dilecti Filii Religiosi Viri Salkan Saba Arbelus Monachus Ordinis S. Basilii, Georgiae Regis, seu Principis Cosanguineus, ac Joannis Ricciardus Sacerdos Congregationis Missionis Nobis coram nuperrime exposuerunt, perspicue deprehenderimus promovendae earumdem Missionum utilitati illud conducere maxime posse, ut memorato Regi, seu Principi Georgiae, qui modo in Aula Regis Persarum invitus detinetur, libera suam in Ditionem revertendi facultas tribuatur; quin etiam haud levem concipiendam esse spem, fore ut idem Georgiae Princeps, qui Maumethica infici impietate constanter hucusque abnuit, ubi pristinam libertatem assecutus fuerit, ad ejurandum Schisma, in quo natus educatusque est, ac Orthodoxam Religionem profitendam inflectatur. Propterea quemadmodum aliis Nostris in simili forma Brevis die 13. Aprilis nuper elapsi datis litteris Majestatem Tuam requisivimus, ac enixe rogavimus, ita nunc iterum, quo majori possumus studio, requirimus, et rogamus, ut iis omnibus adhibitis officiis, ac mediis, quae pro eximia prudentia Tua magis utilia fore intellexeris, liberam, atque celerem ejusdem Georgiae Principis dimissionem, quae praeclaris laudibus, ornamentisque Tuis magnum certe cumulum adiiciet, strenue provehere, ac urgere velis. Ceterum plura tum de hoc ipso argumento, tum etiam de aliis earumdem Missionum necessitatibus Tibi explicabit Galliam repetens praedictus Joannes Ricciardus, quem ut clementer audire digneris, a Te petimus: plane confisi fore ut, qui pietatis meritum cum prudentiae laude conjungit, dignus a Te habeatur, in quem Regiae benignitatis documenta conferantur. Quod superest, Omnipotentem Dominum humiliter obsecramus, ut ad Catholicae rei praesidium diutissime incolumem, perpetuaque felicitate florentem conservet Majestatem Tuam, cui Apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae etc. die 26. Julii 1714.

Postulat, ut Missionarios illuc adventuros benigne excipiat, eorumque labores suo patrocinio juvet.

Venerabili Fratri Patriarchae Mengreliae.

CLEMENS PAPA XI.

Venerabilis Frater, Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Cum pro Pastoralis Officii Nostri ratione omnium, quotquot ubique terrarum sunt, Christifidelium Paternam curam gerere teneamur, nihilque profecto vehementius exoptemus, quam ut unusquisque eorum ad veram aeternae Salutis semitam dirigatur: Hinc Fraternitas Tua colligere satis poterit, quam enixe in praesens a Te flagitemus, ut Apostolicos Missionarios, quas istam in Regionem propediem allegaturi sumus, benigne fovere, piosque eorum labores opportuno patrocinio juvare velis. Quod ubi praestes, quemadmodum ex iis, quae de humanitate, ac aequitate Tua ad Nos allata fuerunt, Te cumulate praestiturum esse confidimus, rem certe facies non tam munere Tuo dignam, quam Nobis summopere gratam, et acceptam, populisque insuper, quorum regimini praees, maxime salutarem. Bonorum interim omnium auctorem Dominum impense rogamus, ut Fraternitati Tuae felicia cuncta largiatur, ac misericorditer efficiat, ut lucerna pedibus Tuis sit Verbum Suum, et lumen semitis Tuis.

Datum Romae etc. die 7. Maii 1715

Collegium Lincii in Dioecesi Passaviensi pro Fide Catholica in Regnis Septemtrionalibus Daniae, Norvegiae, et Sveciae propaganda, Auctoritate Apostolica, confirmat, gratiis ornat, et privilegiis auget.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Pastoralis Officii cura Nobis, meritis licet imparibus, ex alto commissa, Nos admonet, et inducit, ut pia Loca, quae pro Christi Fidelium commodo, et augmento erecta dicuntur, ut firma et illibata persistant, Apostolico praesidio consolidemus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Sane sicut Nobis innotuit in op-

pido Capitali superioris Austriae Civitate, nuncupato Lincii, Passaviensis Dioecesis, post diuturna, eademque continua Missionariorum Societatis Jesu in Septemtrione ardentissima vota novum Collegium, seu Seminarium sub titulo, et denominatione trium Sanctorum Regum, et Martyrum Erici, Canuti, et Olai, ut in eo Nobilis, ingenua, et majoris spei juventus ad Orthodoxam Fidem conversa, vel ulteriori Missionariorum opera convertenda ex tribus Septemtrionalibus Regnis, scilicet Svecia, Dania, Norvegia, eisdemque respective subjectis Provinciis, et Stationibus oriunda, pura ac Catholica Doctrina, pietate, probis honestisque moribus, bonis quoque artibus, et scientiis Orthodoxae Fidei dilatandae, illisque in Partibus promovendae, maxime necessariis imbuatur, sub auspiciis clarae memoriae Josephi, dum viveret, Romanorum Regis in Imperatorem electi, ac sub cura, et directione Clericorum Regularium Societatis Jesu erectum, et institutum fuerit, illudque Dilectus Filius Noster Carolus modernus Romanorum Rex, in Imperatorem electus, non modo Caesareo suo Patrocinio tuendum susceperit, verum etiam certis annuis Proventibus ita liberaliter auxerit, ut quod huic piae causae a sola Austriacae Domus munificentia, et pietate obvenerit, jam valorem quadraginta millium florenorum excedat; cujus exemplo non pauci tum Saeculares Romani Imperii Principes moti, inter quos Domini Status superioris Austriae, vel determinatos in finem praedictum Alumnatus instituerint, vel certos annuos reditus pie, et liberaliter impertiti fuerint, ut jam ibidem non contemnendus Alumnorum, et Ministrorum numerus manuteneri valeat, *et si quid supererit in Missionum pro dictis Regnis, et Provinciis substentationem impendi possit*: Cum etim fabrica ejusdem Collegii seu Seminarii in amplitudinem aedificii redacta, Ecclesia speciem Templi Bethleemici referens, officinae, cubicula, aliaque pro commodo, et decenti Alumnorum, Ministrorum, aliarumque Personarum in eodem Collegio, seu Seminario degentium habitatione, ac pro Regimine, Gubernio, et servitio dicti Collegii, seu Seminarii necessaria absoluta fuerint, ipsumque Collegium, seu Seminarium necessariis supellectilibus, benedicente Domino, jam sit provisum: Nos attendentes Collegii seu Seminarii erectionem hujusmodi in maximum Catholicae Fidei incrementum fore cessuram, volentesque tam pium, tamque salutare opus, quantum cum Domino possumus, perpetuo Nostro, et Apostolicae Sedis munimine roborare; motu proprio, non ad alicujus Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia meraque deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, ad Dei Omnipotentis laudem, Sanctaeque ipsius Ecclesiae incrementum, praecipuamque animarum salutem, Collegii, seu Seminarii praedicti erectionem, sic ut praefertur, factam, nec non omnia, et singula in Instrumento, seu Scripturis super hujusmodi erectionem confecto, seu confectis, quorum tenores, ac si de verbo

ad verbum insererentur, haberi volumus pro expresso contenta, licita tamen, et honesta, ac Sacris Canonibus, Concilii Tridentini Decretis, ac Constitutionibus Apostolicis minime contraria, et inde legitime secuta quaecumque, Apostolica Auctoritate tenore praesentium, perpetuo approbamus, et confirmamus, illisque perpetuae inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos tam Juris quam facti, et solemnitatum, in eis forsan omissarum defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, in eisdem supplemus, eidemque Collegio seu Seminario deservientium, et in eo respective degentium congrua, et decenti sustentatione, ac officiorum, aliarumque impensarum quomodolibet necessariarum supportatione, omnia, et singula bona mobilia, et stabilia, sacra, et profana, domus videlicet, praedia, aedificia, vineas, reditus, proventus, jura, actiones, et alia quaecumque cujusvis generis, speciei, et qualitatis sint, ac ubicumque locorum existant, quae eidem Collegio, seu Seminario quomodolibet, et quocumque titulo nunc spectant, et quomodolibet in futurum spectare, et pertinere possunt, et poterunt, etiamsi talia forent, quae specialem mentionem requirerent, etiam illa eidem Collegio seu Seminario a praedicto Carolo Romanorum Rege in Imperatorem electo, dictique Romani Imperii Principibus tam Ecclesiasticis, quam Saecularibus, aliisque Christifidelibus per viam Testamenti, Codicillorum, Legatorum, Donationum, Eleemosynarum, aliarumque Piarum elargitionum, ac alias quomodolibet jam relicta, donata, data, et elargita, quam imposterum quandocumque et quomodocumque relinquenda, donanda, danda, et elargienda, ita quod liceat semper, et omni tempore praedicti Collegii seu Seminarii Rectori, Superioribus, Ministris, aliisque Personis ad ejusdem Collegii, seu Seminarii reditus, et proventus exigendum Deputatis, vel in futurum pro tempore Deputandis nomine dicti Collegii seu Seminarii omnium, et singulorum bonorum fructuum, redituum, proventuum, elargitionum, Eleemosinarum, Donationum aliarumque rerum eidem Collegio, seu Seminario donatarum, ac assignatarum, ac imposterum quomodolibet donandarum, et assignandarum realem, actualem, et corporalem possessionem, seu quasi propria auctoritate, et de facto absque Ordinarii Loci, seu alterius cujuscumque Judicis Decreto, Sententia, sive Ministerio libere apprehendere, et adipisci, ac apprehensam, et adeptam retinere, illorumque respective fructus, reditus, et proventus percipere, exigere, levare, locare, dislocare, arrendare, et in dicti Collegii, seu Seminarii, illiusque Alumnorum, Ministrorum, aliarumque Personarum in eo nunc, et pro tempore degentium, eique respective inservientium, necessarios usus, et utilitatem convertere, eidemque Collegio, seu Seminario ejusque Rectori, Superioribus, Ministris, Alumnis, aliisque Personis et deservientibus, et in eo degentibus hujusmodi illis in perpetuum uti, frui, et gaudere perpetuo assi-

gnamus, applicamus, et appropriamus, nec non Rectori, Superioribus, Ministris, aliisque Personiis praedictis, ut bona ejusdem Collegii, seu Seminarii tam stabilia, quam mobilia, reditus, et proventus hujusmodi tam temporales, quam perpetuos eidem Collegio, seu Seminario, ut praefertur assignata, et donata, ac assignatos et donatos, vel imposterum assignanda, et donanda, ac assignandos, et donandos quovis modo, aut sub quovis praetextu, vel titulo, etiam cum cujuscumque Judicis seu Superioris Auctoritate, et facultate alienare, vel dismembrare non possint, absque expressa Nostra, et Sedis Apostolicae licentia districtius inhibemus. Praeterea Rectori, et Superioribus praedicti Collegii, seu Seminarii nunc, et pro tempore existentibus, ut pro salubri ejusdem Collegii, seu Seminarii bonorum, et rerum, juriumque temporalium, et spiritualium conservatione, Oeconomicos Deputatos, et Procuratores in eo deputare, et amovere, et alios in eorum locum substituere, differentias, lites, et controversias inter quoscumque personas tam Alumnorum, quam Ministrorum praedicti Collegii, seu Seminarii hujusmodi tam Clericorum, quam Laicorum exortas summarie, simpliciter, et de plano sine figura, et strepitu Judicii, appellatione quacumque remota, decidere, definire, ac terminare, nec non pro felici statu, directione, gubernio, et conservatione praedicti Collegii, seu Seminarii, ac Alumnorum et Personarum in eo pro tempore degentium quaecumque statuta, licita tamen, et honesta ad formam aliorum Collegiorum, seu Seminariorum in illis partibus existentium, eidemque Collegio, seu Seminario convenientia, et Sacris Canonibus, Constitutionibus Apostolicis, et Concilii Tridentini Decretis praedictis minime contraria, sed cum illis conformia condere, edere, et statuere, ac postquam condita, edita, et statuta fuerint, toties quoties pro rerum, temporum, et personarum qualitate expediens videbitur, corrigere, limitare, moderare, in toto vel parte revocare, et alia de novo edere et exequi facere, juxta providam dicti Concilii dispositionem, possint, et valeant, licentiam, et facultatem concedimus, et impartimur, quodque statuta hujusmodi postquam condita, edita, et stabilita, nec non pro temporum varietate correcta, moderata, addita, revocata, et de novo jam condita fuerint, semper, et omni tempore Apostolica Auctoritate approbata, et confirmata censeantur, ac omnibus et singulis dicti Collegii, seu Seminarii Alumnis, aliisque personis praedictis in eo degentibus firmiter observari debeant, volumus, et mandamus. Nec non Collegium, seu Seminarium praedictum, ejusque Ecclesiam, Rectorem, Ministros, aliasque Personas in eo degentes, uti cetera Societatis Jesu Collegia, Domus, et Ecclesiae ab Ordinarii Visitatione exempta sunt, et immunia, etiam ab Ordinarii Loci visitatione eximimus, et liberamus, dictumque Collegium, seu Seminarium, ac Alumnos, et Personas hujusmodi Provincialis, ac Visitatoris dictae Societatis in

Austria, qui ab ejusdem Societatis Jesu Praeposito Generali pro tempore deputabitur, ac extraordinarie pro tempore existentis Nostri, et Apostolicae Sedis Nuntii in illis partibus commorantis Visitationi subjicimus; postremo eidem Collegio, seu Seminario, illiusque Rectori, Superioribus, Alumnis, aliisque Personis in eo degentibus praedictis, ut omnibus, et singulis Privilegiis, Facultatibus, Immunitatibus, Exemptionibus, Prerogativis, Praeeminentiis, Antelationibus, Concessionibus, Indultis, Indulgentiis, Favoribus et Gratiis universis, tam Spiritualibus, quam Temporalibus, quibus alia Collegia, et Seminaria ejusdem Societatis in illis partibus erecta in genere, vel in specie, etiam per viam simplicis communicationis, ac alias quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, frui, potiri, et gaudere possunt, et poterunt quomodolibet in futurum, similiter, pariformiter absque ulla prorsus differentia, uti, frui, potiri, et gaudere possint, et valeant, in omnibus, et per omnia perinde, ac si illa praedicto Collegio, seu Seminario, illiusque Rectori, Superioribus, Ministris, Alumnis, aliisque Personis praedictis specialiter, et expresse concessa et elargita fuissent concedimus, et indulgemus. Decernentes easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque etiam ex eo quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, cujusvis Status, Gradus, Ordinis, Conditionis, et Dignitatis, aut alias speciali, et individua mentione digni existant, illis non consenserint, aut ad ea vocati, citati, et auditi, seu Causae, propter quas eaedem praesentes litterae emanaverint, adductae, verificatae, et justificatae non fuerint, vel ex alia quacumque quantumvis justa, legitima, pia et privilegiata Causa de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis, seu invaliditatis vitio, aut intentionis Nostrae, aut jus, seu interesse habentium consensus, aliove quomodolibet, quantumvis magno, formali et substantiali necessariamque expressionem requirentium defectu, sive etiam ex eo, quod in praemissis, eorumve aliquo solemnitates, et quaevis alia servanda, et adimplenda, servata, et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio Capite a Jure vel facto, aut Statuto, vel Consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, et enormissimae totalisque laesionis, aut quocumque alio colore, praetextu, ratione, vel Causa etiam in corpore Juris clausa, aliave Causa etiam quantumvis honesta, rationabilis, legitima, juridica, pia, privilegiata, etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissarum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate Nostra, et aliis superius expressis nullibi appareret, seu alias probari posset, notari, impugnari, infringi, revocari, aut ad terminos Juris reduci, seu adversus illos quodcumque Juris, facti, vel gratiae remedium impetrari, vel intentari, aut impetrato, aut intentato, vel etiam motu proprio, et de Apostolicae Potestatis plenitudine concesso, vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvari non

posse, neque praesentes litteras sub quovis similium, vel dissimilium erectionum, appellationum, appropriationum, confirmationum, concessionum, Indultorum, et gratiarum revocationibus, limitationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus etiam per Nos, et Successores Nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, Sedemque Apostolicam sub quibusvis Clausulis, et Decretis etiam derogatoriarum derogatoriis quandocumque faciendis, unquam comprehendi, aut comprehensos censeri, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie redintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data per Rectorem, Superiores, et Alumnos dicti Collegii, seu Seminarii pro tempore existentes quandocumque eligendos concessa, semperque firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab illis inviolabiliter observari, et ita, et non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac praedictae S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, Vice-Legatos, et Sedis Apostolicae pro tempore Nuntios, et alios quoslibet quavis auctoritate, et potestate fungentes, et pro tempore functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et potestate, judicari, et definiri debere. Irritum quoque et inane decernimus, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, et quibusvis etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, eorumque Reformationibus, et novis additionibus, stylo, usibus, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque, Indultis, et litteris Apostolicis quibusve Superioribus, et Personis, ac Locis quibuscumque etiam specifica, expressa, et individua mentione dignis, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis Clausulis irritantibusque, et aliis Decretis in genere vel in specie etiam motu simili, et ex certa scientia, deque Apostolicae Potestatis plenitudine, etiam Consistorialiter, aut alias quomodolibet, etiam reiteratis vicibus in contrarium praemissorum concessis, confirmatis, et innovatis, etiamsi in eis caveatur expresse, quod illis per quascumque litteras Apostolicas etiam motu proprio, et ex certa scientia, deque Apostolicae Potestatis plenitudine praedictis, pro tempore concessas, quascumque etiam derogatoriarum derogatorias in se continentes, derogari non possit, neque censeatur eis derogatum nisi hujusmodi derogationes Consistorialiter factae, et per diveras litteras intimatae fuerint. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac

de verbo ad verbum, non autem per Clausulas Generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut quaecumque alia exquisita forma ad hoc servata foret, illorum omnium, et singulorum tenores; formas, et causas etiam quantumvis praegnantes, pias, et privilegiatas, praesentibus pro plene et sufficienter, et de verbo ad verbum nihil penitus omisso insertis, et expressis, ac specificatis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum omnium, et singulorum validissimum effectum hac vice dumtaxat latissime, et plenissime, ac sufficienter nec specialiter, et expresse motu pari, et ex certa scientia deque Apostolicae Potestatis plenitudine derogamus, et derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 12. Junii 1715. Pontificatus Nostri Anno quintodecimo.

I. Card. Prodatarius

(L. S.)

Secr. de Silviis.

Gratulatur, quod ex atra errorum caligine in lucem verae Religionis emerserit, quodque Alexandrina Ecclesia per eum ad Romani Pontificis unionem, et obedientiam fuerit reversa. Procuratorem ejus abjurationis Schismatis, et professionis Fidei documenta afferentem hilariter excepisse declarat, quod iterum publice et solemniter in Palatio Vaticano est factum, omnium virorum summorum dignitate et nobilitate illustrium adstante corona, ubi ipse Procurator Patriarchae nomine et professionem Fidei, et Schismatis abjurationem iterum recitavit. Pallium denique eidem Patriarchae concedit, speratque una cum Patriarcha et Clerum, et Populum Graecum ad Romanae Ecclesiae sinum reversurum.

Venerabili Fratri Samueli Patriarchae Alexandrino.

CLEMENS PAPA XI.

Venerabilis Frater, Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Divinae Bonitatis magnitudinem in Tuo ad Orthodoxam Ecclesiam reditu contemplantes, et quomodo, qua potissimum ratione impulsus ex atra errorum, in quibus versabaris, caligine in lucem Catholicae veritatis, attento Nobiscum animo reputantes; primum

quidem continere labia Nostra non potuimus, quin cum Apostolo exclamaremus = O altitudo divitiarum sapientiae, et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viae ejus = Ostendit siquidem Omnipotens Dominus Tibi dura, ut potaret Te vino compunctionis; intendit arcum, simul tamen dedit Tibi significationem, ut fugeres a facie ejus, idest, tribulationes multas, et malas in Te immisit, non ut Te affligeret, sed ut inde ad Divinam illius Majestatem clarius, atque perfectius cognoscendam, veroque deinceps cultu honorandam excitareris; quod cum egregie jam praestiteris, usurpare merito posse videris verba illa patientissimi Viri, fructum, quem ipse ex propria tribulatione perceperat, Domino confitentis, nimirum = Auditu auris audivi Te; nunc autem oculus meus videt Te = Maximas deinde, ac vere debitas egimus gratias eidem Patri misericordiarum, qui Te ex tenebris vocavit in admirabile lumen suum, qui divitias gratiae suae in Te abundanter effudit, qui Te a salutis semita aberrantem ad sinum hujus Sanctae Romanae Catholicae et Apostolicae Ecclesiae, ceterarum omnium, quotquot in Orbe terrarum sunt, Ecclesiarum Matris, Capitis, et Magistrae, extra quam non est salus, benigne reduxit; qui demum Nos ipsos replevit consolatione et gaudio spirituali, dum, quod tamdiu vehementer exoptavimus, id tandem Nobis clementissime largiri dignatus est, ut scilicet Nobis liceret appellare Te Fratrem, Tibi veram salutem dicere; Tibi denique Paternam, et Apostolicam Nostram impertiri Benedictionem. Merito igitur magnificat anima Nostra Dominum; merito illi Sacrificium laudis immolamus, et reddimus Altissimo vota Nostra, quod singulari ejus benignitate, ac ope, qui facit mirabilia magna solus, Alexandrina Ecclesia, cujus eximia, et antiquissima Decora in Ecclesiasticis monumentis tantopere celebrantur, sublato tandem intermedio pariete divisionis, in unitate Fidei, et vinculo charitatis cum Romana Ecclesia conjuncta sit, quodque Alexandrinus Antistes ad Beatissimum Apostolorum Principis indignum licet, ac immerentem Successorem, hoc est, Marcus ad Petrum, discipulus ad Magistrum, Filius ad Patrem, iis propemodum diebus, quibus ipsius B. Marci, nec non Sanctissimi Alexandrini Episcopi Athanasii festa celebravimus (quod certe non sine peculiari Divinae Providentiae omnia fortiter, ac suaviter disponentis consilio evenisse arbitramur), corde puro, et conscientia bona, et Fide non ficta, quemadmodum omnino credimus, reversus sit. Cum itaque sub finem praeteriti Mensis Martii ad Almam Urbem Nostram advenisset Dilectus Filius Religiosus vir Joannes Joseph Mazet Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum Professor, quem Fraternitas Tua cum Suis litteris, ac documentis abjurationis Schismatis, nec non professionis Orthodoxae Fidei isthic a Se emissae ad Nos allegaverat, ac insuper specialem Procuratorem ad quaecumque alia necessaria Suo

nomine peragenda constituerat, eum, protinus, tamquam faustissimi eventus nuncium, ad conspectum, et colloquium Nostrum benigne admissimus, laetoque animo, atque hilari vultu excepimus, non secus, ac si Te ipsum praesentem intueremur. Erumpentem subinde ex intimo cordis Nostri laetitiam cum pluribus Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus communicandam duximus, eisque adventum Apocrisiarii Tui, et quam ob causam a Te ad Nos missus fuisset significavimus, totaque re accurate cum iis discussa, ac deliberata, placuit ut certa statueretur dies, in qua idem Procurator Tuus publice, ac solemniter a Nobis exciperetur. Die igitur vigesima octava praeteriti Mensis Aprilis, in dicto Consistorio, in Palatium nostrum Apostolicum Vaticanum, quod est apud celeberrimam Basilicam Principis Apostolorum, ubi Sacrum illius Corpus asservatur, convocavimus quotquot in Urbe reperiebantur ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales ex omni ordine Episcoporum, Presbyterorum, et Diaconorum, tumque Procuratorem supradictum, nec non duos Monachos Ordinis Sancti Basilii, quos huc similiter miseras, et plures alios ex Graeca Natione Romae degentes adesse jussimus; cumque multi praeterea Episcopi et Praelati, ac ex Aula Romana Viri nobiles, qui ad tantae rei spectaculum frequentissime convenerant, praesentes essent; introducti primum fuere praefati Procurator et Monachi Tuas litteras, ac documenta a Te transmissa deferentes, a Graecis Viris, qui in eorum comitatu erant associati. Palam deinde, ac elata voce jussu Nostro perlectae sunt ipsaemet litterae Tuae, primum quidem, lingua, qua scriptae erant, Graeca, mox etiam Latina, eodemque modo recitatum est Tuae abjurationis documentum: Tum idem Procurator Tuus debitam Nobis Tuo nomine subjectionem, ac obedientiam praestitit, ac Nos, licet meritis impares, in Sede tamen Beati Petri Successorem, ac verum Domini Nostri Jesu Christi in terris Vicarium et visibile totius Catholicae Ecclesiae caput humiliter agnovit, et veneratus est. Mox Tuo itidem nomine Orthodoxae Fidei professionem renovavit, eamque juxta formulam Graecis ad unitatem S. R. E. redeuntibus a Sede Apostolica dudum praescriptam, Sanctis Evangeliis in medio propositis palam recitavit, solemni addita promissione, quod Fraternitas Tua Fidei professionem hujusmodi ratam, et gratam habebit, et publicum rite confectae ratificationis instrumentum ad Nos, ac eamdem Sanctam Sedem intra tempus competens omnino transmittet. His ita peractis, Nos memores Illius locum, licet immeritos, in terris tenere, qui venit quaerere, et salvum facere, quod perierat, quique Ovem perditam diligentissime perquisivit, ac inventam in humeros Suos sustulit, et ad Ovile ingenti cum gaudio reportavit, Tibi ad Catholicam Ecclesiam ultro redeunti expansis Pontificiae Charitatis brachiis occurrimus, magnaque cum animi Nostri exultatione una cum praefatis S. R. E. Car-

dinalibus praestitam Nobis a Te, ut praefertur, tam per Tuas litteras, quam per legitimum Procuratorem Tuum plenam obedientiam, ac subjectionem libenter recepimus, Nostramque Tibi vicissim ac ejusdem Apostolicae Sedis gratiam, benevolentiam, et patrocinium amantissime polliciti sumus. Petitum insuper a Te Pallium de Beati Petri Corpore sumptum, in quo Pontificalis Officii plenitudo continetur, Tibi benigne assignandum esse decrevimus, illudque ad Dilectum Filium Religiosum Virum Laurentium a S. Laurentio Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum Professorem, et Conventus ejusdem Ordinis in Civitate Hierosolymitana Custodem transmitti mandavimus, ut ab eo, praevia Fraternitatis Tuae in utroque foro absolutione, dispensatione, et opportuna rehabilitatione, postquam tamen Orthodoxae Fidei professionem a Procuratore Tuo hic emissam, seu renovatam ratificaveris, Tibi auctoritate Nostra tradatur. Haec porro acta sunt omnia tanto cum gaudio Nostro et Fratrum Nostrorum Cardinalium, et eorum qui interfuerant, et audierunt, ut omnem verborum explicationem facile supergrediantur. Non tamen in Te uno sistit laetitia Nostra; perpendentes enim eximiam Tuam pietatem, cujus tam praeclarum accepimus testimonium, necnon singularem, quam, ut Nobis innotuit, apud Tuas late gentes existimationem obtines, uberiorem in dies Spiritualium gaudiorum messem expectamus. Ad eadem siquidem sequenda vestigia omnibus Graeci ritus populis, ac praesertim Episcopis valido incitamento futurum exemplum Tuum omnino confidimus. Nunc ergo, Venerabilis Frater, agnosce abundantes divitias gratiae, et bonitatis Dei, qui secundum magnam misericordiam Suam et secumdum multitudinem miserationum Suarum Tui misertus est. Narra Populis et Principibus quanta fecerit Tibi Dominus: haec est enim gloria Tua, ut omnes Gentes longe lateque intelligant, quia fecit Tibi magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus. Dilige Matrem Tuam Romanam Ecclesiam, quae Te rursus in Christo genuit, nec dimittas legem illius, et praecepta ejus cor tuum custodiat; longitudinem enim dierum, et annos vitae, et pacem apponent Tibi; cave demum, ne quid in Te, quod Deus avertat, fictum, simulatumve sit. Nos enim, ut homines, externa tantum intuemur, et de his judicamus: Deus autem scrutatur renes, et corda, ejusque oculis nuda, et aperta sunt omnia. Nos piae Matris Ecclesiae gremium, et portas Caeli Pontificia Nostra auctoritate Tibi, quantum in Nobis est, aperuimus, et aperimus: Tu vide, ne Tibi ipsi et Ecclesiam, et Caelum claudas. Sed absit, ut haec unquam de Te timeamus, imo nec cogitemus, cum potius in omni veritate, mentisque candore coram Deo, et Nobis Te ambulare, ac deinceps etiam ambulaturum esse constanter credamus, adeoque nonnisi magna, et praeclara ad Divinae gloriae, et Catholicae Religionis amplificationem, nec nisi digna Patriarcha

Alexandrino, digna pietate, atque praestantia animi Tui, digna postremo tot Sanctissimis Decessoribus Tuis, qui Catholicam Ecclesiam scriptis rerumque gestarum gloria summopere illustrarunt, de Te Nobis omnino polliceamur. Reliquum est, ut quae Procurator Tuus apud Nos egit, postquam isthuc ad Te redierit, rata habeas, et confirmes, ac praecipue Catholicam Fidem denuo profitearis ex eadem formula, quam ille de scripto coram Nobis, et Fratribus Nostris pronunciavit, propriaque manu subscripsit, ac hujusmodi iteratae professioni Tu quoque manu Tua subscribas, Tuoque signo obsignatam ad Nos transmittas quamprimum. Nos porro eidem Tuo Procuratori, cum injuncto sibi munere apud Nos sedulo jam, et cumulate perfunctus fuerit, quo etiam nomine illum Fraternitati Tuae diligenter commendamus, benigne veniam dedimus ad Te remeandi, ac opportuno instructum Viatico cum Nostra benedictione dimisimus. Illi praeterea munuscula aliquot, praesertim ad Sacrorum usum ad Te perferenda tradidimus, quae Tibi pignus erunt propensae illius voluntatis, qua, Paternam Nostram charitatem uberioribus largitionibus Tibi aliquando explicare exoptamus. Ceterum cum nihil interea, quod ab auctoritate Nostra in Tui praesidium, vel solatium conferri possit, a Te desiderari velimus, ab ipso Procuratore Tuo fuse Tibi significabuntur officia, et studia, quibus Nos majores Orthodoxos Principes excitavimus, ut Fraternitatis Tuae patrocinium quam enixe suscipiant, et quibuscumque poterunt rationibus, ac mediis Te, Tuamque dignitatem tueri contendant. Te demum, Venerabilis Frater, toto corde, ac intimo Pontificiae charitatis affectu complectimur: Tibi multis cum lacrymis prae gaudio manantibus Paternam, et Apostolicam Nostram benedictionem peramanter impertimur; Deumque Optimum Maximum, qui gloriam Suam in Te manifestavit, suppliciter exoramus, ut Ipse Te caelestibus bedictionibus comulet, quatenus in terra feliciter diu vivas, ac in Caelo ea, quam repromisit diligentibus Se, immarcescibili justitiae corona donatus, gaudiis perfruaris sempiternis.

Datum in Arce Gandulphi Albanensis Dioecesis etc. die 20 Junii 1715.

Perturbatam Religiosae rei conditionem in causam adducit, cur in Sinis trium Episcopatuum fundationem distulerit. Quoad benevolentiam Suam in Lusitaniae Regem spondet, Se a Praedecessorum Suorum vestigiis non recessurum. Cum jam de ritibus Sinensibus dicta sit causa; ut Sua constitutio opere in bonum Religionis compleatur, Regium praesidium, et opem implorat.

Carissimo in Christo Filio Nostro Joanni Portugalliae, et Algarbiorum Regi Illustri.

CLEMENS PAPA XI.

Carissime in Christo Fili Noster, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Praeter omnem expectationem Nostram in litteris Majestatis Tuae die 12. Augusti prox. ad Nos datis, et a Dilecto Filio Nobili viro Marchione de Fontes Oratore Tuo extraordinario Nobis redditis, dilatas a Te querelas accepimus, eo quia in negotio erectionis trium novorum Episcopatuum in Sinis, quam ut omnes in posterum amplissimi illius Imperii Provinciae a propriis Pastoribus regi valerent, enixe a Nobis flagitasti, ejusmodi postulatis Tuis non obsecundavimus. Omnem siquidem spem habemus, fore ut Majestas Tua omnino probaret rationes illas fuse eidem Oratori Tuo coram explicatas; ob quas congruum Nobis minime visum fuit in praesenti perturbato rerum statu, in quo Missiones Sinicae reperiuntur, de novorum Episcopatuum erectione agere, ac ejusmodi rem ad illud tempus reservavimus, quo liberior, atque felicior in illis Partibus Christianae Religionis propagatio sperari possit. Nihil propterea de hoc argumento adijciendum in praesens Nobis superest: nisi quod pro certo, ac poenitus explorato habere debes, nunquam Nobis propositum fuisse, nec esse in hac re laedere, vel imminuere Regia Tua jura, quae potius amplificare pro Paterna, ac plane intima voluntate erga Te Nostra cuperemus. Cum enim satis superque perspecta Nobis sint praeclara Regum Portugalliae in Catholicam Religionem merita, et quo illa honore, quibusque Pontificiae liberalitatis documentis digna judicaverint Romani Pontifices Praedecessores Nostri, ab illorum vestigiis recedere non intendimus. Ceterum quod attinet ad causam Rituum, seu Caeremoniarum Sinensium, cum illa dudum Decretis Nostris finita fuerit, ac novissime edita a Nobis Constitutione, omnes, et quascumque rationes seu excusationes ad eorum executionem declinandam allatas, illamque praesertim a metu ductam gravium periculorum, quae tam Missionariis, quam Missioni ipsi in hujusmo-

di executioni obvenire possent, penitus rejecerimus; nullus jam relinquitur locus cuiquam novae hujus negotii disquisitioni: sed eadem Nostra Decreta ab omnibus Christifidelibus, debitam Apostolicis definitionibus obedientiam profitentibus, quavis ulteriori cunctatione abjecta, integre, absolute, ac inviolabiliter juxta formam in ipsamet Constitutione Nostra praescriptam, servanda sunt. Nec plane metuendum Nobis esse credimus, quod ullum propterea Christianae Religionis, et Catholicae veritatis propagationi detrimentum in eisdem partibus venturum sit. Imo potius cum in iis, quae hucusque gessimus, non aliud in animo consilium, neque scopum habuerimus, nisi ut latissimum illarum Missionum campum ab omni superstitionis, nedum labe, sed etiam suspicione vindicaremus; certam, firmamque spem concipere omnino possumus, quo magis ager ipse, in quo Divini verbi semen spargendum erit, a spinis illud suffocare valentibus expurgabitur, eo largius, ac uberius fore incrementum, quod illi dabit Deus; ubi praesertim Evangelici Operarii, quorum ceteroqui in promovendo Christi Regno labores, et pericula, magnam in Domino laudem promerentur, cum inter se pacis, mutuaeque charitatis spiritum fovere, ac servare satagant, qui eorum vocationi maxime convenit, quique accuratissime a Nobis hactenus illis commendatus fuit, atque etiam de cetero commendabitur. Hanc in finem Majestatis etiam Tuae opem, atque praesidium imploramus, praecesque Nostras nuper, cum praefatam Constitutionem Tibi misimus, ad Te dilatas, vehementiori, quo possumus, animi Nostri studio instauramus, ut Regia Tua auctoritate strenue Nobis adesse velis, quatenus id assequi possimus, quod tam anxie inquirimus, quodque cum insigni, spectatoque zelo, quo Majestas Tua Catholicae Religionis bonum exoptat, usquequaque consentire non dubitamus. Hanc porro eximiarum virtutum Tuarum, pietatis praesertim, quae ubique maxime celebratur laudibus, accessionem ex animo cupimus, et speramus; dum a Te postulantes, ut reliqua ad hoc idem negotium pertinentia ex Dilecto Filio Magistro Josepho Firao, Signaturae Nostrae Gratiae nuncupatae Duodecemviro, qui ea Nostro nomine Tibi fusius explicabit, cognoscere benigne velis; Apostolicam benedictionem cum assiduo, enixoque Tuae felicitatis voto conjunctam Majestati Tuae amantissime impertimur.

Datum Romae etc. die 4. Januarii 1716.

Hortatur, ut milites, et duces in suo officio contineantur, et a novis in Templa, et Collegium Pontificium Leopoliense damnis inferendis deterreantur.

Carissimo in Christo Filio Nostro Augusto Poloniae Regi Illustri.

CLEMENS PAPA XI.

Carissime in Christo Fili Noster, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Explicare verbis non possumus Majestati Tuae, quali quantoque non moerore tantum, sed etiam horrore perfusi fuerimus, ubi non ita pridem audivimus militares Tuas Saxonum copias in Poloniae Regno versantes eò licentiae, ac audaciae devenisse, ut Sacris Templis quampluribus Civitatis Leopoliensis, magno cum bonorum omnium scandalo, rapaces manus injecerint, ac insuper die 28. nuper elapsi mensis Martii Collegium Pontificium in illius suburbio situm, cujus cura Clericis Regularibus Theatinis nuncupatis Apostolica Auctoritate commissa est, ipsis etiam a Religione Nostra alienis Tartarorum, Moschorum, Svecorumque Nationibus intactum hucusque, ut accepimus, ac inviolatum, hostili more diripuerint perfractis foribus, asportataque prae ceteris non modica, quae ejusdem Collegii sustentationi destinata erat, frumenti vi, nulla loci, nulla Pontificii nominis, nulla demum acerbi luctus Alumnorum aliorumque Collegio inserventium, quibus necessaria alimenta subtrahebantur, habita ratione; minime profecto dubitamus, quin Majestas Tua statim ac graves ejusmodi injurias atque illata sacris locis detrimenta resciverit, parem Nostro dolorem, ac indignationem conceperit, eximiaeque suae tum pietatis, tum justitiae adacta stimulis opportunis, jam uti remediis non praetermiserit, ut irrogata damna cumulate sarciantur quamprimum, et qui ea irrogare ausi fuerunt, pro modo culpae severe puniantur. Id tamen ipsum Nos, qui talia isthinc admitti molestissime ferimus, Te praesertim Regnum gubernante, cujus nomen ubique gloriosum esse summopere cupimus majori quo possumus animi Nostri conatu, ac studio a Te postulamus. De filiali ceteroquin Tua erga hanc Sanctam Sedem observantia Nobis, omnino polliciti fore ut, quod ultro Te facere credimus, alacrius etiam atque enixius intuitu Nostro id facias. Quod superest impense Te hortamur ut Milites, Ducesque Tuos in officio continere, debitamque sacris Locis, et Ecclesiasticis viris reverentiam ab ipsis exhiberi strenue, et diligenter cures, ac uti ea in re peccaverint, nihil dissimulandum existimes, sed meritis congruisque illos exerceas poenis: Hac enim potissimum ratione Caeleste praesidium rebus

Tuis conciliatum iri satis intelligis, Carissime in Christo Fili Noster, cui interim Apostolicam benedictionem amantissime impertimur.
Datum Romae etc. die 15. Junii 1716.

Dismembratio Abbatiae Sanctissimae Trinitatis Mileti a Ven. Collegio Graecorum Urbis, et unitae, ac incorporatae ad Mensam Episcopalem Miletensem.

CLEMENS PAPA XI.

In Nomine Domini, Amen.

Cunctis ubique pateat evidenter, et sit notum, quod Anno a Nativitate Domini Nostri Jesu Christi 1717., die vero decimaquinta mensis Augusti, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, et Domini Nostri Domini Clementis Divina Providentia Papae XI. Anno decimoseptimo. Ego Officialis deputatus infrascriptus vidi, legi, ac diligenter inspexi quasdam litteras Apostolicas sanas siquidem, et integras sub plumbo, ut moris est, debite expeditas, tenoris sequentis videlicet = Clemens Episcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam = Ad exequendas in Terris Redemptoris Nostri vices, Nostra id non patiente humilitate, sed Sua sic disponente bonitate, assumpti, attente considerationis Nostrae aciem in Agri Dominici, Nostrae curae commissi, circuitu, boni Agricolae more, revolvimus, ac inter cetera quid pro felici, ac tranquillo illius cultu, ut exinde ad ejusdem Redemptoris Nostri gloriam, et Sanctae Ecclesiae ejus Sponsae ornatum, et ad ipsius Agri pompam uberius effloreat, in dies diligenter prospicimus, illasque ab eo prompta, et ea, quae Nobis ex alto permittitur, manu evellimus jurgiorum spinas, quae in alienam superbiunt substantiam, et crescentes bonum illud suffocare nituntur triticum, quod a vigili Praedecessorum Nostrorum Cura studiorum alimoniae satum, et jam ortum, felici piorum operum germinare dignoscitur, ubertati, aliaque novo ordine componimus, quae eorumdem Agri amoenitati Praedecessorum dispositis studiorum tranquillitati, et militantis Ecclesiae triumphis conspicimus in Domino salubrius expedire. Cum sicut accepimus alias, et postquam felicis recordationis Gregorius Papa XIII. Praedecessor Noster, ad revocandam antiquam, et celebrem Graecorum Nationem ab eorum ignorantiae caligine ad veritatis lucem, et salutis viam in Alma hac Urbe Nostra Collegium, in quo pueri et adolescentes ex ipsa Graecia, aliisque Provinciis, et Locis ubi eos pro tempore commorari contigisset, inquisiti alerentur, et Graecis litteris, liberalibus disciplinis, ac scientiis, Sacra praesertim Theo-

logia, ac Ecclesiasticis Ritibus a viris probatae Fidei, et Doctrinae sedulo instruerentur, ut sic inde instructi, ad eorum Provinciam, et Loca praefata redeuntes, novum Priscorum Sanctorum Patrum ejusdem Nationis Populo lumen reportarent, ad Omnipotentis Dei gloriam, et Sanctae Fidei Catholicae exaltationem, spiritualemque Animarum eorumdem Graecorum utilitatem, ac perpetuam ipsorum cum Ecclesia Romana unionem, sub certis modo, et forma tunc expressis. Apostolica Auctoritate perpetuo erexerat, et instituerat, eidemque Collegio sic erecto, et instituto in illius, ac Scholarium, aliorumque Ministrorum, et Officialium inibi pro tempore degentium, congruum subsidium, et congruam sustentationem, certos annuos fructus, reditus, et proventus Ecclesiasticos applicaverat, attribuerat, et assignaverat, et ut ipsius Collegii conservationi, bonoque regimini, tam in iis, quae victum, et vestitum, aliaque hujusmodi concernebant, opportunius consuleretur, nonnullos tunc, et pro tempore existentes Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales ejusdem Collegii Protectores, et Defensores, quorum consilio, et ope omnia, et singula praefata, et alia quaecumque ad eosdem in praefato Collegio pro tempore admittendos Scholares, retinendosque spectantia fierent, et ordinarentur, tribuens eisdem Cardinalibus pro tempore existentibus ejusdem Collegii Protectoribus, et Defensoribus praefatis plenam, et liberam facultatem, et auctoritatem pro salubri directione, et conservatione dicti Collegii, illiusque Bonorum, et Rerum, ac Jurium quorumcumque, constituerat, et deputaverat, aliaque provide disposuerat, prout latius in ejusdem Gregorii Praedecèssoris litteris Apostolicis sub Datum Idibus Januarii Pontificatus sui Anno quinto, desuper expeditis, accepimus contineri: Et deinde etiam postquam idem Gregorius Praedecessor per alias suas litteras tenoris sequentis videlicet = Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam = Paterno animi Nostri in calamitosam Graeciae Provinciam jam pridem excitati affectu, quo illam Nationem diuturna, et gravi oppressione levare, ad Apostolatus apicem evecti, semper intendimus, praeditos ingenio Graecos adolescentes in Almam Urbem Nostram inde adduci, et in Collegio illis a Nobis constituto ali annos aliquot, atque institui operam dedimus, spem, Domino inspirante, conspicientes, ut postquam hoc opus vires acceperit, seque transvecta huc juventus, sincera Catholicae Fidei disciplina, quae in Romana Sede fundata est, corroboraverit, gens illa, ubi quodam Orthodoxae pietatis consonans Nobiscum viguit integritas, et ex qua tot viri prodierunt Doctrina, eloquentia, et sanctitate insignes, aliquando ad mentem, ejusdemque sensus, et sententiae unitatem revertatur. Cum itaque, sicut accepimus, Monasterium Sanctissimae Trinitatis Ordinis Sancti Benedicti Militen. Civitatis, vel Dioecesis, quod bo. mem. Alexander tituli Sanctae Mariae in Via Presbyter Cardinalis Sfortia nuncupatus, ex concessione, et

dispensatione Apostolicis in Commendam, dum viveret, obtinebat, Commenda hujusmodi per obitum dicti Alexandri Cardinalis, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, cessante, adhuc eo, quo ante Commendam ipsam vacabat, modo vacaverit, et vacet ad praesens: Nos, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia Ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem secundum communem extimationem fructuum, redituum, et proventuum, etiam Beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, semperque in unionibus commissio fieret ad Partes, vocatis, quorum interesset, quique hodie pensionem annuam, et perpetuam mille scutorum auri in auro super fructibus, reditibus, et proventibus Abbatiae Fontis Avellan. Eugubin. Dioecesis Collegio Nostro Germanico de Urbe perpetuo unitae pridem a Nobis dicto Collegio Graecorum in perpetuum reservatam, cujus solutio extincta alterutra duarum aliarum antiquarum pensionum, quae etiam nunc super eisdem fructibus assignatae sunt, nec antea fieri debebat, motu proprio cassavimus, et extinximus, ne suscepti huc usque laboris Nostri fructus depareant, utque Orientis in Deum cultus, cum pio Occidentis famulatu conspiret, et utrosque concors spiritus pacis, Domino miserante, agat in Caelum, opus hoc omni ex parte, quantum in Nobis est, absolutum relinquere, rebusque necessariis ita communire decrevimus, ut perpetuis futuris temporibus valeat sustentari. Quare Dilectos Filios ipsius Collegii Graeci Rectorem, Administratores, et Scholasticos a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes: Necnon aliarum unionum, applicationum, et appropriationum similium, vel dissimilium Monasteriorum, et Beneficiorum Ecclesiasticorum, et Bonorum quorumcumque, pro dicto Collegio factarum, tenores eorumque, ac ceterorum dicti Collegii fructuum, redituum et proventuum veros annuos valores cujuscumque quantitatis existant, verum quoque, et ultimum dicti Monasterii Sanctissimae Trinitatis vacationis modum, etiamsi ex illo quaevis generalis reservatio, etiamsi in corpore juris clausa, resultet, praesentibus pro expressis habentes: Motu simili, non ad Rectoris, Administratorum, et Scholasticorum praedictorum, aut alicujus eorum Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed mera deliberatione, ac certa scientia Nostra, deque Apostolicae Potestatis plenitudine in dicto Monasterio Sanctissimae Trinitatis, cujus fructus, reditus, et proventus ad octuaginta florenos auri in libris Camerae Apostolicae taxati reperiuntur, quovis modo, aut ex cujuscumque persona, seu per liberam cessionem cujusvis de illius regimine, et administratione in dicta Curia, vel extra eam etiam coram Notario publico, et Te-

stibus sponte factam vacet, etiamsi tanto tempore vacaverit, quod ejus provisio juxta Lateranensis Statuta Concilii, aut alias Canonicas Sanctiones ad Sedem Apostolicam legitime devoluta existat, et ejus dispositio ex quavis causa ad ipsam Sedem specialiter, vel generaliter pertineat, deque illo Consistoriali disponi consueverit, seu debeat, et super eisdem regimine, et administratione inter aliquos lis, cujus statum praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo tempore Datae praesentium eidem Monasterio de Abbate provisum, aut illud alteri commendatum Canonice non existat, nomen, titulum, denominationem, essentiam, et insignia Abbatis, ac Dignitatis Abbatialis perpetuo supprimimus, et extinguimus, ipsumque Monasterium cum illi annexis, et membris, necnon Bonis, proprietatibus, juribus, privilegiis, exemptionibus, jurisdictionibus, et pertinentiis suis omnibus praedicto Collegio Graeco pro Rectoris, Administratorum, Scholasticorum, et Personarum illius ulteriori sustentatione, aliisque necessitatibus ejusdem supportandis, perpetuo unimus, annectimus, et incorporamus; Ita quod liceat eidem Rectori Monasterii annexorum membrorum, Bonorum, proprietatum, jurium, privilegiorum, exemptionum, jurisdictionum, et pertinentiarum omnium praefatorum corporalem possessionem per se, vel alium, seu alios propria auctoritate libere apprehendere, et perpetuo retinere, ac fructus, reditus, proventus, et alia praefata in communes ipsius Collegii usus, et utilitatem convertere, Curamque omnem tam conventualem, quam jurisdictionalem, ac etiam Parochialem, quaecumque sit, etiam per se, vel alium, seu alios gerere, et exercere Dioecesani Loci, seu Congregationis, vel etiam capitis, cui forsan Monasterium ipsum subest, vel cujusvis alterius licentia desuper minime requisita, districtius inhibentes quibuscumque locorum Ordinariis, necnon dicti Ordinis Procuratoribus, et aliis Abbatibus, Superioribus, Congregationibus, ceterisque in praedictis interesse quomodocumque habentibus, et habituris, ne Rectorem, Administratores, et Collegium praefatos audeant in praemissis quomodocumque impedire, aut desuper molestare. Ac decernentes praesentes litteras nullo tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis Nostrae, vel alio quocumque defectu notari, vel impugnari, aut in jus, seu controversiam ex quacumque causa, quantumvis justa, et rationabili revocari, seu ad terminos juris reduci posse, nec causam, seu causas propter quas unio, annexio, et incorporatio, ac alia praefata facta sunt coram eodem Ordinario, seu alio, vel aliis etiam Delegatis verificari debere, nec ob non verificationem, seu etiam ex eo, quod praefati Ordinis Superiores, ejusque Capitulum Generale, vel Provinciale, aut Congregatio, aut alii interesse habentes, nec vocati, nec ipsae ab illis examinatae, et approbatae fuerint, nec illi eisdem consenserint, aut quod in aliena consistant Dioecesi, vel propter alias similes, vel dissimiles uniones an-

nexiones, et incorporationes hujusmodi, et aliorum Monasteriorum, nec applicationes, aliasque concessiones dicto Collegio factas, aut alias per subreptionem obtentas praesumi, viribusque carere, sed nec Rectorem, Scholasticos, et Collegium praefatos ad verificandum praemissa, aut purificandum gratiam hujusmodi teneri; Et nihilominus illa, et praesentes litteras validas existere, eisdemque Collegio, Rectoribus, Ministris, et Scholaribus semper, et ubique suffragari, sicque per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales in quavis causa, et instantia, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, ubique judicari, et definiri debere, necnon irritum, et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quo circa Venerabilibus Fratribus Nostris Hostien., et Portuen., ac Militen. Episcopis per Apostolica scripta, motu simili, mandamus, ut ipsi vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque ubi, et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Rectoris, et aliorum praefatorum, seu alicujus eorum desuper fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate Nostra illa omnia inviolabiliter observari, ac eosdem Rectorem, Scholasticos, Collegium, et Personas, ceterosque omnes, quos illa concernunt unione, annexione, incorporatione, inhibitione, decreto, et aliis praemissis pacifice frui, gaudere, juxta earumdem praesentium continentiam, et tenorem, non permittentes quemque eorum per quoscumque desuper quomodolibet molestari, impediri, vel perturbari: Contradictores quoslibet, et Rebelles per censuras, et poenas Ecclesiasticas, ceteraque juris, et facti remedia opportuna, appellatione posposita, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras, et poenas ipsas etiam saepius, et quoties illis expediens videbitur, aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii Saecularis, non obstantibus priori voluntate Nostra, aliisque praemissis, ac fel. record. Bonifacii Papae VIII. Praedecessoris Nostri etiam de uno, et in Concilio Generali edita de duabus dietis, ac etiam Lateranensis Concilii, novissime celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, aliisque Apostolicis Constitutionibus, Conciliis universalibus, et disponentibus, quod Monasteria, et Beneficia unius Dioecesis Beneficio, seu Loco alterius uniri non possint, inter alia disponentibus, ac Monasterii Sanctissimae Trinitatis, et Ordinis praefatorum, eorumque Conventuum juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, et Consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, et litteris Apostolicis, illis, eorumque Procuratoribus, Abbatibus, Congregationibus, Superioribus, Definitoribus, Monachis, et

Personis per quoscumque Romanos Pontifices Praedecessores Nostros, ac Nos, et praefatam Sedem etiam per viam generalis Legis, et Statuti perpetui, ac initi, et stipulati contractus, seu quasi, et alias sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, necnon irritantibus, et aliis decretis etiam Imperatorum, Regum, et aliorum Principum intuitu, consideratione, instantia, vel ad eorum supplicationem, nec non motu, scientia, potestatisque plenitudine similibus, ac Consistorialiter, et alias quomodolibet, et ex quibusvis causis quotiescumque concessis, confirmatis, et innovatis, etiam suppressiones, et uniones hujusmodi ex quacumque causa pro tempore factas, omnino, aut nisi in eorum Capitulis Generalibus, et a Procuratoribus, Abbatibus, Definitoribus, et aliis eorum Commissariis prius examinatis, et approbatis specialiter, et expresse annullantibus, et alias in contrarium quomodolibet facientibus. Quibus omnibus, etiamsi pro eorum sufficienti derogatione alias de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, et individua, expressa, et ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si ad verbum nihil penitus omisso, et formam illis tradita observata inserti forent, ac etiamsi talia, et multa sint, quae sub clausulis generalibus implicitarum hujusmodi derogationum non veniant, sed specialibus indigeant expressionibus, nihilominus tam in genere, quam in specie ad effectum sufficientis derogationis eorum, adeo quod contraria quaecumque omnino sublata sint, praesentibus pro sufficientsr expressis, et insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus contrariis quibuscumque: Aut si Locorum Ordinariis, Abbatibus, Superioribus, et ceteris praefatis, vel quibusvis aliis communiter, aut divisim a praefata sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam, et expressam, ac ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem, ut propter unionem, annexionem, et incorporationem supradictas in Monasterio Sanctissimae Trinitatis praefato Divini cultus, ac solitus Monachorum, et Ministrorum numerus nullatenus minuatur, sed ejus, ac praefatorum ipsius Conventus congruae supportentur onera consueta. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, suppressionis, et extinctionis, unionis, annexionis, incorporationis, inhibitionis, decreti, mandati, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Tusculi Anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo primo, sextodecimo Kalen. Junii, Pontificatus

Nostri Anno nono = Monasterium praefatum eidem Collegio perpetuo univerat, ac unio praefata suam per plures annos debite, pacificeque sortita fuerat effectum; Collegium praefatum, seu illius pro tempore in illis partibus existentes Vicarii Abbatiales nuncupati, a tempore existentibus dicti Collegii Cardinalibus Protectoribus, et Defensoribus praefatis deputati, tamquam eorumdem Cardinalium praefati Collegii Protectorum, et Defensorum inibi Delegati pro eo, quod Monasterium praefatum, antequam illud eidem Collegio perpetuo, ut praefertur, uniretur Nullius Dioecesis Provinciae Rheginen. existere, illiusque pro tempore existentem Abbatem, seu perpetuum Commendatarium particulare, et separatum Territorium habere, ac jurisdictionem quasi Episcopalem in omnibus, et singulis Locis, Ecclesiis, Clero, et Populo eidem Monasterio subiectis exercere, ac Synodum convocare, et in ea Examinatores deputare, necnon concursus ad Parochiales Ecclesias eidem Monasterio similiter subjectas pro tempore vacantes indicere consuevisse praetendebatur, omnes, et singulos actus jurisdictionales praefatos post ejusdem Monasterii unionem eidem Collegio, ut praefertur, factam, competere praesumpserint, seu praetenderint, et tentaverint. Hincque multiplex semperque nova lis, et causa super praemissis in Romana Curia Nostra, et Venerabilium Fratrum Nostrorum ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Decretorum Concilii Tridentini Interpretum Congregatione, ac variis ejusdem Curiae Tribunalibus, coram certis eorumdem Tribunalium Judicibus competentibus, inter Collegium praefatum ex una, et pro tempore existentes Episcopum Militen., et Curiae Episcopalis Militen. Promotorem Fiscalem ex altera partibus orta, et diu agitata. Eaque nuper in vim commissionis alias, et usque de Anno Domini millesimo sexcentesimo quadragesimo quarto, seu alio veriori tempore pro parte bo. mem. Gregorii Pansani, tunc dum viveret Episcopi Militen. contra Collegium praefatum a tunc existentis Romani Pontificis Praedecessoris Nostri Signatura Gratiae desuper obtentae, Causarum Palatii Apostolici Auditorio commissa, et ad praesens coram dilecto Filio Magistro Alexandro Falconerio, uno ex ejusdem Palatii Auditoribus, et Cappellano Nostro inter Collegium praefatum ex una, et Venerabilem Fratrem Nostrum Dominicum Antonium Bernardini, modernum Episcopum Militen., ac modernum Curiae Episcopalis Militen. praefatae Promotorem Fiscalem ex altera partibus super praemissis prosequuta, et post plures ejusdem Auditorii ad Dominici Antonii Episcopi praefati favorem desuper emanatas decisiones expedita, ac per unum, per quod Dominico Antonio Episcopo praefato in possessione exercendi omnimodam ejus jurisdictionem Ordinariam in omnibus Locis, Ecclesiis, Clero, ac Populo praefatis, necnon alterum praefati Auditorii Decreta, per quod eidem Dominico Antonio Episcopo similiter in possessione convocandi Synodum, et indicendi concur-

sus in omnibus dicti Monasterii Locis, et Ecclesiis praefatis manutentio concessa fuit, necnon per ejusdem Auditorii definitivam Sententiam ab eodem Magistro Alexandro sub die tertia mensis Julii anni proxime praeteriti respective emanatam, et prolatam, per quam nullum jus exercendi jurisdictionem quasi Episcopalem in Locis, Ecclesiis, Clero, et Populo praefatis, minusque convocandi Synodum, et Concursus praefatos indicendi ejusdem Collegii Vicario prefato competiisse, nec competere declaratum extitit, ac alias, prout in Decretis, et Sententia praefatis, quae, et quam, ac quorum, et cujus totos integros tenores perinde ac si illi de verbo ad verbum nihil penitus omisso totaliter, integre, et plenarie hic expressi forent, praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius pariter accepimus contineri terminata. Postmodum vero pro parte dicti Collegii a Decretis, et Sententia praedictis ad Signaturam Nostram Gratiae reclamato, obtentoque Causam hujusmodi iterum eidem Auditorio cum clausula de Appellatione, quoad Sententiam = quo vero ad mandatum de manutenendo hujusmodi cum Clausula = Alteri cum facultate manutenendi, quem de jure committi suspensa fuerit, et praesens in secunda, seu alia veriori instantia pendeat indecisa: Nos Jesu Christi Domini Nostri, qui est Princeps Pacis, eamque venit mittere in Terram, exemplum humillime sectantes, Pacem illam, quam inter Personas Ecclesiasticas efflorere provida Sacrorum Canonum concupiscit Pietas, inter Personas ipsas praesertim Pontificali dignitate fulgentes, et Ecclesiasticae Disciplinae, Studiorumque Cultui addictas, Nostris praecipue temporibus, vigere sinceris desideramus affectibus, et dudum inter alia voluimus, quod petentes Beneficia Ecclesiastica aliis uniri tenerentur exprimere verum annuum valorem secundum communem extimationem fructuum, redituum, et proventuum, etiam Beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, semperque in unionibus commissio fieret ad Partes, vocatis quorum interesset, ipsumque Dominicum Antonium Episcopum a quibusvis suspensionis, et interdicti aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, et poenis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, motu proprio, non ad eorumdem Dominici Antonii Episcopi, ac Collegii, aut aliorum super hoc pro illorum Parte Nobis oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia, meraque deliberatione Nostris, ac de Apostolicae Potestatis plenitudine litem, et causam praefatas, omnesque differentias, et controversias super praemissis, et illorum occasione in quibusvis Tribunalibus inter Collegium, ac Vicarium, necnon Dominicum Antonium modernum Episcopum, et Praedecessores Episcopos Militen. praefataeque Curiae Episcopalis Militen. Promotorem Fiscalem praedictos, tam motas, et indecisas pendentes, quam ex nunc, et

imposterum quomodolibet, et sub quovis praetextu movendas, a quibusvis Tribunalibus praedictis, et Judicibus etiam Auditorio praedicto, ac dicta Congregatione praefatae Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Decretorum Concilii Tridentini Interpretum, coram quibus lites, controversiae, et differentiae hujusmodi super praemissis usque nunc motae, et agitatae fuerunt, in statu, et terminis, in quibus illae reperiuntur de praesenti, ad Nos advocamus, illasque omnes, et singulas extinguimus, ac Collegio illiusque Vicario, Ministris, et Officialibus, necnon Episcopo Militen., ac Promotori Fiscali nunc, et pro tempore existentibus, et quibusvis aliis super praemissis, et contra ea agere, dicere, et gerere audentibus, et praesumentibus, perpetuum silentium imponimus, et ut ex unione dicti Monasterii eidem Collegio, ut praefertur, facta, nova in dies jurgiorum oritura non sit occasio, et ne ea, quae ad Ecclesiasticae Disciplinae, Studiorumque Cultus utilitatem provide sancteque alias disposita fuisse dignoscuntur, in dispendiosam jurgiorum eorumdem convertantur alimoniam, unionem de dicto Monasterio a Gregorio Praedecessore praedicto eidem Collegio, ut praefertur, factam, et suum etiam, ut praefertur, effectum sortitam, firmis tamen remanentibus suppressione, et extinctione Nominis, tituli, denominationis, essentiae, et qualitatis, ac dignitatis Abbatialis ejusdem Monasterii, per eumdem Gregorium Praedecessorem in actu unionis praedictae, etiam, ut praefertur, factis, Apostolica Auctoritate dissolvimus, ipsumque Monasterium, cujus fructus, reditus, et proventus ad centum, et tresdecim florenos auri cum uno tertio alterius floreni similis in libris Camerae Apostolicae, ut etiam accepimus, ad praesens taxati reperiuntur, illiusque Bona mobilia sacra, et prophana, immobilia, semoventia, res, proprietates, Domos, Vineas, Praedia, Possessiones, Canones, Census, Responsiones, Actiones, necnon Loca, Castra, Villas, ac Jurisdictiones quascumque, tam spirituales, quam temporales, ac mixtas ubicumque, et in quacumque Dioecesi, et Provincia existentia, et ad dictum Monasterium quomodocumque, et qualitercumque spectantia, nec non quaecumque Privilegia, Indulta, Praeeminentias, praerogativas, et antelationes, ac Jus conferendi, tam simplicia, quam curam animarum annexam habentia Beneficia Ecclesiastica, necnon Parochiales Ecclesias Locorum, Castrorum, et Villarum hujusmodi Jurisdictionis, si quae sit, dicti Monasterii, quibus illius Abbates pro tempore existentes ante unionem praedictam quomodolibet gaudebant, et gaudere poterant, et post unionem praedictam dictum Collegium gavisum est, et gaudere potuit, ac gaudet de praesenti, a praedicto Collegio Apostolica Auctoritate praedicta perpetuo dismembramus, separamus, et abdicamus, illaque sic dismembrata, separata, et abdicata, illorumque fructus cum omnibus, et singulis dicti Monasterii juribus, privilegiis, antelationibus, ac Jurisdictionibus, si quae sint, eidem Mo-

nasterio quomodolibet competentibus , Mensae Episcopali Ecclesiae Militen.; Ita quod liceat praedicto Dominico Antonio moderno , et pro tempore existenti Episcopo Militen. per se , vel alium , seu alios Mensae Episcopalis hujusmodi nomine Monasterii illiusque Bonorum , Rerum , Proprietatum , Canonum , Censuum , Responsionum , Actionum , necnon Locorum , Castrorum , Villarum, Iurisdictionum , si quae sint , aliorumque omnium , et singulorum praedictorum Corporalem , Realem , et Actualem possessionem propria Auctoritate absque ullo cujusvis Judicis mandato libere apprehendere, et appraehensam perpetuo retinere , illorumque fructus , reditus , et proventus , non tamen Civiles , et naturales ex Grege Boum , et Pecodum , aliorumque Animalium , tam natorum , quam nasciturorum , qui omnes per totum Mensem Decembris proxime futurum tantum decurrendi, exceptis tamen iis , qui servari solent pro conservatione Gregis juxta morem Regionis , ac Olivarum , quae per totum praesentis Anni cursum maturandae , et usque ad perfectam earum recollectionem colligendae , eidem Collegio , libere , et plene cedant. Cum hoc tamen , quod Mensa Episcopalis hujusmodi locationibus ab ejusdem Collegii Ministris de Domibus, Praediis, aliisque Bonis ad dictum Monasterium spectantibus , usque nunc legitime factis , et earum respective temporibus duraturis , prout de jure stare debeat , et teneatur , nec ulteriores locationes hujusmodi absque ejusdem Mensae Episcopalis consensu usque ad praesentium expeditionem fieri queant , eisdem vero praesentibus expeditis Mensa Episcopalis praedicta , quidquid sibi desuper exinde placuerit , et videbitur , libere , et licite facere possit , et valeat , et in eventum , in quem dictum Collegium , seu illius Ministri , et Officiales praedicti pecunias , triticum , aliasque fruges , et segetes nomine dicti Collegii maturaverint , haec omnia in tempore suo , uti eidem Collegio debita, Collegio praedicto cedi , eique restitui debeant, necnon Pecudum , Boum , aliorumque Animalium , non tamen Equorum , aut Mulorum usui Ministrorum , et Officialium praedictorum addictorum capitalia , ac omnia instrumenta , stylia , aliaque , pro Cultu Bonorum , et Praediorum dicti Monasterii necessaria , et nunc in eis existentia , eidem Mensae Episcopali similiter cedi debeant. Eique Collegium praedictum Cruces , Thuribula , aliaque omnia , et singula Vasa Sacra Aurea , et Argentea dicti Monasterii , aliarumque Ecclesiarum dicto Monasterio subiectarum , et etiam nunc in eis existentia quaecumque , eidem Mensae Episcopali , Nostra ad id desuper sibi suffragante licentia , quam per praesentes eidem Collegio impartimur, tradere , et consignare debeat , et teneatur , ac sub annua Pensione, aut praestatione , perpetuis futuris temporibus duratura , mille trecentorum septuaginta unius Ducatorum auri de Camera , et Juliorum septem monetae cum dimidio alterius julii similis eidem Collegio super omnibus , et singulis ejusdem Mensae Episcopalis , illius-

que Bonorum, fructibus, reditibus, proventibus, juribus, obventionibus, et emolumentis universis, sub certis modo, et forma tunc expressis integre persolvenda, per alias nostras litteras motu pari reservata, constituta, et assignata, percipere, exigere, levare, ac in suos, et dictae Mensae Episcopalis usus, et utilitatem convertere, cujusvis consensu, seu licentia desuper minime requisita, supportatis tamen per Dominicum Antonium modernum, et pro tempore existentem Episcopum Militen. praefatos omnibus, et singulis dicti Monasterii oneribus Apostolica Auctoritate praefata etiam perpetuo unimus, annectimus, et incorporamus, ac respective applicamus, et appropriamus, necnon ejusdem Monasterii Jurisdictiones, ac omnia, et singula illius Jura, Privilegia, praeeminentias, et antelationes praefata cum ejusdem Mensae Episcopalis juribus, privilegiis, antelationibus, et praeeminentiis; Ita ut Monasterii praedicti Jurisdictiones, jura, Privilegia, antelationes, et praeeminentiae hujusmodi ejusdem Mensae Episcopalis Jurisdictiones, jura, Privilegia, antelationes, et praeeminentiae semper reputentur, et reputari debeant, et censeantur perinde ac si unio de dicto Monasterio, alias dicto Collegio a Gregorio Praedecessore praefato, ut praefertur, facta, eidem Mensae Episcopali tunc facta fuisset, confundimus, et in unum etiam redigimus, et plenarie incorporamus. Ac etiam, quatenus opus sit, dicti Monasterii Clerum, et Populum praefatos, illique subjectas Ecclesias hujusmodi, necnon illius Vassallos, et Subditos quoscumque eidem Mensae Episcopali, dictoque Dominico Antonio moderno, et pro tempore existenti Episcopo Militen. similiter perpetuo subjicimus, et subjectos etiam in illam pleno jure Dominii, et Ordinariae, ac omnimode Jurisdictionis, et Superioritatis plenarie, et totaliter transferimus, et translatos esse volumus. Decernentes easdem praesentes, etiam ex eo quod praemissa omnia, et singula extra Consistorium Nostrum Secretum, et absque Consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum praefatae Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium facta extiterit, aut ex quovis alio capite, vel praetextu, etiam quantumvis legitimo, et juridico, et privilegiato, ac speciali nota digno, et de necessitate juris, vel facti omnino exprimendo, de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio vel intentionis Nostrae, aut alio quocumque defectu notari, impugnari, aut adversus eas quodcumque juris, vel facti, aut Gratiae remedium, vel oris aperitionem impetrari, vel etiam motu pari concedi nunquam posse, sed eas semper validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac Mensae Episcopali Militen. praefatae dissolutionem, dismembrationem, unionem, et applicationem, aliaque praemissa illius favorem concernentia in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, perinde ac si dissolutio, dismembratio, unio, et applicatio praefatae in dicto Consistorio, ac de eorumdem Fratrum consilio factae fuissent, sicque, et non alias per quos-

cumque Judices Ordinarios, vel Delegatos, quavis Auctoritate fungentes, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, et ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos, Vicelegatos, et Sedis Apostolicae Nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet, qualibet aliter judicandi, interpretandi et facultate, et auctoritate, ubique judicari, interpretari, et definiri debere, necnon irritum, et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quo circa Venerabilibus Fratribus Nostris Neapolitan., et Rheginen. Archiepiscopis, ac dilecto Filio causarum Curiae Camerae Apostolicae Generali Auditori, motu simili, per Apostolica scripta mandamus, ut ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios easdem praesentes, et in eis contenta quecumque, ubi, et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Dominici Antonii moderni, ac pro tempore existentis Episcopi Militen. fuerint requisiti, solemniter publicantes, eique in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant Auctoritate Nostra illa omnia inviolabiliter observari, ac eumdem Dominicum Antonium modernum, et pro tempore existentem Episcopum Militen., ceterosque omnes, quos illa concernunt dissolutione, dismembratione, separatione, abdicatione, nova unione, applicatione, appropriatione, incorporatione, translatione, concessione, indulto, aliisque praemissis, pacifice frui, et gaudere, juxta earumdem praesentium continentiam, et tenorem, non permittentes quemque eorum per quoscumque desuper quomodolibet molestari, impediri, vel perturbari; contradictores quoslibet, et Rebelles per censuras, et poenas Ecclesiasticas, ceteraque juris, et facti remedia opportuna, appellatione posposita, compescendo, legitimisque super his habendis servatis Processibus, censuras, et poenas ipsas, etiam saepius, et quoties illis expediens videbitur, aggravando, et reaggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio Brachii Saecularis, non obstantibus, quatenus opus sit, Nostris, et Cancellariae Apostolicae regulis de exprimendo vero annuo valore in Beneficiorum Ecclesiasticorum dismembrationibus, unionibus, et applicationibus, ac Lateranen. Concilii novissime celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis, fieri prohibentis, aliisque Apostolicis etiam in Synodalibus, Provincialibus, et Universalibus Conciliis editis vel edendis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, et Ordinationibus, ac quatenus opus sit, etiam illa felicis recordationis Pii PP. IV. similiter Praedecessoris Nostri de Gratiis interesse Camerae Nostrae Apostolicae praefatae quomodolibet concernentibus, in eadem Camera infra certum tunc expressum tempus registrandis, et notificandis, necnon Ecclesiae Militen., et Camerae Apostolicae ac Monasterii, nec non Ordinis, et Collegii praefatorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, Privilegiis quoque, indultis, et litteris Apos-

tolicis Ordini praedicto illiusque Superioribus, et Personis per quoscumque Romanos Pontifices Praedecessores Nostros, ac Nos, et Sedem praefatam, etiam per viam generalis legis, et Statuti perpetui, ac initi, et stipulati contractus, seu quasi, ac alias sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis irritantibusque, et aliis Decretis quomodolibet, etiam motu, scientia, et Potestatis plenitudine similibus, etiam Consistorialiter, et alias quomodolibet, et ex quibusvis Causis quotiescumque concessis, confirmatis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma adhuc servanda foret, eorum tenores, ac, de verbo ad verbum, nihil paenitus omisso, et forma in illis tradita observata, et inserti forent, etiam si talia sint, quae sub clausulis generalibus implicitarum hujusmodi derogationum non veniant, sed specialibus indigeant expressionibus, nihilominus, tam in genere, quam in specie ad effectum sufficientis derogationis eorum, adeo quod contraria quaecumque omnino sublata remaneant praesentibus pro expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse, motu simili, derogamus, et derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod ratione unionis, et applicationis de Monasterio, illiusque fructibus, reditibus, et proventibus praefatis dictae Mensae Episcopali Militen. per Nos, ut supra factarum, Taxa ejusdem Ecclesiae Militen. in posterum sit Florenorum trecentorum decem, et trium cum uno tertio alterius Floreni similis, et in futuris ipsius Ecclesiae Militen. vacationibus reductio Taxae hujusmodi ratione dictae Pensionis, seu Praestationis super Mensae Episcopalis Militen. praefatae per Nos eidem Collegio, ut praefertur, perpetuo reservatae, seu assignatae fructibus, reditibus, et proventibus nullatenus praetendi possit. Quodque illi, de quorum Personis dictae Ecclesiae Militen. pro tempore provisum fuerit, nullam actionem contra dictum Collegium, pro reintegratione ratae dictam Pensionem, seu praestationem hujusmodi, ut praefertur, reservatam, seu assignatam tangentis, et ab eis solvendae habere valeant, sed Pensionem, seu praestationem hujusmodi, ut praefertur, reservatam, seu assignatam eidem Collegio integre, et absque ulla deductione, seu diminutione persolvere debeant, et teneantur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, motus proprii, litis, et Causarum avocationis, et extinctionis, silentii impositionis, dissolutionis, dismembrationis, separationis, abdicationis, novae unionis, applicationis,

appropriationis, incorporationis, confusionis, in unum redactionis, subjectionis, translationis, decreti, mandati, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo decimoseptimo, Idibus Augusti, Pontificatus Nostri Anno decimoseptimo.

I. C. Pelucchius.

Loco ✠ Plumbi.

Ex quibus quidem litteris ego Notarius publicus infrascriptus praesens hoc publicum transumpti Instrumentum confeci, signoque, et subscriptione munivi, ut illi stetur, firmiterque credatur, ac si litterae originales in medium ostensae forent. Actum Romae die, et anno quibus supra, praesentibus DD. Lottario Grifoni, et Carolo Antonio Sabatucci Testibus etc.

Praeinsertae litterae Apostolicae cum suo originali revisae concord. I. B. Riganti Officialis Deput.

I. Cardinalis Prodatarius.

Loco ✠ Sigilli.

Ita est Joseph A. Riccius Notarius Apostolicus.

Loco ✠ signi Notarii.

Grifonus, et Pelucchius.

Facultates significat, quas Vicario Apostolico Mogolis, Golgondae, et Idalcan concesserat, jubetque Archiepiscopum Goanum et cognoscere, et honorifice tractare eumdem Vicarium Apostolicum, et ab aliis cognoscendum, honorandumque curare.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Goano.

CLEMENS PAPA XI.

Venerabilis Frater, Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Expedire arbitramur, ut Fraternitati Tuae perspectae sint facultates, quas Vicario Apostolico in Regnis magni Mogolis, ut vocant, Golgondae, et Idalcan a Nobis constituto, et tam a Nobis, quam a Romanis Pontificibus Successoribus Nostris pro tempore constituendo, Pontificia Nostra auctoritate ad septennium tribuimus, ac deinceps singulo quoque septennio renovari decrevimus. Eidem ita-

que Vicario Apostolico benigne indulsimus, ut ad omnes etiam Sacros, et Presbyteratus Ordines promovere possit titulo Missionis quamcumque personam ceteroqui dignam, ac idoneam, tametsi alienae Dioecesis extiterit, et absque Dimissorialibus litteris proprii Ordinarii; ita tamen ut illa declarare, polliceri, fidemque suam interposito etiam Juramento, obstringere in primis debeat, quod quamvis in locis praedicti Vicarii Apostolici Jurisdictioni subjectis toto eo tempore, quod ad contrahendum domicilium ex Sacrorum Canonum norma requiritur, commorata non fuerit, nihilominus operam suam pendet, ac inserviet, quoad vixerit, illis Missionibus sub directione, atque omnimoda subjectione ejusdem nunc, et pro tempore existentis Vicarii Apostolici. Notum insuper, atque testatum Tibi esse volumus, Venerabilem Fratrem Mauritium a S. Theresia Ordinis olim Fratrum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo Excalceatorum nuncupatorum Professum, quem nunc in Oppido de Carvar degere intelleximus, suis ita exigentibus meritis, erectum a Nobis fuisse ad Episcopalem Dignitatem Cathedralis Ecclesiae Anastasiopolitanae, et Apostolicum in antedictis Regnis Vicarium deputatum. Quocirca Tuum erit non modo eumdem Mauritium ut Episcopum Anastasiopolitanum, et Vicarium Apostolicum cognoscere, ac honorifice tractare; verum etiam diligenter eniti, quemadmodum a Te petimus, ut ille ab aliis similiter agnoscatur, atque tractetur, adeoque ab aliis prorsus eximatur vexationibus et angustiis, quibus, ut non sine gravi animi Nostri molestia accepimus, indigne hactenus affectus fuit ob falsum rumorem ejus aemulorum fraude vulgatum, quod ipse nec Episcopali Dignitate, nec Vicarii Apostolici munere insignitus sit. Et Fraternitati Tuae Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae etc. die 5. Octobris 1717.

F. Card. Oliverius.

Legationem missurus in Sinas gratias agit Imperatori, quod Christianae Legis praedicationi non adversetur, et in Apostolicos Missionarios se benevole gerat, eique caelestis Gratiae lumen adprecatur.

Illustri, ac Potentissimo utriusque Tartariae et Sinarum Imperatori.

CLEMENS PAPA XI.

Illustris ac Potentissime Imperator, Salutem, et lumen Divinae Gratiae.

Etsi nunc maxime toti simus in adornanda splendida Legatione

Praesulis multiplicium virtutum fulgori conspicui, quem plurium egregiorum, ac praesertim non vulgari bonarum artium, et scientiarum peritia excellentium virorum comitatu septum, in primis autem iis a Nobis instructum mandatis, quae nonnisi admodum grata accidere Tibi poterunt, quamprimum ad Te mittere decrevimus. Cum tamen merito vereamur, ne ille ob longissimi itineris discrimina, aliaque impedimenta, quae hujusmodi expeditionibus sese interponere non raro consueverunt, serius quam profecto cuperemus, ad Te perveniat; illius adventum hisce Nostris litteris, quae breviori via ad Te perferrentur, antevertendum existimavimus. Susceptum igitur a Nobis consilium Tibi in praesens ea mente significamus, ut in eo perspectum, testatumque habeas in dies magis, quanti faciamus eximia Tua decora, animi praesertim magnitudinem, aequitatem, sapientiam, et prudentiam singularem, quae summis laudibus ubique, et apud Nos potissimum celebrantur. Illud autem prae ceteris voluntatem Tibi Nostram arctissimis vinculis obstringit, quod in amplissimo Imperio Tuo Christianae Legis praedicationi favere pergas, et Apostolicis Missionariis propenso, constantique animo suffrageris. Qua ratione plurimas humanitati Tuae gratias agimus, et sicuti pro certo habere Te cupimus Nos, quantum quidem situm in Nobis erit, nihil unquam praetermissuros esse, quod ad praevalidum Tuum, ac tantopere necessarium patrocinium illis uberius etiam conciliandum pertinere posse videatur; ita interim Nostras cum eorumdem Missionariorum piis supplicationibus preces conjungere non desinemus, ut Divina Clementia diuturnam incolumitatem, et fausta secundaque omnia Tibi largiri dignetur. Haec vota, quae intimo cordis affectu pro Te concipimus, fusius etiam Tibi explicari mandamus per Religiosos viros Missionarios Apostolicos, qui praesentes Nostras litteras Tibi reddent, quas non minus ob eas, quibus ornantur, animi dotes, quam uti Nostri ad Te mox mittendi Legati praecursores, ut benigne excipere, ac libenter audire velis, a Te petimus. Quod superest, Deum Optimum Maximum, qui dat Salutem Regibus, enixe precamur, ut caelestis Suae Gratiae lumine Te perfundat, et ad eam clementer advocet semitam, unde Sedes paratur in aeternae beatitudinis Principatus.

Datum Romae etc. die 30. Januarii 1719.

Carolum Ambrosium Patriarcham Alexandrinum Visitatorem, et Legatum in Sinas, Indos, et Insulas missurus, Episcopo Pekini commendat, ut honorifice excipiat, ut Sinarum Imperatori Pontificiae benevolentiae, et extimationis argumenta adaperiat, ab eoque patrocinium pro re Catholica obtineat, et observandam super Ritibus Sinensibus curet Constitutionem.

Venerabili Fratri Bernardino Episcopo Pekinensi.

CLEMENS PAPA XI.

Venerabilis Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Gratum Fraternitati Tuae plurimum fore confidimus, quod Nos post imploratum diuturnis, accuratisque precibus caelestis Gratiae lumen, executi tandem fuerimus consilium jampridem a Nobis initum, generalem Visitatorum Apostolicum istas in partes iterum ablegandi; cum pro singulari Tuo Christianae Religionis Catholicaeque Fidei propagandae zelo quam enixe id hactenus exoptaveris, et adhuc exoptes, probe compertum habeamus. Commissimus hoc munus Venerabili Fratri Carolo Ambrosio Patriarchae Alexandrino, viro sane multiplicibus tum generis, tum animi ornamentis instructo, sed pietate potissimum, doctrina, integritate, ac prudentia commendato; Eique facultates etiam Nostri, et hujus Sanctae Sedis de Latere Legati in Sinarum aliisque Indiarum Orientalium Regnis, et Insulis amplissime contulimus. Illum propterea a Fraternitate Tua non modo praecipuis charitatis officiis, sed etiam debitis Personae, quam gerit, honores obsequii, ac Reverentiae significationibus excipiendum esse non dubitamus. In hujusmodi autem explicatione illud in primis propositum Nobis fuit, ut Sinarum Imperatori per ea, quae ipsi Nostro nomine exponet idem Visitator, praeclara undique, ac sane loculentiora, quae possumus Pontificiae Nostrae in eum existimationis et benevolentiae argumenta praebeamus, adeoque promereri valeamus, ut ille vicissim Missiones istas ea ipsa in posterum animi benignitate prosequi pergat, qua illas ante favere ac juvare consueverat; ubi vero ob ea, quae praeteritis annis contigerunt, pristinum suum erga Evangelicos Operarios studium aliquanto remiserit, illud intuitu Nostro plene redintegrare, ac firmius instaurare dignetur; quatenus iidem Operarii omnimoda ut prius praedicandae Christianae legis libertate potiri, suoque palam officio perfungi possint; nec tamen interea Constitutionem, quam super Ritibus, seu Caeremoniis Sinensibus ante quatuor annos edidimus, inconcusse observare, quemadmodum et ab aliis quibusvis eamdem Christianam legem isthic

profitentibus accurate praestandum erit, ullatenus prohibeantur. Praeter hanc praecipuam memorato Patriarchae Visitatori a Nobis injunctam curam, ac praeter alios omnes, quae gravissimum ei impositum Ministerium necessario consequentur, illud itidem impense majoremque in modum ipsi commendavimus; ut omni adhibito studio, ac ope inter istos Apostolicos Missionarios omnino restitui, ac stabiliri satagat Spiritum illum pacis et fraternae concordiae, qui eorum vocationi maxime congruit, quemque Nos sane non parum in eis deferbuisse summopere doluimus, cum ex hac potissimum origine, quaecumque evenerunt Missionis Sinicae detrimenta, infeliciter prodiisse haud obscure cognovimus. Hunc profecto in scopum eidem Visitatori ea omnia monita tradere non omisimus, quae suscepto a Nobis consilio conducere posse putavimus. Verum cum probe sciamus alia non minus utilia illi suppeditari a Te posse, ob diuturnum, quo polles, rerum istarum partium usum, Te id libenti animo facturum esse confidimus, utque reipsa, et cumulate id facias, etiam, atque etiam a Te postulamus. Quod superest, Deum optimum Maximum enixe praecamur, ut ad Ecclesiae Tuae bonum, felicioraque Apostolicae Missionis incrementa, vegetam, atque longaevam incolumitatem largiri dignetur Fraternitati Tuae: Cui Nos interim Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae die 30. Septembris 1719.

Visitatorem Apostolicum, et Legatum a latere se missurum praenunciat in Indos, Insulas, et Sinas, ut Imperatori Pontificiae dilectionis sensus aperiat, ab eoque protectionem et libertatem Religionis Catholicae obtineat, ut concordiae spiritum in Apostolicis Missionariis iterum excitet, et Decreta super Ritibus Malabaricis curet opere complenda.

Venerabili Fratri Claudio Episcopo Claudiopolitano Vicario Apostolico Provinciae Queicheu, et Administratori Provinciali Huguang in Sinis.

CLEMENS PAPA XI.

Venerabilis Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Compertum usquequaque habentes eximium Fraternitatis Tuae zelum, quem prae ceteris piae memoriae Cardinalis de Tournon non semel praecipuis laudibus apud Nos extulit, magnopere Tibi gratum fore non dubitamus, quod implorato prius enixis precibus caelestis

Gratiae lumine, atque praesidio, tandem executioni demandaverimus susceptum iamdudum a Nobis consilium Generalem Visitatorem Apostolicum in Sinas iterum ablegandi, ut per eum loculentam Pontificiae Nostrae benevolentiae ac existimationis significationem Sinensi Imperatori praebeamus, simulque curemus, ut ipse vicissim Missiones illas eadem deinceps animi humanitate respicere pergat, qua eas ante fovere, ac juvare consueverat, quatenus Evangelici Operarii omnimoda, ut prius, praedicandae sanctae Legis libertate potiri, suoque palam officio perfungi valeant; nec tamen interea Constitutionem, quam super Ritibus, seu Caeremoniis Sinensibus ante quatuor annos promulgavimus, inconcusse observare, quod, et ab aliis quibusvis Christianam Religionem illic profitentibus accurate praestandum erit, ullatenus prohibeantur. Hoc itaque Generalis Visitatoris Apostolici munus cum amplissimis facultatibus, etiam Nostri, et hujus Sanctae Sedis de latere Legati, in Sinarum, aliisque Indiarum Orientalium Regnis, et Insulis demandavimus Venerabili Fratri Carolo Ambrosio Patriarchae Alexandrino, cui non vulgaria generis animique ornamenta, sed perspecta in primis pietas cum singulari prudentia, doctrina, atque integritate conjuncta Paternam Nostram charitatem, et existimationem summopere conciliarunt. Illud etiam praeter antedicta mandata, et alias omnes curas, quae gravissimum eidem Patriarchae Visitatori a Nobis commissum ministerium necessario consequentur, ipsi quam enixe commendavimus, ut omni adhibito conatu inter illos Apostolicos Missionarios restitui, atque firmari studeat spiritum illum pacis, et fraternae concordiae, qui eorum vocationi maxime convenit, quemque Nos non sine maximo animi Nostri dolore plurimum in eis deferbuisse novimus, et ex hac potissimum origine quaecumque evenerunt Missionis Sinicae detrimenta, infeliciter prodiisse haud obscure conjecimus. Minime porro dubitamus, quin praefatus Patriarcha Visitator voluntatem Nostram, suique muneris partes fideliter, et sedulo impleturus sit: Verumtamen cum probe intelligamus quam salubria monita, atque consilia hunc ipsum in scopum illi tradi a Te possint, ob spectatam virtutem, prudentiamque Tuam, tum etiam ab diuturnum, quo polles, rerum Sinicarum usum, ut reipsa, et cumulate id facias, verbo quidem, ubi praedicto Patriarchae Visitatori isthuc appellere datum sit, sin minus scripto, etiam atque etiam a Te flagitamus. Praeterea cum Nobis innotuerit Te alias, ac potissimum, dum in Sinarum Imperio versabaris, jussu memorati Cardinalis de Tournon, nonnullos scripsisse egregios tractatus, sive opuscula de moribus, legibus ac Ritibus Sinensibus, quae maxime conducere posse audivimus demonstrandae soliditati illarum rationum, quibus ea, quae in supradicta Constitutione sancivimus, innituntur; summopere cupimus, ut eadem opuscula integra, elegantiori, quo in istis partibus fieri poterit, charactere conscripta, et a Te subsignata, ad Nos

quamprimum mittantur, atque hoc ipsum nunc quam enixe a Fraternitate Tua petimus, cujus propterea erit, satagere ut eadem opuscula tutiori, ac simul expeditiori via ad Nos perferantur, quemadmodum vicissim Nostrum erit curare, ut quidquid a Te in hanc causam impendendum erit, Tibi primo quoque tempore subministretur. Demum cum Nobis plurimum cordi sit, ut Decreta super Ritibus Malabaricis a praedicto Cardinale de Tournon edita, prout alias mandavimus, ab omnibus observentur, donec ab hac Sancta Sede de iis aliter statutum fuerit; iniungimus Tibi, ut quantum in Te situm erit, eorumdem Decretorum executionem diligenter promoveas, zelumque Tuum hac etiam in parte testatum facere non praetermittas. Quod superest, retributorem bonorum operum, Deum impense rogamus, ut pios Tuos labores solida in utroque homine felicitate compensare, et ad Catholicae Fidei propagationem diu incolumen, ac vegetam conservare dignetur Fraternitatem Tuam, cui Nos Pontificiae charitatis Pignus, Apostolicam interim benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae etc. die 30. Septembris 1719.

Mala, damna, ruinas enumerat, quas in Provincia Georgiae degentes Catholici passi sunt, persecutorum punitionem poscit, Catholicos Suo patrocinio commendat, petitque, ne iterum eos exagitari per tantas patiatur injurias.

Illustri, ac Potentissimo Regi Persarum.

CLEMENS PAPA XI.

Illustris, ac Potentissime Rex, Salutem, et lumen Divinae Gratiae.

Omnem Verborum explicationem supergreditur animi sollicitudo, atque molestia Nobis injecta, ubi ex litteris istarum partium nuper audivimus injurias, contumelias, et gravissima detrimenta, quae Armeni Catholici Teflis in Provincia Georgiae, eorumque spiritualibus necessitatibus opitulantes Religiosi viri Missionarii ex Ordine Fratrum Minorum Sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum, qui Celsitudinis Tuae permissu inibi commorantur, non ita pridem subire compulsi fuerunt. Pessime siquidem, ut intelleximus, habiti, fustibus caesi, lethaliter sauciati, exuti bonis, omnique alio calamitatis genere afflicti sunt. Praeterea domus Missionariorum expilata, barbarumque in morem cum aliqua Ecclesiae parte funditus eversa, et solo aequata fuit. Haec autem omnia, ut pariter acce-

pimus, contigerunt nefaria potissimum instigatione, ac dolo schismatici Patriarchae Armeni de Ecrmiarim, et cujusdam Minas Vartabiet, implacabilium Orthodoxae Religionis hostium, qui ad exitium eorumdem Armenorum Catholicorum et Missionariorum ea animi acerbitate conspirarunt, ut illorum impetum, atque furorem cohibere nequidem potuerit Princeps loci, quamvis facinoris indignitate commotus ipsis, quoad licuit, obniti non praetermiserit. Pastoralis itaque officii Nostri impellente debito, Celsitudinem Tuam impense rogamus, ac obtestamur, ut omnes, quotquot fuerunt, dirae hujus persecutionis auctores, vel participes, praesertim vero memoratos Patriarcham et Vartabiet, insigni aliqua animadversione coercere mandet, ac insuper curet omnia per eos quantocius sarciri damna, quae tum Missionarii, tum etiam alii Catholici praedicti immerito passi fuerunt. Illud autem in primis diligenter a Te petimus, ut Missionariorum Domum et Ecclesiam instaurari quamprimum jubeas: Nam cum haec aliud non sint, quam domicilia quaedam pietatis, et sedes, atque refugium Fidelium assidue orantium Deum Optimum Maximum pro temporum felicitate, ac pro incolumitate Principum, quorum beneficio constabilitae sunt, Regio Tuo patrocinio destitui nequaquam debent. Illud insuper a Te etiam, atque etiam flagitamus, ut Missionarios et Catholicos omnes Tua in Ditione degentes, quam maxime commendatos habeas, eorumque rationibus, ope, praesidioque Tuo ita suffrageris, ut deinceps a Schismaticis amplius exagitari, atque vexari non possint; sed ea tranquillitate, liberoque Catholicae Religionis exercitio potiantur, quo Te Rege, Tuisque etiam Majoribus benigne annuentibus, hucusque potiti sunt. Majori tandem, quo possumus, animi studio a Celsitudine Tua postulamus, ut privilegia omnia, quae inclyti Progenitores Tui praefatis Catholicis et Missionariis clementer indulserunt, rata habere velis, ac in primis eos eximas, et prorsus liberes a gravissima vexatione, quam modo patiuntur ab exactoribus Tuis ob insueta quaedam, ac eorum vires excedentia tributa, jubeasque ab ipsis illud dumtaxat tributum exigi, quod retroactis temporibus juxta vires persolvere consueverunt. Erit id non tam animi Tui aequitate, ac magnitudine apprime dignum, quam Nobis longe gratissimum, qui vicissim, oblata occasione obsecundandi votis Tuis mutuam propensamque voluntatem erga Te Nostram palam explicare non ommittemus, ac interim Misericordiarum Patrem, bonorum omnium Auctorem, enixe precamur, ut Celsitudinem Tuam diu sospitem, omnique felicitate florentem conservet, et quod caput est, in viam verae, aeternaeque Salutis caelesti suo lumine perducere dignetur.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 3. Januarii 1719. Pontificatus Nostri Anno decimonono.

Cum Armenis Catholicis, et Latinis Missionariis in Georgia commorantibus injuria gravis esset illata, pro ejus reparatione, pro auctorum punitione, pro Catholicorum libertate, et tranquillitate contendit.

Illustri, ac Potentissimo Regi Persarum.

CLEMENS PAPA XI.

Illustris, ac Potentissime Rex, Salutem, et lumen Divinae Gratiae.

Praeter modum solliciti, ut ad Celsitudinem Tuam tuto perferantur litterae, quas die tertia mox elapsi mensis Januarii in simili forma Brevis Tibi perscripsimus, consilium coepimus eas dirigendi ad Venerabilem Fratrem Barnabam Episcopum Aspahamensem, a quo illae Tibi reddentur. Hunc ipsum in scopum mittimus etiam eidem Praesuli tres alias epistolas, quarum primam Charissimus in Christo Filius Noster Carolus in Romanorum Imperatorem electus, secundam Dilecti Filii Nobiles Viri Dux, et Respublica Venetiarum, ac tertiam Dilectus itidem Filius Nobilis Vir Cosmus Etruriae sibi subjectae Magnus Dux, eorum impellente pietate, Tibi conscribendas duxerunt. Ex omnibus praefatis litteris abunde cognosces quantopere non Nobis tantum, verum etiam sublimibus Christianae Reipublicae Principibus cordi sit, ut illata nuper Armenis Catholicis, ac Religiosis viris Missionariis ex Ordine Fratrum Minorum S. Francisci Cappuccinorum nuncupatorum, Teflis in Provincia Georgiae commorantibus, gravissima injuria sarciatur, ejus auctores, nimirum Schismaticus Patriarcha Armenus de Eczmiarin, et quidam Minas Vartabiet, congrua animadversione plectantur; ac tandem iidem Armeni Catholici, et Missionarii Clementiae Tuae patrocinio ita gaudeant, ut nulla de cetero contumelia a quoquam violari possint, et qua par est libertate, ac tranquillitate potiantur. Id porro ubi praestare digneris, quemadmodum Nos iterum a Te vehementer postulamus, ac de perspecta animi Tui aequitate, et magnitudine Nobis etiam certo pollicemur, rem sane facies Nobis, ac memoratis Principibus summopere acceptam, communemque Nostram voluntatem Tibi majorem in modum obstringes. Quod superest, Te impense rogamus, ut praedicto Barnabae Episcopo his de rebus disserenti pronas, benignasque aures praebere velis, dum Nos Divinam bonitatem enixis votis obsecrare non desinemus, ut Celsitudinem Tuam diu incolumem servet, omnique felicitate florentem.

Datum Romae etc. die 18. Februarii 1719. etc.

Patriarcham Alexandrinum Carolum Ambrosium in Indos, Insulas, et Sinas Legatum a latere proficiscentem commendat, petitque ut honorifice excipiat, pareat, curetque ut honoretur ab aliis. Jubet partium studia aboleri, dissidia tolli, de Ritibus Sinensibus editam Constitutionem observari. Sin iis efficiendis sit paratus, et sibi, et Societati erit futurus detrimento.

Dilecto Filio Religioso viro Joanni Laureati Societatis Jesu, Visitatori in Imperio Sinarum.

CLEMENS PAPA XI.

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Etsi minime vereamur, Te alacri, et obsequenti, ut par est, animo obtemperaturum esse, ac insuper strenue curaturum, ut ab aliis etiam Instituti Tui Professoribus obtemperaretur iis, quae Dilectus Filius Angelus Tamburinus Societatis Jesu Praepositus Generalis die 25. labentis mensis Februarii datis litteris Tibi jussu Nostro praescripsit, ac injunxit, occasione expeditionis Venerabilis Fratris Caroli Ambrosii Patriarchae Alexandrini, quem Generalem Visitatorem Apostolicum cum amplissimis facultatibus, etiam Nostri, et hujus S. Sedis in Sinarum aliisque Indiarum Orientalium Regnis, et Insulis de latere Legati constituimus, et isthuc in praesens allegamus. Ejus tamen momenti res est, de qua agitur, et instantia Nostra quotidiana, Pastorali scilicet omnium Ecclesiarum sollicitudine urgente, tantopere cupimus ejusmodi expeditionem bene, ac feliciter evenire, ut hunc ipsum in scopum, Te, quamvis forsan egregie currentem, Pontificiis Nostris monitis, atque mandatis, veluti acrioribus stimulis incitare supervacaneum non arbitramur. Petimus itaque, et quam enixe a Te flagitamus, Tibique praeterea districte praecipimus, atque mandamus, ut memorato Patriarchae Alexandrino debitam obedientiam in omnibus, quae ab eo praescripta fuerint, exhibeas, et ab aliis quoque, quantum in Te situm erit, exhiberi satagas, conjunctisque cum ipso studiis, impense cures, ut Constitutio de *Ritibus*, et *Caeremoniis Sinensibus* ante quatuor annos a Nobis edita, isthic ab universis Christianae Legis Professoribus, ac potissimum ab Evangelicis Operariis inconcusse observetur: nec tamen propterea eorum quidquam, SSm̃i Pontificis Silverii exemplo, officium suum dimittat. Contentiones insuper, et dissidia inter Missionarios exorta, sedentur; optata tamdiu, ac istis Missionibus adeo necessaria pax, et tranquillitas restituatur: ac demum uno ore, et unanimi sententia a vobis omnibus honorificetur

Deus, et Pater Domini Nostri Jesu Christi. Quod si praestiteritis, quemadmodum Te sedulo praestiturum esse, zelus, pietas, atque filialis erga Nos, et Sanctam hanc Sedem devotio Nobis omnino pollicentur, non modo rem gratissimam Nobis facies, sed etiam Societatis laudes, ac merita apud Deum, et homines summopere cumulabis. Ubi vero secus acciderit, Nos etsi nolentes, ac prorsus inviti, iis uti durioribus remediis cogeremur, quae Tibi, ac universae Societati molestiam simul, et detrimentum longe gravissimum afferrent, qua tamen necessitate Nos ad prudentiam Tuam eximendos fore confidimus; et hac freti spe, Tibi, Dilecte Fili, Apostolicam benedictionem amanter impertimur.

Datum Romae etc. die 24. Februarii 1720. etc.

Maronitarum gens, quod constantem erga Romanam Ecclesiam devotionem professa fuerit, et nunquam se variis doctrinis circumferri sit passa, eximia laude commendatur. Quod vero dissidia, et contentiones sunt nuper excitatae, dolere non desinit. Ut pacis ineant consilia, Clerum, Magnates, Populumque exhortatur, ne scandalum ceterae gentes, ipsique infideles patiantur. Quod ut facilius assequatur, Gabrielem Eva Monachum omni virtute commendatum ablegat.

Venerabilibus Fratribus Petro Jacobo Patriarchae, Archiepiscopis, et Episcopis, nec non Dilectis Filiis Clero Saeculari, et Regulari, Principibus, ac Universis Christifidelibus Nationis Maronitarum ad Montem Libanum.

CLEMENS PAPA XI.

Venerabiles Fratres, et Dilecti Filii, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Etsi quotquot sunt in universo terrarum Orbe Nationes nulla locorum distantia a Pontificia sollicitudine disjungat, ac Nos pro Apostolici muneris Nostri debito ea assidue meditemur consilia, per quae cunctorum Christifidelium tranquillo, et prospero statui, animarumque saluti opportune consulatur: propensiori tamen quodam Paternae charitatis affectu respicimus, omnique felicitate florere majorem in modum optamus Nationem vestram, quae pluribus sane rationibus commendatissima Nobis est; sed ea in primis, quod cum perenni sui Nominis gloria veram ac solidam pietatem semper egregie coluerit, et monitum Apostoli nunquam in fide fluctuans, nec circumferri se sinens omni vento doctrinae in nequitia hominum,

antiquissimas, atque sanctissimas Catholicae Ecclesiae leges et dogmata a majoribus tradita, servare perpetuo studuerit incorrupta, ac in media Barbarorum Tyrannide constantem erga Sacrosanctam hanc Romanam Ecclesiam, ceterarum omnium Ecclesiarum Matrem, et Magistram, atque Romanos Pontifices Praedecessores Nostros devotionem, et studium plane eximium omni tempore professa fuerit.

Hinc porro, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, satis intelligetis quam gravi, ac prorsus acerba animi molestia correpti fuerimus, ubi non ita pridem ex Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum scissuras, contentiones, et dissidia inter vos excitata, ac nisi cito extinguantur, in magnam universae Nationis, et Orthodoxae potissimum Religionis perniciem eruptura, cognovimus. Pastoralis itaque officii Nostri, tum etiam praecipue, qua Vos in Domino prosequimur, dilectionis esse duximus Vos hortari, ac obtestari, quemadmodum in praesens, quo majori possumus Paterni cordis Nostri fervore, Vos hortamur ac obtestamur, ut iis, quae inimicus homo superseminavit, zizaniis e medio sublatis, pacis inire consilia, et pristinare inter Vos concordiam, ac sinceram animorum, et voluntatum consensionem redintegrare, atque fovere velitis, omnique adhibito studio curetis, ut offensioni, et scandalo, quo ceterae Nationes, ac ipsimet Infideles ex ejusmodi dissidiis Vestris facile commoti fuerint, quin etiam gravissimis detrimentis, quae inde rationibus Vestris afferri possent, quamprimum nullaque interjecta mora occurratur.

Hunc autem in scopum ad Vos ablegandum existimavimus Dilectum Filium Religiosum Virum Gabrielem Eva Monachum Congregationis Reformatae Sancti Antonii Abbatis expresse Professum, zelo, pietate, et prudentia instructum, morum ac institutorum Nationis Vestrae probe conscium, Nobisque apprime acceptum, et commendatum, qui Apostolicam Nostram benedictionem Vobis deferet, et quam impense cupiamus, ut in Domo Domini ambuletis cum consensu, diserte Vobis ac luculenter exponet.

Vestrae igitur humanitatis erit eumdem Religiosum Virum Ablegatum Nostrum congruis honoris, ac benevolentiae significationibus excipere, ejusque Verbis pronas aures, ac plenam adhibere fidem; dum Nos interim Deum Optimum Maximum, a quo sancta desideria, recta consilia, et justa sunt opera, humiliter obsecrare non desinemus, ut effundat super Vos misericordiam Suam, mentesque Vestras caelestis Suae Gratiae donis illustret, quatenus ad ejus justitiam faciendam, publicamque tranquillitatem Vobis tantopere necessariam conciliandam, Vestra procedant eloquia, nec non cogitationes, et opera dirigantur.

Id equidem Nos de veteri perspectaque pietate Vestra, Nobis polliciemur: id ipsum de singulari studio, quo Divinae gloriae cultum,

publicumque Nationis Vestrae bonum promovere consuevistis, haud dubie expectandum arbitramur; eaque freti spe ex visceribus Paternae Nostrae charitatis depromptam Apostolicam benedictionem Vobis, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 29. Januarii 1721. Pontificatus Nostri anno XXI.

Joannes Christophorus Archiepiscopus Amasenus.

Ut concordiae consilia Maronitica Natio suscipiat, Monachus Gabriel Eva non sine privilegiis ablegatur.

Dilecto Filio Gabrieli Eva Abbati S. Maurae Congregationis Reformatae Ordinis S. Antonii Professori.

CLEMENS PAPA XI.

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Ex Romani Pontificis beneficentia provenire dignum est, ut qui erga illum devotionis, et obsequii signa demonstrant, iidem ab ipso Romano Pontifice honoribus et gratiis decorentur. Cum itaque Nos nuper Te ad Venerabiles Fratres Petrum Jacobum Patriarcham, Archiepiscopos, Episcopos, necnon Dilectos Filios Clerum Saecularem, et Regularem, Principes, ac Christifideles Nationis Maronitarum inter se dissidentes, ut eos Nostro nomine ad Christianae concordiae consilia, juxta instructionem Tibi a Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Congregationis Propagandae Fidei praepositis datam, adhortari, atque adducere studeas, ablegandum duxerimus; Idcirco quo delato Tibi per Nos Ablegati hujusmodi munere ad Nostrum, et Sedis Apostolicae honorem fungi valeas, Tibi ut decem Viros ejusdem Nationis Nobiles, et idoneos, ac qualitatibus ad hoc requisitis praeditos, auratae Militiae Equites auctoritate Nostra Apostolica faciendi et creandi, illorumque quemlibet aliorum Militiae hujusmodi Equitum numero, et consortio favorabiliter aggregandi, ac eisdem ut torquem aureum, et aurata calcaria gestare, omnibusque privilegiis, gratiis, indultis, et praerogativis, quibus alii Equites hujusmodi de jure, usu, vel consuetudine uti, potiri, et gaudere solent, et possunt, ac poterunt in futurum; similiter uti, frui, et gaudere possint, et valeant (citra tamen exemptiones a Concilio Tridentino sublatas) concedendi facultatem, eadem auctoritate, tenore praesentium concedimus, et impertimur. Non obstan. Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 1. Februarii 1721. Pont. Nostri Anno XXI.

F. Card. Oliverius.

Gabriel Eva dissidentes Maronitas concordiae restituturus Ablegatus immittitur, cujus erit censuris irritatos absolvere, Sedi suae Patriarcham restituere, ab Irregularitate dispensare, et concordiam referre.

Dilecto Filio Gabrieli Eva Abbati S. Maurae Congregationis Reformatae Ordinis S. Antonii Professori.

CLEMENS PAPA XI.

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Cum sicut accipimus, occasione Decreti a Congreg. Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum die 8. Maii 1713. emanati, et per Nos approbati super confirmationem Sententiae pro reintegratione Venerabilis Fratris Petri Jacobi Patriarchae Maronitarum ad ejusmodi Patriarchatum, a quo per aliquot ejusdem Nationis Episcopos, aliosque eis adhaerentes depositus fuerat, a Dilecto Filio Laurentio a Sancto Laurentio Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum Professo, tamquam Delegato, et Commissario Apostolico editae; nonnulli fortasse Christifideles illarum partium, censuris et poenis Ecclesiasticis in memorato Decreto adversus inobedientes inflictis et contentis, quarum absolutio Nobis, et huic Sanctae Sedi specialiter reservata fuerat, irretiti remanserint: Nos ejusdem Nationis paci, dictorumque Christifidelium conscientiae tranquillitati Paterna charitate consulere volentes, de praedictae Congregationis Cardinalium consilio, Tibi, quem ad eundem Petrum Jacobum Patriarcham, ac Venerabiles etiam Fratres Archiepiscopos, Episcopos, necnon Dilectos Filios Clerum Saecularem, et Regularem, Principes, ac Christifideles dictae Nationis inter se dissidentes, ut eos nostro Nomine ad Christianae concordiae consilia, juxta instructionem Tibi a praedictis Cardinalibus datam, adhortari, atque adducere studeas, ablegandum duximus; omnes, et singulos Christifideles, cujuscumque gradus, et conditionis extiterint, tam Saeculares quam cujusvis Ordinis, et Instituti Regulares in illis partibus commorantes, qui censuras, et poenas Ecclesiasticas praedictas quomodolibet incurrerunt, a censuris, et poenis hujusmodi, imposita eis pro praemissis arbitrio Tuo aliqua poenitentia salutari, et aliis, quae de jure

fuerint injungenda injunctis, in utroque foro, etiam secreto, et absque ulla sollemnitate absolvendi et totaliter liberandi, dictasque poenas eis, et eorum cuilibet gratiose remittendi, et condonandi, ac cum illis, qui Clerici, seu etiam Presbyteri fuerint, super Irregularitate per eos, quia censuris hujusmodi propter eadem praemissa innodati, Missas, seu alia Divina Officia (non tamen in contemptum clavium) celebrarunt, seu alias in suis ordinibus ministrarunt, quovis modo contracta, ad quemcumque effectum in utroque pariter foro dispensandi; ipsosque, et eorum quemlibet ad famam, gradus, dignitates, necnon Beneficia, et Officia Ecclesiastica quaecumque, ceteroquin tamen canonicum per eos obtenta, aut alias in pristinum et eum, in quo antea quomodolibet erant, statum, et adversus eadem praemissa rehabilitandi, restituendi, reponendi, et plenarie reintegrandi quamcumque necessariam, et opportunam facultatem Auctoritate Apostolica tenore praesentium tribuimus, et impertimur: Necnon absolutiones et dispensationes, quas ab eodem Petro Jacobo Patriarcha ordinaria sua auctoritate, seu a Dilectis quoque Filiis Missionariis earumdem partium sub obtentu facultatum generalium sibi ab eadem Sede attributarum super praemissis hactenus, ac donec similes litteras eidem Petro Jacobo Patriarchae reddideris, concedi fortasse contigerit, Auctoritate praedicta harum serie sanamus, et convalidamus, ac necessaria jurisdictionis, et potestatis, aliosque, si qui desuper intervenerint, defectus supplemus. Ita tamen, ut dictus Petrus Jacobus Patriarcha in posterum a similibus abstineat, ipsisque Missionariis denuncies, et inhibeas, ne deinceps a memoratis censuris, et poenis, utpote Nobis, et Sedi praedictae specialiter, sicut praedicitur, reservatis, absolvere, seu cum dictis Christifidelibus in praemissis dispensare audeant, vel praesumant. Non obstan. praedictis, ac Apostolicis, et in Universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 12. Martii 1721. Pontificatus Nostri Anno XXI.

F. Card. Oliverius.

FINIS TOMI I. APPENDICIS.

INDEX RERUM

Quae in hoc Tomo continetur.

Innocentius PP. III. Maronitarum Patriarcham, Archiepiscopos, et Episcopos pluribus favoribus cumulat. pag. 1

Clemens PP. VI. De Collegii Pragensis privilegiis plura constituit. 5

Eugenius Papa IV. confirmat erectionem Collegii Aven. in Sabaudia fundati, revocans quae contraria videri poterant. 7

Eugenius IV. circa possessionem bonorum Ordinis Minorum Observantium in partibus Infidelium plura constituit. 9

Sixtus IV. concedit Monasterium S. Petri Montis Aurei Ordini FF. Minorum Observantium. 10

Sixtus IV. De Collegio Avenionensi de Ruvere *nuncupatum plura statuit.* 12

Leo X. statuit ut Graeci Venetiis Ecclesiam propriam habeant. 14

Leo X. mittit Praelatum Domesticum ad pertractandum cum Duce Moscoviae ac Russiae de illius Gentis conversione. 16

Leo X. Commissarium mittit ad plura Graecorum loca ut quae contra ritum Graecum facta fuerant reparentur. 17

Clemens VII. nonnulla decernit ne Graeci Latinorum Episcoporum jura violent. 19

Clemens VII. de Ecclesia S. Annae Anconae Confraternitati Graeci Ritus tribuenda constituit. 20

Paulus III. ea servari statuit circa Graecos, quae Praedecessores RR. Pontifices decreverant. 21

Paulus III. In favorem conversorum ad Fidem in Indiis Occidentalibus plura decernit. 25

Paulus III. ne Indi in servitutem redigantur Cardinali Toletano scribit. 26

Paulus III. plura privilegia tribuit Abbatibus, et Monasterio Ordinis S. Benedicti Congreg. Cisterciensis Constantiensis Monasterii ad Vineas Diaecesis Moguntinae. 27

Paulus III. Archiepiscopum Nesciovanen. in partibus Armeniae majoris a Prioribus familiae Praedicatorum octo illic domos incolentium eligi solitum, et ex more pro confirmatione Romam plenam periculis peregrinationem suscipientem, liberalitate prosequitur, quocumque iter fecerit, in sui Ordinis domibus hospitio excipi jubet; Praelatum domesticum constituit, eique pro victu, vestitu, regressu, convenientia pecuniae subsidia largitur. 30

Paulus III. beneficia enumerat, quae Leo X. in graecos Venetiis morantes contulit, Ecclesiam sub S. Georgii invocatione concedendo, presbyterum amovibilem eligendi facultatem donando, ab Ordinarii jurisdictione eximendo. Tantis ingrati beneficiis nec concilii florentini, nec Clementis VII. decreta venerantes omnibus sunt spoliati privilegiis, Sceleris poenitentes a Pontifice petunt, ut in integrum restituantur. Paulus Nuntio ap. Venetiis degenti committit, ut, si vera sint exposita, privilegia a Leone concessa graecis reddantur. 32

Julius III. Germanicum Collegium Romae instituit, et de ejusdem regimine, ac privilegiis opportuna decernit. 36

Pius IV. Patriarchae Maronitarum Haereticos, ac Schismaticos cujusque Nationis absolvendi facultatem tribuit. 40

S. Pius V. Religiosis omnium Ordinum de suorum Superiorum licen-

tia, Ordinariorum facultate minime requisita, praedicandi, Sacramenta administrandi, confessiones excipiendi facultatem in Indiis, si idioma populorum noverint, Apostolica auctoritate concedit. pag. 41

S. Pius V. facultatem Religiosis omnium Ordinum tribuit, ut, si earum gentium idioma calleant, in Indiis parochi officio fungantur; ideoque matrimonia celebrent, Sacramenta administrent, confessiones excipiant de suorum tantum Superiorum licentia vel in Monasteriis, vel in locis sibi assignatis; vetatque, ne quid in partibus, in quibus haec sunt Monasteria Religiosorum animarum curam exercentium, per Episcopos innovetur. 42

S. Pius V. ex plenitudine Apostolicae potestatis concedit, ut Indi baptizati, et in futurum baptizandi, cum uxore quae cum ipsis baptizata fuerit, vel baptizabitur, remanere habeant, tamquam cum legitima uxore, aliis dimissis quas in infidelitate duxerant, etsi illa prima non fuerit maxime quod non facile esset eamdem reperire, atque hujusmodi matrimonium legitimum declarat. 45

Bulla Gregorii XIII. de nova erectione, et fundatione Collegii Germanici Urbis; in qua assignat fundationem dicto Collegio, et eximit a jurisdictione, et correctione, et visitat. quorumcumque Judicum; et suscipit sub B. Petri, et Sedis Apostolicae protectione, et submittit Jurisdictioni Card. Protectorum privative quoad omnes; et eximit Collegium, et personas, et omnia sua bona tam praesentia, quam futura, tam intra quam extra Urbem consistentia ab omni Decima, et Gabella, et onere reali, et personali, ordinario, et extraordinario imposito, et imponendo etc. 46

Speciali favore Collegium Germanicum prosequitur, jubetque causas civiles, criminales, et mixtas summarie, et sine strepitu Forensi ad exitum perduci. 52

Bulla Gregorii XIII. fundationis Collegii Ungarici Urbis, in qua assignat redditus pro Collegio, et eximit ab omni gabella, et onere, decima, et sumit sub B. Petri, et Sedis Apostolicae protectione. 54

Bulla Gregorii XIII. Erectionis Collegii Anglicani Urbis. 59

Bulla Gregorii XIII. De unione Collegii Germanici cum Collegio Hungarico, in qua communicat omnia privilegia, et exemptiones Collegii Germanici, Collegio Hungarico, et submittit Alumnos Hungaros Protectoribus, et Superioribus juxta omnia Statuta et Bullas Collegii Germanici Urbis etc. 66

Fundatio seu erectio Seminarii Pontificii Olomucii. 70

Erectio Collegii Pontificii Brunsbergensis quoad sumptus, unde sustentari debeant. 72

Ruthenorum, et Moscovitarum miseram conditionem in melius vocare desiderans, Wilnae Pontificium fundat Seminarium: Patribus Soc. Jesu committit: mille, et ducenta scutata ex Dat. Apost. redeuntia assignat, et illis ditat privilegiis, et gratiis, quibus alia Collegia fuerat prosecutus. 74

Bulla Gregorii XIII. pro erectione Collegii Comen. 77

Bulla Gregorii PP. XIII. pro translatione domus S. Joannis vulgo della Ficoccia *ad aedes S. Andreae vulgo* delle Fratte, *et pro erectione Hospitii Maronitarum in eadem S. Joannis domo.* 82

Bulla Constitutionum Collegii Germanici, et Ungarici Urbis, a Gregorio XIII. ejusdem Collegii fundatore aedita. Una cum Decretis Clementis VIII. et Urbani VIII. in visitationibus ejusdem Collegii

publicatis omnino observandis etc. 87
Ad continendam in fide Superiorem Germaniam in oppido Dilingae Augustanae Dioecesis Seminarium juventutis clericalis militiae studiosae auctoritate Apostolica fundat. pag. 100
Conceditur facultas dispensandi cum Gentilibus ad fidem conversis ut, non obstante matrimonio in gentilitate contracto, possint cum fideli denuo contrahere etiam priori conjuge non praemonito, si summarie constiterit illum vix posse praemoneri. 103
Juxta mentem Gregorii XIII. indulget, ut alumni collegiorum pontificiorum superioris Germaniae a quocumque Antistite catholico, extra tempora, sine beneficii, vel patrimonii titulo, et sine dimissoriis Ordinarii possint ad ordines promoveri. 104
Litteras S. Pii V., quibus facultatem curam animarum exercendi in Indiis Occidentalibus absque speciali Episcoporum licentia religiosis concessit, indicta poena, confirmat. 106
Breve Clementis VIII. quo prohibetur Anglis gradus Doctoratus. 107
Indulget, ut graeci omnes, qui horas canonicas recitare tenentur, dum iter faciunt, vel aegrotant, vel choro legitime impediti interesse nequeunt, eo utantur breviario, quod nuper absolutum typis jubet mandari. 109
Simplices Archipresbyteri Anglicani antiquioribus etiam temporibus jurisdictionem habebant in omnes Sacerdotes. 110
Agit Summus Pontifex de Ecclesia S. Mariae ad portam Cyprianam urbis Anconitanae, qua graecos mercatores Clemens Septimus donaverat. 113
Prohibitio facta a Paulo V. electis Ecclesiarum in Indiis, ne suscipiant munus consecrationis, nisi in partibus Indiarum, et plura disponuntur circa tempus, et assistentes non Episcopos. 117
Vicario Apostolico Belgico plenam tribuit jurisdictionem super omnibus religiosis, qui ad provincias sibi commissas accedunt, quamque eorum superiores haberent, si inibi adessent. 119
Archiepiscopo Kioviensi, et Haliciensi facultatem impertitur, ut in singulis Russiae locis scholas instituat, earumque regimen eruditis, piisque viris demandet. 120
Kioviensi Metropolitae gentis Ruthenae suos promotos ad cathedrales Ecclesias a latinis Episcopis, aeque ac latinos a Ruthenis antistitibus consecrationis munus licite, et libere suscepisse, et suscipere posse declarat. 121
Mandat, ut quoque tempore quatuor alumni nationis Ruthenae in collegio graeco de Urbe recipiantur. 122
Sacros Ruthenorum catholicos ritus tollere nunquam Ecclesiae latinae mentem fuisse, imo eos esse cum omni diligentia conservandos, significat. 123
Indulget, ut in oratorio privato Scotorum Parisiis aedificato, ornato, et visitato Sacrificium possit celebrari, et alumni non sine gravibus privilegiis titulo paupertatis ad ordines promoveri. 124
Facultates, ac Privilegia Ven. Collegii Germanici, et Ungarici de Urbe. 125
Conventus erectos, et erigendos Minorum S. Francisci de observantia Custodiae Matris Dei Provinciae S. Thomae in Indiis orientalibus in provinciam separatam instituit, privilegiis auget, et eamdem provinciam Vicarii generalis Hispaniarum obedientiae submittit. 134
Breve Gregorii XV. ad Carolum a Lotharingia Episcopum Verdunensem, qui Episcopatui libere renunciavit, et Religiosis PP. Soc. Jesu libere sese addixit. 135
Ad defensionem catholicae fidei per Germaniam, et ad levandam egestatem eleemosinas colligi jubet, qua in re Episcoporum, et Vicariorum postulatur auxilium. 136
Seminarium, quod Ulyssipone ut fidei catholicae apud Anglos periclitanti ferretur auxilium, erat fundatum, Pontifex apostolica auctoritate confirmat. 138
Cum ex Sacra Congregatione rituum decretum prodiisset, Archiepiscopo Kyoviensi praecedentiam supra suf-

fraganeum Episcopi Vilnensis competere declarans, decretum ipsum Pontifex confirmat. pag. 139
Guillelmum Bissopo primum Episcopum Chalcedonensem in Angliam mittit cum iisdem facultatibus, quibus in suis respective Dioecesibus gaudent Ordinarii Locorum. 141
Quascumque concessiones, quae nondum suum essent effectum consequutae, quoad erectiones, fundationes, et institutiones monasteriorum, collegiorum, domorum, et conventuum indicta poena revocat, omniaque id genus juxta Tridentini canones perfici mandat. 142
Monachos Ruthenos Congregationis Vilnensis indulgentiis, et gratiis alias concessis uti, ei gaudere declarat. 145
De Collegio Graecorum in Urbe fundato, et Patribus Societatis Jesu tradito, deque ejus constitutionibus agit. Ib.
Collegium Hibernorum Lovanii instituit. 159
Chalcedonensem Archiepiscopum ad Angliae, et Scotiae Missiones gubernandas constituit. 161
Privilegia, et indulta, quae Gregorius XV. Collegio S. Jacobi urbis Pragensis ad Imperatoris Ferdinandi preces concesserat, renovat, et confirmat. 162
Amplissimas ad duodecim annos circa Sacramentorum administrationem, Ecclesiarum reconciliationem, bonorum acceptationem, et retentionem facultates fratribus S. Francisci provinciae Bosnae Argentinae concedit. 164
Concordata inita inter Missionarios Cleri Saecularis, et Regularis foederati Belgii, auctoritate Apostolica confirmat. 165
Singulos Hiberniae Archiepiscopos Delegatos Apostolicos in eorum provinciis ad biennium constituit, ut lites inter Clerum et Episcopos vel motas vel movendas componant. 174
Specialibus privilegiis, et gratiis alumnos Hibernos, eorumque Collegia, quae sive in Galliis, sive in Hispaniis fundata sunt, prosequitur. 175
Ruthenarum Missionum Praefecto, et Missionariis omnia Sacramenta administrandi de Parochi licentia, si fieri possit, nec non indulgentias plenarias elargiendi, facultatem concedit. 177
Annuit, ut Fratres discalceati S. Francisci Provinciae Matris Dei in Indiis Orientalibus novas possint domos Regulares construere, et Ecclesias fundare. 178
Angliae et Scotiae Regnorum spirituali bono prospicere cupiens, Protectori amplas facultates attribuit. 179
Missalia Slavonico conscripta idiomate Romam accersit, ac emendata jubet typis mandari. 182
In memoriam revocat, et confirmat Decretum S. Congregationis, quo statutum erat, ut Rutheni monachi uniti in Congregationem redigerentur, ne quid detrimenti regularis disciplina pateretur. 183
Motus Proprius Sanctissimi Domini Nostri Urbani Papae VIII. super Dominio, et Gubernatione Conventus S. Mariae de Victoria Fratrum Carmelitarum Discalceatorum Provinciae Romanae sub titulo S. Mariae nuncupatae. 184
Custodi Hierosolymitano pro tempore, ejusque Fratribus contrectandi pecunias dat facultatem, si syndaci fideles deficiant, ususque recenset, in quos eleemosynae sint erogandae. 194
Reginae Francorum Scotiae catholicos ab haereticis indigne vexatos maximo studio commendat. 195
Transactio inter Commissarios Pontificios, et Regios in Regno Bohemiae pro bonorum ecclesiasticorum compensatione confirmatur. 196
Praecipit ut nulli Religioso cujuscumque Ordinis, praeter Carmelitas, in Montem Carmelum se recipere, habitare etc. liceat. 211
Approbat erectionem scholarum, introductionem Monachorum S. Basilii in easdem scholas, necnon reddituum, et aedificiorum assignationem per Methodium Episcopum Chelmen. et Belzen. in civitate Chelmensi factas. 212
Concedit Italo-Graecis Casalis S. Martini Bisignanen. facultatem transeundi ad ritum latinum. 213

Tabellionibus a Metropolita Russiae ejusque Suffraganeis Episcopis creatis concedit, quod ipsi eamdem, quam Tabelliones auctoritate Apostolica creati, facultatem habeant. pag. 214
Praefecto Missionis Regnorum Marochii facultatem impertitur recipiendi etc. Testamenta, Codicillos, Contractus Christianorum Captivorum. 215
Sex millia duplarum Hispanicarum a quadem muliere natione Gallia relicta, Ecclesiae Bagdatensi adsignat, ac praeterea decernit dictae Ecclesiae praesulem in Gallia natum esse debere. 216
Prohibet sub excommunicationis latae sententiae poena, Indos tam Occidentales, quam Meridionales, quomodolibet in servitutem redigere, aut eos bonis suis spoliare. 217
Gratulatur de sua ad Romanae Ecclesiae communionem conversione, ac hortatur ut suum Patriarcham ad Apostolicam unitatem revocare contendat. 219
Ei commendat Paulum Pyromallum Ord. Praedicatorum ad Patriarcham Armenorum missum. 220
Mittit Paulum Pyromallum Ord. Praed., hortaturque ut fidem Catholicam amplectatur. 221
Confirmat donationem Collegii Gregoriani de Urbe a Constantino Cajetano, Abbate Monasterii nuncupati S. Barontii, S. Congregationi de Propaganda Fide factam. 222
Constitutiones pro reformatione Religionis S. Pauli Primi Eremitae confirmat. 223
Approbat erectionem Collegii a Norberto Horichem Abbate Monasterii Steinfeldensis Coloniae factam. 225
Illyricae linguae Sacerdotibus vel Clericis in Sacris Ordinibus constitutis praecipit, ut debeant uti Breviario ac Missali Illyrico ad formam et ritum Missalis ac Breviarii Ecclesiae Romanae reformatis. 228
Compositionem a Patribus Ord. B. Mariae V. de Monte Carmelo Capitulum componentibus statutam circa regimen Sedis Apostolicae Seminarii per modum provisionis, nonnullis adhibitus declarationibus, confirmat. 229
Presbyterorum, et Sodalium Congregationem sub Augustissimi Eucharistiae Sacramenti invocatione, ejusque constitutiones confirmat. Debitam autem tanto Sacramento exhibere reverentiam, et Congregationi de Prop. Fide ministros offerre fidem inter infideles praedicaturos, officium Sodalitatis est. 233
Erectio Collegii Maronitarum in urbe Ravenna. 237
De sacris libris ritu quidem romano, sed idiomate slavonico, et characteribus S. Hieronymi conscriptis, qui opportuna indigent recognitione, tractatur. 242
Cum Card. Luduvisius Collegium Romae, quo juvenes Hiberni patria aufugientes reciperentur, hospitio fundasset, ipsorum alumnorum gubernio consulit, et directioni, eosque Sedi Apostolicae subjicit, et pluribus privilegiis prosequitur X. Innocentius. 244
Episcopus Bellegradensis Ecclesiae Samandiensis administrator, et Vicarius Apostolicus in Ecclesiis Hungariae sub Turcis Episcopum residentem non habentibus, ad Sedis Apostolicae beneplacitum constituitur. 250
De applicatione haereditatis Episcopi Aureliopolitani, qui Regularem professionem Religionis de Monte Carmelo emiserat, agitur. 251
Seminarium S. Pauli, seu S. Mariae de Victoria de Urbe, Provinciae Romanae, seu Provinciali Romano subjectum esse debere, quibusdam S. Congregationi reservatis, declaratur. 252
Cum plurima orta essent dissidia inter Monachos Ruthenos propter Capituli celebrationem, et Abbatis Generalis electionem, dissensionibus finem impositurus, Pontifex novum iterum jubet convocari Capitulum. 256
Patribus Societatis Jesu, ut in regno Sinarum cum Christifidelibus super Ecclesiae praeceptorum adimplemento quoad jejunia festorum observationem, nec non Sacramentalem confessionem, et communionem semel in anno valeant dispensare, facultatem ad duodecim annos impertitur. 258

In Regno Tunkini Apostolicum Vicarium constituit, cui finitimarum provinciarum administrationem adjungit ita, ut si quem ex aliis Apostolicis Vicariis, quos pro regno Sinarum eligit, mori contingat, nova inita cum Episcopo superstite divisione, ad alias provincias administrationem extendat. pag. 259

Commissario Apostolico in provincia Malabarica committit, ut unum, vel duos idoneos eligat Sacerdotes, quem, vel quos ad Episcopatus dignitatem promotos tanquam Vicarios Apostolicos Angamalensis Archiepiscopatui Ecclesiae, vel Ecclesiis pastore viduatis, praeficiat. 261

Domum SS. Sergii, et Bacchi gentis Ruthenorum de Urbe, Congregationis de Propaganda Fide subjicit auctoritati. 262

Jubet, Protectores Collegii Germanici, et Hungarici in aulam Congr. de Propaganda Fide, ubi opus sit, convenire actum de Collegii negotiis. Secretarius, cujus erit ad Pontificem referre graviora, et expedire, intersit. Decreta a praescripta forma recedentia nullius roboris, et momenti existere mandat. 263

Ecclesiam, et Conventum S. Pancratii extra Urbem Fratribus Carmelitis discalceatis Ordinis B. V. Mariae de Monte Carmelo concedit, facta ipsis transferendi, seu iterum Seminarii Missionum ibi erigendi potestate. 265

Quid egerit, cum primos Vicarios Apostolicos destinaret ad Sinas, commemorat. Commemorat se ad Sacros Ordines promovendi facultatem dedisse etiamsi latinum idioma nescirent. Nunc autem cum unus ex tribus fuerit mortuus, si alterum mori contingat, Vicario Apostolico superstiti dat digniorem Sacerdotem in Episcopum eligendi facultatem, et consecrationis munus conferendi, etiam sine duorum Presbyterorum assistentia. 277

Idem argumentum repetit Pontifex; quae gesserit in primis tribus Vicariis Apostolicis destinatis ad Sinas exponit, ad tertium Vic. Ap. jam praemortuo sufficiendum et Ecclesiae Metellopolitanae praeficiendum sermonem reportat. 279

Amplia la bolla di Gregorio XIII. Super jure congrui, *e permette alla S. C. di fare acquisto di alcune casette vicine al Collegio di Propaganda, perchè essendo esse abitate da persone vili, e forse poco oneste, non ne ricevano gli alunni di esso Collegio Urbano motivi di distrazione, o di mal'esempio.* 283

De Collegio Maronitarum, quod fuerat Ravennae institutum, fit sermo. Cum vero ex hac fundatione modicus fructus haberetur; bona Collegii vendi sunt jussa, et pecunia, quae ex venditione redierat, S. C. de Prop. Fide tradita est administranda. 286

Breve Indulgentiarum pro fratribus Congregationis, seu Societatis Alumnorum Collegii Urbani, sub titulo Assumptionis B. M. V. 296

Catholicorum Hiberniae in summa tribulatione gementium calamitates levare contendens, Commissarium, et Vicarium Apostolicum illic instituit, imo potius confirmat. Quos bonis omnibus expoliatos non sine spiritualium divitiarum concessione relinquit. 298

Charitatem, pietatem, in Apostolicam Sedem studium Catherinae Magnae Britanniae Reginae, ut ex litteris ejus compererat, plenus laetitia commendat. 301

Qui in regno Bisapor in Indiis Orientalibus Vicarii Apostolici munere fungebatur; talis in regnis Pegù, et Golgonda cum facultatibus constituitur. 302

Bernardi Episcopi Cubae in Indiis Occidentalibus petentis, ut decreta S. C. de Propaganda Fide declarantia quasdam facultates illis religiosis non convenire confirmarentur, desideriis satisfacit Pontifex, eaque sua Apostolica auctoritate corroborat. 303

Rectori Collegii Anglorum Duacensis circa suorum Alumnorum ordinationes, et ab excessibus, et censuris absolutionem specialem ad quinquennium tribuit facultates. 305

In Graecos Venetiis degentes, qui sibi schismaticum Episcopum praesumunt assumere, ut in Ecclesia S. Georgii

Episcopali munere fungatur. Inde Pontifex nobilem Reip. Ducem hortatur, ut magistratum laicum a blasphemia nuncupatum, cui nulla in spiritualia potest auctoritas competere, revocet. pag. 306

Cum viam universae carnis sit ingressus Pseudo-Episcopus, qui Venetiis Graecis schismaticis praeerat, viriliter contendit Pontifex, ne alter illi schismaticus sufficiatur. 307

Conventus S. Antonii de Baradoxo Provinciae Algarbiorum in Collegium Missionum mutatus Apostolicam confirmationem reportat. 308

Conventus S. Crucis de Queretaro Provinciae de Mechoacan in Indiis Occidentalibus in Collegium Missionum mutatus, in quo et tyrones informentur, et veterani vires deficientes restaurent, Commissario Generali novae Hispaniae creditus, Apostolicam confirmationem reportat. 314

Electionem in Ruthenorum Monachorum Generalem, quam sibi studiose Archiepiscopus Kiovien. comparavit, reprobat, et quidquid iste gessit, invalidat. Eumdem hoc munere fungi non posse declarat: Monachorum jura in integrum restituit. 322

Seminaria ad Missiones tam in Conventu S. Crucis de Queretaro de Mechoacan, quam in aliis Hispaniae provinciis erecta, Apostolica auctoritate confirmat, facitque in aliis provinciis Hispanicis, Philippinis, Mexicanis, et Peruanis unum, vel duo Collegia hujusmodi erigendi facultatem. 325

Cum in Serra Malabarium exortae essent controversiae, ad eas sedandas visitatio Apostolica indicitur, qua peracta, Sacra est de Propaganda Fide congregatio edocenda. 327

Facultates olim Archipresbyteris Angliae a Summis Pontificibus concessae, non secus ac illas, quibus Ordinarii in suis Dioecesibus utuntur, tribus novis Vicariis Apostolicis constitutis juxta territorii divisionem a Nuntio Apostolico ad exitum perducendam, ad beneplacitum Apostolicae Sedis impertitur. 329

Cum praesidio suo Patres Societatis Jesu Siami Rex juvaret, et ope liberali protegeret, unumque ex illis ad Pontificem ablegasset, iste illi rem Catholicam commendat, et ad veram Religionem plena benevolentiae epistola conversionem adprecatur 331

Praecipitur septem Praesbyteris Societatis Jesu Missionariis apud Sinas, ut accedant ad Urbem, et Missionariis omnibus formula quaedam juramenti, quod praestare debeant, praescribitur. 332

Sinarum Principi Patres Societatis Jesu beneficiis prosequenti dat amantissimas litteras; eosdem, quos catholicae fidei propagatio illuc adducit, mirum in modum commendat, et Deum, ut eidem veritatis suae lumen ostendat, rogat impense. 339

Quae Seminario Parisien. Scotorum circa ordinationem privilegia Paulus V. concesserat, quas Indulgentias plenarias Alumnis Urbanus VIII in ingressu, vel egressu de Collegio, vel decessu de vita erat largitus, non sine nova additione, Apostolica auctoritate confirmat. 340

Tunkini regnum a Machaonensi Dioecesi sejungit ita, ut nemo ibi jurisdictionis actus possit exercere. 343

Super renovatione, et confirmatione Bullae sanctae mem. Alexandri VII circa Congregationes a Cardinalibus Protectoribus Collegii Germanici, et Ungarici Urbis, super negociis ejusdem Collegii habendas, in Collegio tamen Germanico, non in Aula Congregationis de Propaganda Fide. 344

Patriarcham Alexandrinum hortatur, ut gentem suam ad ovile S. Matris Ecclesiae reducendi propositum suum perducat ad finem. 348

Leopoldo in Romanorum Imperatorem electo praeclaros viros de Catholica Religione in Regno Bosniae, non sine congerie malorum benemeritos, commendat. 349

Armenorum Patriarcham, quod bene de Sancta Romana Sede sentiat,

quod ad verae fidei sinum gentes suas contendat adducere, quod cum Rege Persarum de religionis negotio sedulo tractare aggrediatur, laudibus affert. pag. 349

Vlasium Episcopum, gentemque suam Armenam benevolentia complectitur; suadetque, ut mala, quae populus sustinet, pro viribus levare conetur, et boni Pastoris munus adimpleat. 350

Britanniae Catholicorum calamitatibus condolet, et postquam eleemosynarum largitate tulerit opem, praesules universos hortatur, ut illis succurrant, quos Religionis amor fecit egenos. 351

Bullae, et Romani Pontifices, qui conservandis sanctis Hierusalem locis animum adjecerunt per praecones verbi Dei eleemosynas commendando recensentur, quaeque ab illis hac super re decreta sunt, a Clemente XI. confirmantur. 353

Ecclesiae Patriarchali Antiochenae Carolus Thoma Maillard de Tournon praeficitur, et Visitator Apostolicus ad Indos, et Sinas cum potestate etiam Legati a latere destinatur. 356

Petro Lusitaniae Regi gratulatur, quod majorum suorum virtutes aemuletur, eique Patriarcham Antiochenum Carolum Thomam de Tournon ad Indos, et Sinas proficiscentem commendat. 358

Visitatorem Apostolicum, eumque Legatum a latere Carolum Thomam de Tournon ad Sinas proficiscentem commendat, petitque, ut iis animi significationibus excipiat, quae tanto viro, talique muneri convenire videantur. 359

Petro Lusitaniae Regi circa Sinensium ritus se a Praedecessorum suorum Romanorum Pontificum instituto non recessurum, in eosque jam suum animum intendere significat. 360

Dissidia in Hollandia, et conterminis provinciis per Archiepiscopi Sebasteni a Vicariatus Apostolici officio suspensionem sedare contendit, et quid agere, et cui obtemperare, et a quibus cavere et populus, et clerus teneatur, hortatur, et mandat. 361

Aethiopiae Regi gratulatur, quod se gentemque suam ad unitatem cum Ecclesia Romana referre meditetur. Ut consilium perficiat, hortatur. Patrem Josephum ab Hierusalem, quem suum constituit Ablegatum, commendat, et ut quaedam pretio operis existimanda munuscula grate habeat, precatur. 364

Israelem Ory Persarum Regi commendat. Quod a Regiis Praefectis Christianae Religionis cultores male habeantur, se aegre ferre significat; quorum licentiam ut compescat, expostulat, petitque, ne in Regno suo innocentes plecti patiatur. 366

Declaratio nullitatis cujusdam Edicti sub nomine Fratris Augustini ab Annunciatione, Archiepiscopi Goan. contra Jurisdictionem, Auctoritatem, ac Dignitatem R. P. D. Caroli Thomae Patriarchae Antiocheni Commissarii, et Visitatoris Apostolici in Sinarum, et aliis Indiarum Orientalium Regnis promulgati, necnon omnium inde secutorum, et quandocumque secuturorum, cum illorum revocatione, annullatione, et cassatione. 367

Regem Congi mirificis laudibus, quod bene de Religione sit meritus, et de ea bene sentiat, exaltat. Patrem Franciscum Ticinensem illuc revertentem et Diadema regium, et precatoriam Coronam indulgentiis ditatam dono afferentem, commendat. 370

Pietatem, et liberalitatem Comitis de Montezuma commendat, quod ampla subsidia pro Missionibus Indicis et Sinensibus, et pro fundatione et dotatione Seminarii Manilae ad juvenes indigenas instituendos ab Hispaniarum Rege impetraverit. 372

Gentis Albanensis erga Apostolicam Sedem sub ipsa Turcarum tyrannide obedientiam, et devotionem confitentis, laudes celebrat, atque in dilectionis suae signum locum perpetuum adolescenti Nationis Epiri in Apostolico Collegio, constituta dote, designat. 373

Persarum Regi Petrum Martyrem a Parma, Archiepiscopum Naxivanen. caeterosque Religiosos viros Ordinis Praedicatorum, nec non Catholicam gentem Armenam, etiam atque etiam

commendat. pag. 374

Israelem Ory, quem paulo antea rebus Catholicis studentem Persarum Regi commendaverat, eidem in cognitionem tanquam Fidelium persecutorem adducit, quorum libertatem, ac salutem tueri debebat, monetque Regem, ut ab insidiis et oppressione Catholicae gentis deterreat. 375

Patribus Societatis Jesu, ac Clericis Regularibus indicitur, ut Visitatorem Apostolicum in insulis maris Aegei, et Jonii peramanter excipiant, benevole audiant, sine mora mandata perficiant. 376

Vincentio Archiepiscopo Marcianopolitano, nondum Pallii honore insignito, ut Pontificalia ubique juxta Concilii Trid. Decreta exercere, et uti possit, indulget. 378

Confraternitatem Stauropigianam, Monachos et Monasterium S. Onuphrii Eremitae gentis Ruthenorum prope Leopolim ita Sedis Apostolicae, et Congregationis de Prop. Fide subjicit auctoritati, ut nulla possit Ruthenus Episcopus in Officiales, et Monachos, eorumque bona potestate perfungi. 378

Dolet, Sinarum Imperatoris in Cardinalem de Tournon benevolentiam esse imminutam, imo gratiam ejus in offensionem esse conversam, fortasse quod Religionis Christianae sectatoribus Sinensium rituum usus interdiceretur. Confidit in libertatem vindicandum, in Europamque reversurum, et Principem Sinensem, ad quem datur epistola, a sua sententia recessurum. 380

Sinarum Imperatori, quod in Cardinalem de Tournon, et Evangelicos Operarios ab initio sua beneficia contulerat, gratulatur. Dolet tamen benevolentiam ejus esse subito imminutam, et mutatam in iram. Apostolicum Visitatorem, et rituum Sinensium prohibitionem hujus mutationis causam dedisse non potest inducere in animum. Etiam, atque etiam petit, ut Cardinali libertatem concedat, et rei Christianae defensionem suscipiat. 382

Fideles Angliae, Scotiae, et Iberniae commendat, eosque a novis opinionibus, et pravis doctrinis deterret. 384

Joannem Lusitaniae Regem cujus majores pietate eluxerunt, et religione, hortatur, oratque, ut afflictis ob ritus Sinensibus rebus ea, qua potest, ratione succurrat. 386

Paucis ea, quae antea de perturbationibus propter vetitos ritus in Sinarum Imperio edixerat, complectens, addit, quod Card. de Tournon Visitator Apostolicus Macaonensem delatus in urbem, ab Administris Regiis acerbas patitur injurias, et gravia sustinet adversa. Quare a Ioanne Lusitaniae Rege contendit, ut Officiales suos a tanta in Visitatorem Apostolicum iniquitate deterreat, et, mutatis in melius rebus, hunc in Europam remeare patiatur. 388

Agitur in hoc Brevi de Conventu ad Crucem Montis Marii erigendo pro Fratribus perfectioris vitae ductis amore: variae, et diuturnae hujus Instituti vicissitudines exponuntur, quod tandem erat in Missionum Seminarium mutandum. 390

Alexandri totius gentis Armenorum Patriarchae inquirendae veritatis propositum commendat, hortaturque, ut ad verae Ecclesiae unitatem introire festinet. 394

Joannem Lusitaniae Regem de gemina matrimoniali alloquitur dispensatione. Per quam maximo afficitur Pontifex dolore, quod in Urbe Regia Macaonensi Cardinalis de Tournon Legatus a latere Visitator Apostolicus detineatur, exercitio auctoritatis privatus, et libertate. Hortatur, ut honori consulat, et saluti, et Pontificiis litteris responsa non deneget. 396

Nulla allata Apostolicis litteris responsione, moeret vehementer Clemens, quod Lusitaniae Rex nondum jusserit Cardinalem de Tournon a captivitate in libertatem vindicari, nec adhuc poenam sumpserit de iis, qui violentas manus in Christum Domini injecerant, monetque ut id perficiat, ad quod bonus honor, et salus aeterna compellunt. 398

De amplissimis facultatibus fit mentio,

quae Cardinali de Tournon ad Sinas Visitatori Apostolico proficiscenti, sunt attributae. Inter quas una est, cujus vi poterat viduatis Ecclesiis Pastores praeficere. Cum ergo Claudium Visdilou Societatis Jesu Claudiopolitanae Sedi elegisset, et Provinciae Queicheu in Vicarium Apostolicum destinasset, Pontifex electionem confirmat, ea sanando, quae professio Religiosa illum exercere vetabat. 400

Decretum Cardinalis de Tournon pro bono Sinensis Missionis Apostolica Auctoritate confirmat. 403

Monitoriales litteras, quas Visitator Apostolicus Cardinalis de Tournon delinquentibus contra ejus auctoritatem Pudicherii dederat, approbat, et sub poenis inibi praescriptis jubet observari. 408

Quae in Sinis, et Indiis Visitator Apostolicus de Tournon gesserat, aerumnas, omnium contemptum, et Cardinalitiae dignitatis dimissionem, et propositum in Urbem pro bono religionis illic procurando non revertendi, nec non Decretum de ritibus Sinensibus Pontifex debita commendatione prosequitur. 409

Constantinum a Spiritu Sancto Visitatoris de Tournon, apud Indos, et Sinas in laboribus, in periculis, in aerumnis, in passione socium et privilegiis prosequitur, et laudibus ornat. 410

Petrus de Amaral una cum Visitatore Apostolico in Indiis, et Sinis multa erat forti animo passus. In ejus laborum levamen, et praemium eum Pontifex et laudibus tollit, et privilegiis exornat. 412

Thomam de Endaya de Cardinali de Tournon, et de Apostolicis Missionariis benemeritum, et navigium suppeditantem, quo Macaum adveherentur purpureum birretum acceptum, mirifice laudat, Seque illius rebus non defuturum promittit. 413

Cum Michael de Elorriaga multa benevolentia in Cardinalem de Tournon, et Missionariis purpureum birretum adferentibus esset usus; ei animum Suum gratum per has Apostolicas litteras testatur. 414

Cum iste Comes de Lizzaraga Cardinalem de Tournon, et Sacros operarios colloborantes Sinarum Imperatori commendasset, et meritas ei agit gratias, et beneficiorum fidelem memoriam promittit, cum etiam in tribulatione positos defendendos susceperit. ibid. 414

Cum Cyrillus Szumlanski Luceoriensis Ecclesiae administrator, ut sibi benevolentiam et patrocinium devinciret Ducis Moschoviae, in schisma fuisset lapsus, metuens Pontifex, ne et Clerum et Populum in suum consilium perduceret, Poloniae Regem vehementer precatur, ut in re tanti momenti suum potens praestet auxilium. 415

Perlatis ex Lusitania, et lectis Regiis litteris, tactus Pontifex cordis dolore vehementi, ad Regem iterato mittens epistolam indignationis plenam, exorat, ut quam citissime de iis sacrilegis sumat, qui Macai tot, tamque atroces injurias et Cardinali de Tournon, et ejus Missionariis intulerunt, et inferre non desinunt 417

Ludovicum Congregationis Missionis propter praestitam Cardinali de Tournon debitam obedientiam in publica conjectum vincula, tribulationes, injurias, contumelias forti animo perferentem, Deo, et hominibus spectaculum factum, consolatur Clemens, hortaturque, ut a Domino levamen expectet, qui sperantes in se confundi non patitur. 419

De morte Cardinalis Thomae de Tournon acerbe tristatur: expostulat, ut ii meritis plectantur poenis, qui illum in Carcerem Macaonensem conjecerunt, et ad mortem impulerunt, suadetque, ut quantocyus de Ritibus Decreta executioni mandanda curet. 420

Quam male de Cardinali de Tournon Archiepiscopus Goanus, et Episcopus Macaonensis meriti sint, enarratur. De persecutionis acerbitate, de excommunicationibus utrique latis, de contumeliis in Visitatorem, de injuriis in Apostolicam Sedem, de auso effraeni et indigno gestis in Ec-

clesiasticam Dignitatem, de humanorum et Divinorum Jurium immani perturbatione fit mentio. Eorum Praesulum facta improbantur, cooperatores excommunicationis damnati, nonnisi a Rom. Pont. absolvendi. pag. 421

De saeviente persecutione tristatur; de zelo ejus in Religionem gratulatur; ut in suscepto patiendi consilio persistat, hortatur. 429

Cum declarasset Pontifex Decretum Cardinalis de Tournon circa Ritus, quaeque in eo continentur, opere esse complenda, cumque nonnullae interpretationes a Pontificis mente alienae a quibusdam essent factae, tum Decreti executionem, tum ipsum Visitatorem Apostolicum Lusitaniae Regi commendat. 430

Cum esset postulatum ut facultas dispensandi in gradibus a jure vetitis ampliaretur, respondet Pontifex ab Alexandri VIII. litteris, et suis non esse recedendum. 432

Nec Ritus superstitionis labe infectos probasse, nec Decreta Cardinalis de Tournon Pudichery edita vel rescissa vel abrogata a se fuisse contendit. 433

A Joanne Lusitaniae Rege postulat, ut Carmelitarum Discalceatarum Congregatio in possessionem Conventus Goae existentis, qui Presbyteris Oratorii S. Philippi Nerii fuerat attributus, redintegretur. Imo et Hospitium in Urbe Dium existens, ad eamdem pertinens Congregationem, restitui petit. 433

Agit de Pallio Samueli Patriarchae Alexandrino tradendo, qui Graecorum Schisma ejuravit, et Fidei professionem emisit. 435

Quod in Regno Persarum Religionem Catholicam defendendam susceperit, laudat, oratque ut Georgiae Princeps, qui in aula Regis Persici detinetur invitus, in libertatem ad bonum Fidei Catholicae vindicetur. 437

Postulat, ut Missionarios illuc adventuros benigne excipiat, eorumque labores suo patrocinio juvet. 439

Collegium Lincii in Dioecesi Passaviensi pro Fide Catholica in Regnis Septemtrionalibus Daniae, Norvegiae; et Sveciae propaganda, Auctoritate Apostolica, confirmat, gratiis ornat, et privilegiis auget. 439

Gratulatur, quod ex atra errorum caligine in lucem verae Religionis emerserit, quodque Alexandrina Ecclesia per eum ad Romani Pontificis unionem, et obedientiam fuerit reversa. Procuratorem ejus abjurationis Schismatis, et professionis Fidei documenta afferentem hilariter excepisse declarat, quod iterum publice et solemniter in Palatio Vaticano est factum, omnium virorum summorum dignitate et nobilitate illustrium adstante corona, ubi ipse Procurator Patriarchae nomine et professionem Fidei, et Shismatis abjurationem iterum recitavit. Pallium denique eidem Patriarchae concedit, speratque una cum Patriarcha et Clerum, et Populum Graecum ad Romanae Ecclesiae sinum reversurum. 445

Perturbatam Religiosae rei conditionem in causam adducit, cur in Sinis trium Episcopatuum fundationem distulerit. Quoad benevolentiam Suam in Lusitaniae Regem spondet, Se a Praedecessorum Suorum vestigiis non recessurum. Cum jam de ritibus Sinensibus dicta sit causa; ut Sua constitutio opere in bonum Religionis compleatur, Regium praesidium, et opem implorat. 450

Hortatur, ut milites, et duces in suo officio contineantur, et a novis in Templa, et Collegium Pontificium Leopoliense damnis inferendis deterreantur. 452

Dismembratio Abbatiae Sanctissimae Trinitatis Mileti a Ven. Collegio Graecorum Urbis, et unitae, ac incorporatae ad Mensam Episcopalem Miletensem. 453

Facultates significat, quas Vicario Apostolico Mogolis, Golgondae, et Idalcan concesserat, jubetque Archiepiscopum Goanum et cognoscere, et honorifice tractare eumdem Vicarium Apostolicum, et ab aliis cognoscendum, honorandumque curare. 466

Legationem missurus in Sinas gratias agit Imperatori, quod Christianae

Legis praedicationi non adversetur, et in Apostolicos Missionarios se benevole gerat, eique caelestis Gratiae lumen adprecatur. pag. 467

Carolum Ambrosium Patriarcham Alexandrinum Visitatorem, et Legatum in Sinas, Indos, et Insulas missurus, Episcopo Pekini commendat, ut honorifice excipiat, ut Sinarum Imperatori Pontificiae, benevolentiae, et extimationis argumenta adaperiat, ab eoque patrocinium pro re Catholica obtineat, et observandam super Ritibus Sinensibus curet Constitutionem. 469

Visitatorem Apostolicum, et Legatum a latere se missurum praenunciat in Indos, Insulas, et Sinas, ut Imperatori Pontificiae dilectionis sensus aperiat, ab eoque protectionem et libertatem Religionis Catholicae obtineat, ut concordiae spiritum in Apostolicis Missionariis iterum excitet, et Decreta super Ritibus Malabaricis curet opere complenda. 470

Mala, damna, ruinas enumerat, quas in Provincia Georgiae degentes Catholici passi sunt, persecutorum punitionem poscit, Catholicos Suo patrocinio commendat, petitque, ne iterum eos exagitari per tantas patiatur injurias. 472

Cum Armenis Catholicis, et Latinis Missionariis in Georgia commorantibus injuria gravis esset illata, pro ejus reparatione, pro auctorum punitione, pro Catholicorum libertate, et tranquillitate contendit. 474

Patriarcham Alexandrinum Carolum Ambrosium in Indos, Insulas, et Sinas Legatum a latere proficiscentem commendat, petitque ut honorifice excipiat, pareat, curetque ut honoretur ab aliis. Jubet partium studia aboleri, dissidia tolli, de Ritibus Sinensibus editam Constitutionem observari. Sin iis efficiendis sit paratus, et sibi, et Societati erit futurus detrimento. 475

Maronitarum gens, quod constantem erga Romanam Ecclesiam devotionem professa fuerit, et nunquam se variis doctrinis circumferri sit passa, eximia laude commendatur. Quod vero dissidia, et contentiones sunt nuper excitatae, dolere non desinit. Ut pacis ineant consilia, Clerum, Magnates, Populumque exhortatur, ne scandalum ceterae gentes, ipsique infideles patiantur. Quod ut facilius assequatur, Gabrielem Eva Monachum omni virtute commendatum ablegat. 476

Ut concordiae consilia Maronitica Natio suscipiat, Monachus Gabriel Eva non sine privilegiis ablegatur. 478

Gabriel Eva dissidentes Maronitas concordiae restituturus Ablegatus immittitur, cujus erit censuris irritatos absolvere, Sedi suae Patriarcham restituere, ab Irregularitate dispensare, et concordiam referre. 479